

















LAMBERTI GORIS JC.

Syndici NOVIOMAGENSIS

COMMENTATIO

AD

Tres & viginti priores titulos CONSUETUDINUM VELAVIÆ,

QUÆ EST PARS

DUCATUS GELRIÆ

ET


COMITATUS ZUTPHANIÆ,


Cum translatione latina textus vernaculi:

In qua, à cæteris ejusdem Provinciæ ac finitimorum aliorumq; populorum legibus ac moribus, tum jure communi & hujus interpretibus aliisq; bonis autoribus prædicta Consuetudo, & in universum totius Gelriæ mores illustrantur & explicantur, cum enodatione difficilium aliquot quæstionum juris.

Summaria passim sunt inserta cum duplici indice tum capitum, tum rerum & verborum memorabilium.

Accedit paucis aliquot pagellis ejusdem Autoris FARRAGO *Carminum abortivorum.*





NOVIOMAGI,

Apud NICOLAUM ab HERVELT, Academiæ Bibliopol. & Typograph.

cIↄ Iↄ C LXIV.

Illustribus ac Præpotentibus
DUCATUS GELRIÆ
ET COMITATUS
ZUTPHANIÆ,

ORDINIBUS,

NEC NON
Eorundem supremæ Curiæ

CONSILIARIIS,

Viris Nobilißimis & Amplißimis,
L. M. Q. D. D.
LAMBERT. GORIS Jurisc.

Illustres Ordines, Amplissimi Senatores,



Cientiarum omnium ea est conditio, ut aliæ solâ contemplatione contentæ, aliæ hominum moribus formandis occupatæ, finem sibi proprium assequantur. Hoc ferè est quod elegan-

ter expreſſit Romanus ſapiens in duas ſcilicet partes virtutem dividi, in contemplationem veri & actionem. Ipſa autem rerum tum divinarum tum naturalium contemplatio ut omnium nobiliſſima, ita homine ad imaginẽ Dei condito cum primis digna exiſtimatur. Eſt etenim nutrix omnis ſapientiæ & pietatis, imò, ut non abſurdè aliquis prodidit, felicitatis humanę præcipuus ſcopus & ſummus apex. Quod cum hominibus negotioſis, qui veræ contemplationis guſtum ſuaviſſimum nunquam rectè perceperunt, haud perſuaderi poſſe confido; tum non abſque ratione à Philoſopho dictum videtur, ipſam actionem, quam morum inſtitutio ſibi finem ſtatuit, vitę communi magis eſſe utilem. Adeò placuit illud nobiliſſimi hiſtoricorum, eum demum vivere & frui anima videri, qui alicui negotio intentus præclari

facinoris

facinoris aut artis bonę famam quærit. Et alterum oratorum disertissimi, virtutis laudem in actione consistere. Nam cùm naturali quodam instinctu homo cum homine ad societatem fertur, ex qua corpus Reipubl. per maris & fœminæ conjunctionem, auctu familiarum, quasi coalescit quis non perspicit eidem benè ordinandæ activam magis quàm contemplativam scientiam prodesse? Rerum magistra experientia abundè testatur, homines sibi soli philosophantes, si non inutiles, saltem plurimo Reipubl. esse incommodo. ita turbant pariter & turbantur rerum, quibus non assuevêre, novitate & fatali congerie. Contrà, quicunq; otiosa contemplatione haud contenti negotiosum preterea vitę genus amplectuntur, magno equidem generis humani bono in hanc vitam processisse putandi sunt. Siquidem civium æqualiumque

ſuorum moribus formandis intenti ipſam
non ſolum Rempublicam ſartam ac tectam
uſque conſervant, verùm etiam eandem ma-
gis firmant florentemque producunt. Ho-
rum numero ſuo merito nequaquam ex-
pungendi ſunt illi qui vel ſuas ſingulis po-
pulis deſcripſere leges ac jura , vel unde ea-
dem haurienda forent digito quaſi prœmon-
ſtravêre , quandoquidem abſque his civilis
ſocietas non magis ſubſiſtere quàm ſine aëre
circumfluo vitam ducere poſſunt mortales.
In quo tamen prudentia juxtà ac ſapientia
prœcipuè eminuit , quod pro cujuſque natio-
nis genio, qui ſeu à cœlo ſeu ſolo regionis, ſeu
qua alia reconditâ ratione immane quantũ
variare deprehenditur alias atq; alias juſtiſſi-
mo temperamento excogitarunt ſanctiones,
uti olim rectè animadvertit academicę ſectę

Philoſo-

Philoſophus Carneades. Sed, ut nihil ferè in vita hominum omni ex parte beatum eſt, nemo neſcit ex mirabili illa juris diverſitate circa verum ejus ſenſum diverſas exortas eſſe opiniones, atque hinc inſuperabilem quaſi bonis ingeniis natam difficultatem. Quæ ſanè tum multùm auxit, poſtquam compluribus viſum eſt nationibus, poſt pauciſſimas provinciæ ſuæ ſcriptas leges, cum jure civili Romano proprias aliquot conſuetudines ſolo populi uſu receptas miſcere ac ſua quodammodo munire autoritate. Quapropter rurſum egregiam Reipublicæ navaſſe operam exiſtimandi ſunt illi, qui uno atque altero retrò ſeculo utiliſſimo labore ſingularum gentium, provinciarum, urbium illuſtrarunt leges, conſuetudines ac mores. atque haud ſcio, an non de arte juris præclarius

rius aliquantò promeruerint,quam ii qui post
tot magnorum autorum lucubrationes com-
munem jurisprudentiam, mole commenta-
tionum ferè laborantem, suis quoque inter-
pretationibus & divinationibus onerârunt
verius quam ornârunt. Optabili hercle nexu
felicissimæ contemplationi utilissimam jun-
xerunt actionem. quod quidem utrumque
(ut nobis antea memoratus Romanus sapi-
ens) natura nos facere voluit, & agere &
contemplationi vacare. Quis enim non vi-
det eosdem, cùm judicantibus litigantibusq;
circa juris patrii intellectum persæpe caligan-
tibus facem prȩluxerint, maximo Reipubli-
cæ, in qua degbeant, bono lites suâ naturâ
feraces non tantum imminuisse, sed & tem-
pestivius salubri definitione sustulisse? Cæ-
terùm quoniam in hoc genus scriptis suam
certa-

certatim probarunt induſtriam nationes aliæ complures, mirari animum ſubiit, quo malo fato hactenus noſtratium nemo Gelrię noſtræ laudabiles conſuetudines & mores ſuâ curâ dignatus ſit. Ipſa namque, quanta poteſt eſſe maxima, juris provincialis diverſitas, quod per ſingulas non tantùm tetrarchias, urbes, verùm etiam, penè dixerim, pagos variare conquerimur, hoc ipſum efflagitare videbatur. Nec defuere omni ævo viri prudentes, juris æquique conſulti, qui ut ſecundâ famâ, ita utiliter hanc operam patriæ impendiſſent. Unus equidem ſortem tam iniquam commiſeratus, vir immortali memoria dignus, Fredericus Sandius, noſtro ſeculo, felici auſu glaciem fregit in feudalibus provinciæ hujus conſuetudinibus; haud dubiè eandem in municipalibus præſtiturus di-

ligentiam, niſi vitę filo abrupto ſupremus rerũ arbiter prohibuiſſet. Teſtis hujus inprimis locuples utilis pariter & iucunda eiuſdem tractatio de Gelrica Effeſtucatione, quam ante ſexennium circiter cum capitum, quæ morte autoris deſiderabantur, ſupplemento & additionibus neceſſariis ad uſum communem è tenebris in lucem protraxi. Hujus ego laudabilibus veſtigiis cum inſiſtere experirer adeòque pro virili, ut bonum decet civem, publicum bonum promovere; edidi annis ab hînc duodecim juvenili, ut tum ætas erat, quodam impetu ad lucem Conſuetudinis Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Adverſariorum ſubciſivorum librum prodromũ, eundemq; etiam, interjecto poſtea triennio curâ ſecundâ repetii & auctiorem aliquantulùm reddidi. Qui labor quoniam ab omni homí-

hominum ordine tùm in patria tùm in conterminis provinciis & probaretur & verò etiam in fatis causarum, quæ apud tribunalia tractantur, editisque virorum doctorum libris gratâ quâdam memoriâ laudaretur; cohortantibus viris magnis ad communem natalis soli utilitatem majus aliquid, quatenus ingenii tenuitas suppeditabat, aggredi occepi. Quomodo enim tot tantisque testibus applaudentibus operæ pridem susceptæ pœnituisset? Aut quid obtrectatoribus, qui omni ævo egregiis conatibus obstitêre, cessissem? Oportunè utrobique occinebatur,

Excitat auditor studium, laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.


Isthunc etiam thesaurũ stultis in lingua sitũ esse, ut questui habeant, malè loqui melioribus.

 Neque

Neque convenit benè agendo delassari virum bonum, tùm eum præcipuè qui ex professionis regula & communi magistro præeunte malè volentibus benè facere jubetur. Hinc fiduciâ parilis successus animũ adjeci ad commentandum & illustrandum Reformatas consuetudines tetrarchiæ Velavicæ, cæteris patriæ scriptis consuetudínibus, contrà quàm hactenus nonnulli opínati sunt, haùd paulò accuratiores, uti mecum judícabunt quicunque justo examine collationem instituent. In eo autem audaciori fortè, quàm pro viribus, íncæpto ita porrò versabar, ut reliquis provinciæ hujus ac vicinarum gentium moribus cum Velavico jure collatis, communem quandam popularibus meis patrii juris prudentiam ante oculos ponerem. Nec omisi ad illustra-

ſtrationem ſpargere alicubi, ubi uſus, Gelricæ antiquitatis & politiæ veſtigia, permixtis tum juris Romani tum philologiæ floſculis convenientibus. Tametſi id præfiſcinè dictum velim aliiſque judicandum relinquere quid uſquam pręſtiterim; dummodò intelligant nihil à me dictum ſcriptumve, quod non rectiùs ſentientium judicio ſubmittam, adeòque paratiſſimum eſſe ubique ſtare ac cadere peritiorum æquâ cenſurâ. Vobis demum, Patriæ Rectores, quicquid hîc conatus ſum, conſecrare, dedicare & volui & debui. juſtiſſimâ etenim ratione pars aliqua ejus debiti, quo naturâ ac jure Patrię obligamur, eiuſdem Patribus deciditur. Quare quod in pręſenti, qua decet veneratione, offero vultu benigno accipite &, quod huc uſque divini

Numinis benignitate contigit, feliciter porrò regite, tum animi tum corporis viribus uſque & uſque valentes. Hoc vovet ex animo perilluſtri veſtræ Dignitati deditiſſimus. Dabam Noviomagi prid. Non. Mart. An. CIƆ IƆC XLV.



Amplißimo consultißimoque

VIRO,

D. LAMBERTO GORIS ICTO

ET

Syndico Neomagensi

S. P.

Vir amplissime,



QVem jam dudum avidè expectabam, de Effestucatione libellus, procurante D. Graphiario Sluiskenio, tandem ad me pervenit, & sine mora à me non raptim sed attentè ac diligenter lectus est. Ornasti sanè eum doctis & elegantibus additionibus, ac quæ desiderabantur satis feliciter, meo judicio, supplevisti. Multum tibi debeo, quod meo consilio hunc laborem in te suscipere, de memoria fratris mei tam benè mereri, insuperque libellum meo nomini honorificè ac supra mea merita inscribere dignatus sis. Hæc ut à benevolo affectu profecta mihi non possunt non esse grata & accepta. Quo nomine habeo gratiam maximam, cùm re ipsa referre non possim, pari tamen affectu pensaturus, si mihi data fuerit occasio. Næ tu publicè benè merebis, utilemque in foro Gelrico versantibus operam navabis, ac nomini tuo consules, si, quicquid temporis succisivi tibi supererit, ad explicandos & illustrandos alios juris patrii articulos contuleris. Quod ut facias pro amicitia nostra moneo ac rogo. Diu feliciterque vale.

Leovardiæ 15. Maii A. 1638.

T. Ampl. Studiosissimus

I. SANDIVS.

In

IN AMPLISSIMI DOCTISSIMIQ;
VIRI,
LAMBERTI GORIS J.C.
Syndici Noviomagensis, ad Consuetudines
Velauiæ Commentarios.

HAs chartas reverenter habe: plus ipse modestâ
Fronte, mihi, Lector, crede recessus habet.
Gorisides *Patriæ non soli jura clienti*
Asserit: augusto grandius urget opus.
Tota parum patula est satagenti Geldria: Geldro
Confines populos & sua scita docet.
Nimirum cum Sole docet quàm præstet inerti,
Terrenæ virtus cœlica, larga sui.
Nemo suis verò temerè diffidat agellis,
Cui natura negat, germinat arte solum.
En steriles caussata diu Velavia glebas,
Quantâ & vicinos fertilitate beat!

CONSTANTER.

IN
COMMENTATIONEM
Ad Consuetudines Velavicas &c.
AMPLISSIMI & CONSULTISSIMI
D. LAMBERTI GORIS J.C.
urbis Noviomagensis Syndici.

QVêis sinus Oceani frontem, Rhenusque bicornis,
Isalaque irriguum clausit utrumque latus.

Terga

Terga novo Rheni prætexit flumine Drusus,
Vndique securos ut tueantur aquæ.
Celtica desueti, sumant ut jura Quiritum,
Ne mage sint Romæ Barbara turba suæ.
Nec tamen inde suos mores posuere, nec illum
Prælusit mater quo sua cuique sonum.
Bis licet octonis nova currant flumina seclis,
Hic nondum Latia est cognita lingua foro.
Dissona sacratis reparatur quercubus Echo,
Nec genus hoc malit rostra superba sibi.
Gorisides *Themidem Velavas pandere leges,*
Ausonioque docet nunc prior ore loqui.
Hoc duce Barbaricæ quàm non sint discere Roma,
Et quàm jura suis nil leviora potest.
Mox eat, & magni libret molimina Drusi,
Gorisidis *calamo Drusica cura minor.*

IOAN. SMITH.
P. E. N.

GOSWINI STEENLERI
ICTI & Advocati.

Romanus servans juris, servansque decori
Præmia pro meritis æquiparata dabat.
Et pro servato præbebat cive coronam,
Cui à subjecto civica nomen erat.
Non minor, at major debetur laurea civi,
Cujus ope & studio civica jura nitent:
Nam facit ut melius non tantùm quæque sciantur,
Sed ut quisque queat rectius illa sequi.
Gaude docte Goris, *meritis ac nomine cresce,*
Et cresces cæptum si tibi crescat opus.

⁂ W.

WILH. WATER, J.L.

ET

ADVOCATI.

IN nodum tortas leges & jura Sicambris
Dum placet excultis explicuisse notis,
Oedipus es legum solvens ænigmata, juris
Et novus Alcides scrupea tesqua domans.
Nescio sed quid agas, agis hoc, si nescius haud sim;
Das documenta aliis, das nocumenta tibi.
Quæ vendunt alii juris Responsa, clienti
Largiris misero, munera nulla petens.
Non sibi sed patriæ natus, sed natus amicis,
Qui prodest aliis & nocet ipse sibi.
Vrget onus, sed surgit honos, liber iste laborque
Autori cingunt tempora fronde suo.
Burgundus sit gemma suis, sit Grotius orbi
Gemma, unus Gelris Vnio Goris erit.

Aliud ejusdem.

Cæca fuit quondam, sed adest Ophthalmicus, arte
Cujus & ingenio, nunc oculata Themis.

ARN. SLICHTENHORSTII

J. V. D.

QVà patet, hirsutos pandens Marsatia campos
Hirsuto pecori, capripedumque choris,
Vicinumque, truci cilio sublata, Batavum
Invidet è damnis luxuriare suis;

Horror

Horror erat paſſim, ſævique inſania belli
Armârat calidas ad ſcelus omne manus.
Nulla fides, myſtis non inſula, zona puellis,
Et ſtola matronis vix ſua tuta fuit.
Pectora barbaries, lolium poſſederat agros,
Aſperiorque ſuis montibus hoſpes erat.
Ceu pubes aſſueta feris Getula rapinis,
Aut Nomadum magnis gens peregrina Diis.
Illuſtres animæ, Pontei, Fulmina Martis,
Naſſavii Comites, Naſſaviique Duces.
Tuque ô Iuliaco peſſundate robore Bloſi,
Egmondæque potens, Arckuleumque genus:
Quernea ſervati vobis dent ſerta Sicambri,
Ænea per cunctas & monumenta vias.
Tum legum perculſa minis Vis Frausque receſſit,
Accinctum nudi nec tremuêre latus.
Hæc erat eſculeis latitans ſub frondibus hydra,
Humanos moriens dicta boaſſe ſonos.
Quique manu domuit monſtrum ferale Lupoldus,
Multorum capitum contudit ille feram,
Alcidesque novus, vitium procul omne relegans,
Iuſtitiæ noſtro Stator in orbe fuit.
Inde dati ritus, tabulisque adamante revinctis
Supplicium lêgit turba profana ſuum.
Verùm ſera dies dum plura negocia ſcriptis
Juſſibus, & ſpinis obſita cuncta docet,
Per labyrinthæos Lector ſibi fila receſſus
Voverat, & claram cæca per antra facem.
Reſpexêre Dii. calamos animumque reſumens
Goriſius, *cedro plurima digna refert.*
Progenitus, ſummum coluit quem Curia patrem,
Patre, nequit Gelris nempe deeſſe ſuis.

 Vt modo

Vt modò currentem, post tanta exordia rerum,
Sit pudor à tabula sustinuisse manum.
Debueras certè (neque enim movisse salivam
Sufficit) ad metas continuasse rotam,
Et solidas solido grates meruisse libello,
Nec nisi decurso tollere vela mari.
Munus grande Ducum, leges posuisse Velavis;
E tenebris totas eripuisse, tuum est.

JANI BORSII J.C. ET ADVOCATI.

DVm contendit Iber, Gallus, Germanus uterque
Cingere quis posset Daphnide fronde comam,
Ex his qui patrios ritus, afflictaque bellis
Iura suæ gentis doctius eruerent.
Hispani: Zuarez, Lopes, Molina, Cabedo,
Cancerus, Gomez, Costa, Segura, Perez.
Galli: Pontanus, Ferronius, Argentræus,
Duretus, Pyrrhus, Papo, Coquille, Boguet,
Sanso, Tiraquellus, Bessanus, Migno, Rebuffus,
Charondas, Pithou, Manduit atque Boër.
Germani: Scheplitz, Pistorum triga, Colerus,
Mollerus, Dassel, Berlichus, Heige, Zobel.
Belgæ: Christinen, Burgundus, Sande, Zypæus,
Herbajus, Nieustadt, Grotius ac Merula.
Ecce superveniens Goris *certamina Gentûm*
Finiit, & juris prẹmia prima tulit.
Namq; hunc ẹqua Themis multos superasse priorum
Dum cernit raris, ordine, luce, stylo,
Euge Sicamber, ait, meritâ potiere corona,
Qui, quod dant isti quattuor, unus habes.

Syllabus

Syllabus Capitum reformatæ Consuetudinis ac morum Velaviæ.

Cap. XX.

Errata & omißa ſuis locis corrigenda & addenda.

PAg. 53. lin. 1. adde in marg. 2. pag. 6. in gloſſ. lin. 5. lege axioma. pag. 62. lin. 10. l. teniſſe. pag. 66. art. 1. lin. 2. adde omiſſ. *viantſchap*. pag. 76. lin. 16. l. fecerit. pag. 152. art. 7. in tranſlatione latina lin. 7. adde omiſſum ſignum connexionis in voce, ſervata. pag. 163. in gloſſ. num. 2. lin. 11. poſt vocem ceſſit, adde omiſſa: *quatenus ſcilicet omnis rejicitur contradictio*. pag. 195. in gloſſ. lin. 9. l. executio. pag. 201. gloſſ. 4. lin. penult. l. alios. pag. 210. gloſſ. 2. lin. 3. l. Sainſon. pag. 216. gloſſ. 2. lin. 11. l. Quamvis. pag. 220. art. 4. lin. 9. l. aenlegger. pag. 247. in gloſſ. l. expreſſ. pag. 248. lin. 14. l. Covarruv. pag. 250. num. 5. lin. 2 poſt, ex cauſa, adde omiſſum: *art. ſeq. non comprehenſa*. pag. 259. gloſſ. 1. lin. 5. l. modum. pag. 278. art. 11. lin. penult. l. neceſſarium. pag. 304. lin. 11. l. fidejuſſori. pag. 305. lin. 9. l. reorum. pag. 314. lin. 16. l. inteſtato. pag. 334. lin. penult. l. productionis. pag. 397. num. 2 lin. 2. l. voluntarium. pag. 427. in gloſſ. lin. 1. l. ſolutum. pag. 427. lin. 23. l. ut.

Cicero libro 1. de officiis.

SEd quoniam (ut præclarè ſcriptum eſt à Platone) non nobis ſolùm nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, alius alii prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium adferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.

Lamberti



Lamberti Goris Jurisc.

Commentatio ad tres & viginti priores titulos reformatæ consuetudinis Velaviæ ejusq; oræ ad ripam Isulæ fluminis, partium Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, cum translatione textus vernaculi.

Reformatie der lantrechten und gebruycken van Veluwen und Veluwen-soom.

Dat I. Capittel.

Van den Drost und Richterampt und bekleyding der Bancken.

ART. I.

Erstelick sal de Drost van Veluwen und Richter van Veluwen-soom, die welcke in oeren bevolen Ampte woonen sullen, selfs in eygener persoone, of door een Riddermaetighen

Stadt-

Reformatio juris ruralis & consuetudinum Velaviæ ac ejus oræ extremæ.

Caput I.

De officio Satrapæ ac Iudicis deq; muniendo judicio.

ART. I.

PRimùm omnium Satrapa Velaviæ ac Judex oræ Velavicæ, in suis uterq; sibi demandatis præfecturis habitantes, aut ipsi aut per Equestris ordinis

vicari-

Stadt-houder, oock in Veluwen woonachtich und aldaer ge-erft und gheguedet wesende eenmael des jaers gichten und richten, und eenen yegelijcken lantrecht laten wedervaren.

Vicarium suum similiter in Velavia habitantem ac rerum immobilium ibidem possessorem semel in anno justitiam administrabunt ac cuiq; copiam juris ruralis facient.

Glossa 1.

SUMMARIA.

1. *Satrapam Veluanum officio suo fungi per vicarium & quando, ubi consonantes consuetudines.*
2. *Illius tamen periculo.*
3. *Ad vicarium transire omnia quæ ille potuit.*

1. OF *door een Riddermaetigen Stadthouder)* ‡ Quoniam secundum Julianum in *l.* 5 *ff. de jurisdict.* more majorum ita comparatum sit, ut is demum jurisdictionem mandare possit, qui eam suo jure non alieno beneficio haberet, satis cautè hoc loco nominatim exprimitur, posse satrapam & judicem Veluanum officio suo fungi per vicarium aut substitutum, cui consonat Reformat. Zutphan. *tit.* 1. §. 1. & denuò inculcatur *infr. h. cap.* §. 10. *junct. cap.* 20. §. 2. *&* 3. *infr.* Intellige tamen ex dict. §. 10. non aliter hoc admitti, quàm si arbitrio adsessorum judicii sonticam aliquam attulerit causam, cui ex
2. parte respondet jus Transisulan. *part.* 1. *tit.* 1. §. 2. *in fin.* ‡ Suo equidem id fieri periculo firmat text. in *l. Neminem.* 64. *C. de decurionib. lib.* 10. & judicatum refert in curia Tholosana Ioan. Papon. *lib.* 6. *tit.* 6 *arrest.* 1. atq; ita servari in supremo Mechliniensi consilio tradidit Paul.
3. Christin. *decis. Cur. Belg. vol.* 5. *decis.* 26. *num.* 17. ‡ Ad vicarium porrò vel substitutum in locum impediti vel demortui judicis omnia transire quæ ipse judex potuit breviter notat Petr. Costal. *in Advers. ad l.* 1. *ff. de offic. ejus cui mandata jurisdict. alleg. cap.* 3. *de offic. de legat. l.* 2. *C. de offic. ejus qui vic. alic. jud.*

Glossa

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Officiales oportere possidere immobilia in loco cui præsunt, confirmatur à pluribus.*
2. *Verba* ge-erft und geguedet *quid denotent.*

1. GE-*erft und geguedet*) † Idem hoc præscribunt Leges superioris Bataviæ, an. 1445. Arnoldi Ducis Gelr. & insular. Bommel. & Tiel. *an.* 1579. item Decret. Ordin. Gelr. in comitiis Arnhem. *an.* 1577 & ante hæc sollicitè sibi de eo inter cætera ab eodem Arnoldo Duce circa ejus inaugurationem caveri voluerunt senatus populusq; Noviomagensis cæteriq; Gelriæ Ordines *an.* 1423. in literis ejusdem Ducis, quæ extant apud Ioan. Isac. Pontan. *histor. Gelric. lib.* 9. quibus rursum consonat jus Transisulan. *part.* 1. *tit.* 1. §. 1. Et facit huc eleganter quod autor quidam anonymus disserit in nupero tractatu Gallico qui inscribitur, le Conseiller d'estat, ubi capit. 19. inquit: *Marc Aurele Philosophe & Empereur ordonna que les senateurs de Rome, qui n'estoient Italiens, auroient au moins le quart de leurs biens en Italie, afin de les rendre plus soigneux a penser a la conservation de la province ou estoit le siege de l'empire. Et Pline escrit, que Trajan Empereur auparavant avoit ordonné que ceux qui poursuivroient des offices, auroient le tiers de leurs biens en fond en Italie; ne trouvant raisonnable, que telles gens usassent de*
2. *Rome & d'Italie, comme d'une hostellerie & non comme de leur pays.* † Cæterùm verba hæc, *ge-erft und gheguedet*, ex usu & subjecto intelliguntur de his qui possident bona immobilia; nec sufficit habere mobilia, actiones, aut nomina quamvis paratissima: utcunq; & is aliàs rectè dicatur habere bona, cui eadem suppetunt, prout tractat Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit.* 1. *art.* 6. *not.* 3. *num.* 5.

ART. 2.

WElck Landt-recht alle jaer sal worden aengevanghen op den tweeden Maen-

ART. 2.

INitium hujus judicii fiet singulis annis altero quoquo die lunæ mensis

Maendach in Junio, ten ware dat die kentlijcken noot van d'oorloge tselve niet en wilde toelaten, in welcken gevalle die voorss. officiren by deliberatie van d'ordinaris Gedeputierden, het lant-gericht voor een tijt langh sullen mogen uijtstellen, Soo nochtans dat tselve evenwel binnen jaers (ist eenichsins mogelijck) synen voortganck gewinne.

mensis Iunii, nisi belli calamitas obstiterit: quo casu liberum erit prædictis officialibus habita consultatione cum ordinariis tetrarchiæ delegatis illud aliquantisper differre, ita tamen, ut intra annum peragatur, modò fieri possit.

ART. 3.

UNd in Veluwen-soom sal de Richter op den eersten dijns-dagh, nae dat de Drost uijtgericht sal hebben, beginnen te richten.

ART. 3.

POstquam Satrapa jus administrare desierit, proximè sequenti die Martis in Ora Velaviæ judicium cæptabit judex.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Primi diei juridici mutatio in alium ex consensu Ordinum.*
2. *Dies Martis* dingsdach *juridicus, ejusque etymologia.*

1. O*P den tweeden maendach)* ‡ Hic dies ad petitionem ordinis equestris & civitatum tetrarchiæ Velavicæ ex consensu Ordinum Gelriæ in comitiis Arnhemiensibus *anno* 1640. translatus est in secun-
2. dum diem Martis post Festum Paschatis. ‡ Estque is, de quo & *in hoc art.* 3. verè juridicus & litigiis dicatus, unde potius dicendus *dingsdach* quàm *diensdach*, ab antiquo *Ding* & *Dingen*, quod est judicium & judicare, ex quo *Holtgeding*, *Frygeding*, *Dingplichtich*, *Dingstoel*, *Dingtaele* & ejus generis similia vocabula. Marti autem creditur dicatus apud gentiles, quod is litibus & bello præsit. vide Ioan. Gryphi-

Gryphiandr. *tractat. de Weichbild. Saxon. cap. 59. num. 9. & 10. & cap. 65. num. 14.* Cornel. Kilian. *in Etymologico.*

ART. 4.

DIe drost und richter, als sy in maete wie voorss. richten und gichten willen, sullen dat selvige in alle kercken oerer ampten drie veerthien dagen te bevorens laeten verkondigen, op dat niemant daer van onwetenheyt hebbe voor te wenden.

ART. 4.

CUrabunt Satrapa ac judex, ut judicii habendi tempus in singulis suarum præfecturarum ecclesiis tribus antè quatuordecim dierum intervallis proclametur, ne quisquam ejus aliquam ignorantiam prætexere queat.

Glossa.

SVMMARIVM.

1. Loci consonantes ex consuetud. Zutphan. & historia Gelrica.

1. † HUic consonat Reformat. Zutphan. *tit.* 1. § 1. *vers. Dan nae voorgaende &c.* & pertinet eòdem quod sub Arnoldo Duce Gelriæ *ad annum* 1446. observat Ioan. Isacius Pontan. *histor. Gelric. lib.* 9. *Estque hoc temporis tractu* (inquit) *Ordo sive modus consignatus, qui per universam Velaviam oramq; ejus extremam, vulgò Veluwe-soom dictam, servaretur in jure dicundo, cum vel præsens vel etiam absens esset Dux ipse, decretumq; ut Satrapa Velaviæ ac Judex Arnhemiensis sex antè septimanis id ex Ducis mandato denunciari in ecclesiis suarum præfecturarum curarent.*

ART. 5.

UNd sal de Drost ofte Richter voorss. sich tytlicken, tusschen acht ofte negen uren, immers by climmende Sonne in den ampten, op den oerden daer hy gericht halden wil verschynen, om de Ghe-

ART. 5.

SAtrapa judexve prædictus, in sua quisque præfectura, tempestivè, horam intra octavam & nonam matutinam, aut saltem Sole adhuc ascendente, in loco judicii

de Gherichtsbanck aldaer te spannen, und van weghen des heeren te richten unde te gichten und eenen yeghelicken Lantrecht te laeten wedervaren.

cii habendi comparebit ad muniendum tribunal ac administrandũ cuique vice Principis jus & justitiam.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Consuetud. consonantes.*
2. *Res maximè seria rectius manè expeditur, ubi locus Hesiodi & Imp. Caroli Magni,*
3. *Idq; à veteri instituto Romanorum.*
4. *Singulare circa hoc ex transactione Ducum Gelriæ & Cliviæ.*
5. *Sentententia an noctu ferri possit de jure communi remissivè, quid moribus.*
6. *Quibusdam casibus noctu jus rectè dici.*

1. *Immers by climmende Sonne)* ‡ Huic consonant Reformat. Zutphan. *tit.* 1. § 2. leges imperii Noviomagens. *an.* 1532. & superioris Ba-
2. taviæ Caroli Ducis Gelriæ *an.* 1493. ‡ Et sanè quò quæq; res est gravior ac magis seria, hoc commodius manè quàm à prandio expeditur, vel teste Hesiodo, qui monet ut sub auroram operi accingamur. Cui in hac materia dignè prospexit Carol. Magn. Imp. *in capitular. lib.* 1. *cap.* 62. *in fin.* dum inquit: *Rectum autem & honestum videtur ut judices jejuni
3. causas audiant & discernant.* ‡ Vetus verò hoc institutum ab antiquis Romanorum moribus creditur manasse, quorum in legibus duodecim tabularum, referente A. Gell. *noct. Attic. lib.* 17. *cap.* 2. inter cætera caput est: *Ante meridiem causam conjiciunto. Post meridiē
4. præsenti litem addicito. Sol occasus suprema tempestas esto.* ‡ Singulariter in transactione *an.* 1538. *art.* 20. inter Carolum Gelriæ & Ioannem Cliviæ Duces permittitur, ut judex tam ante quàm post meridiem pro tribunali sedeat, quod hic dicitur, *die bancke spannen*, in locis scili-
5. cet ubi antehac pomeridiano solùm tempore fieri solebat. ‡ Ex quo moribus

moribus noſtris controverti deſinet, an ſententia à judice noctu ferri poſſit, de quo *apud gloſſ. in l. More Romano. 8. ff. de feriis, Novell. 82. cap. Sedebunt 3.* Hieron. de Cævall. *Spec. aur. commun. Opin. contr. commun. queſt. 670.* Neque uſquam in patria obſervatum memini nocturno tempore aliquam fuiſſe latam Sententiam, ac notabile eſt *in §. 9. hujus cap.* non noctis ſed lucis aut diei fieri mentionem, in verbis: *of hy op eenen dach niet uytrichten en konde*, item, *of hy des anderen daechs wederom te gericht ſitten mach.* Ad hæc cum Sententia palàm ac publicè ferenda ſit *per l. cum ſententiam. C. de Sentent. & interlocut. omnium judic.* noctu nequaquam ferri poteſt, ſiquidem quæ noctu fiunt clam & occultè fieri intelliguntur *l. 1. ff. de furt.* Cævall. *dict. loc.* Vtcunque aliàs, teſte Menochio poſt alios *de arbitrar. judic. quæſt. lib. 1. quæſt. 62. num. 2.* cenſeri poſſit, illud magis ex honeſtate quadam
6. quàm neceſſitate fuiſſe introductum. ‡ Unde rurſum, præeunte Bertrand. Argentræ. *ad conſuetud. Britan. art. 20. Not. 1. num. 6.* non tam præciſè ſtatuendum erit, quin aliquando noctu jus dicere liceat, veluti ſi partes conſentiant, neceſſitas urgeat, delicti inquirendi vel vindicandi ratio poſtulet, aut dies cognitionis exitura ſit, aliiſq; caſibus, de quibus *Jaſon in d. l. More ff. de fer.* adde *§. 7. infr. h. tit.*

ART. 6.

Als de Droſt ofte Richter die verkundigung alſo in alle kercken heeft laeten doen, unde ſich tytlicken ter eerſter bancke, als voorgemelt, vinden laet, ſal hy voor eerſt een oordeel vragen of hy ſich te goedertyt in den ampt und aen den gerichte verſchynicht hebbe, und of hy richten und gichten mach, die daer op wijſen ſal voor recht, jae, naedemael dat het gericht in alle ampts kercken is doen kundigen, oock dewijl hy

ART. 6.

PRæmiſſâ modò dicta denunciatione in eccleſiis Satrapa Iudexve in tempore comparens, primùm quidem rogabit ſententiam ſuper eo, an tempeſtivè ſatis in prefectura ſua ac loco judicii comparuerit, item an jus dicere liceat. Cui de jure reſpondebitur, ita eſſe, poſtquam judicium habendum in ſingulis præfecturæ ſuæ eccleſiis fecerit proclamari, ac poteſtatem

hy de macht heeft van wegen des heeren, unde by climmende Sonne ter goeder tyt in den ampt erschijnt, oirkondt gherichtsluyden N. und G. dier ten minsten twee wesen sullen.

testatem habeat à principe, cumq; Sole adhuc ascendente in tempore compareat. testibus judicialibus N. & G. quorum minimùm duo erunt.

ART. 7.

NOch sal hy een oordeel bestaden und vragen, of hy soo wel met dalende Sonne, als met climmende Sonne mach richten und gichten, und eenen yederen lantrecht laeten wedervaren, daer de gerichtsman op wijssen sal voor recht, jae, naedemael dat het de Drost und Richter te goeder tyt met oordeel und recht bedongen heeft.

ART. 7.

ADhuc rogabit sententiam, an tam declinante quàm ascendente Sole jus dicere justitiamq; cuiq; administrare licitũ erit. cui Judicialis de jure respondebit, licere, ex quo in tempore sibi per sententiam de eo prospexerit.

ART. 8.

ITem sal de Drost ofte Richter noch een oordel vragen, of hy soo wel onder dacks als buyten dacks mach richten unde gichten und yegelicken lantrecht laeten wedervaren, daer op de gerichtsman wijssen sal, jae, naedemael hy dat te goeder tyt met recht bedongen heeft.

ART. 8.

SImiliter rogabit Satrapa judexve sententiam, an sub tecto juxta ac sub dio jus dicere licebit. Cui judicialis de jure respondebit, licere, cum in tempore illud per sententiam jam obtinuerit.

ART. 9.

NOch sal de Drost ofte te Richter een oordel vragen, of hy op eenen dach niet uyt richten en konde, overmits mennichvuldicheyt ofte swaericheyt van saken, of hy des anderen daechs wederom

ART. 9.

ROgabit præterea Satrapa judexve sententiam, si per negotiorum multitudinem vel difficultatem unico die judicio defungi non possit, an & sequenti pro tribunali

wederom te gerichte ſitten mach, daer op de gerichts-man ſal wijſen jae, naedemael hy dat te goeder tyt bedonghen heeft~.

bunali ſedere licebit. Cui de jure reſpondebit Iudicialis, licere, cum in tempore per ſententiam obtinuerit~.

ART. 10.

NOch ſal de Droſt ofte Richter een oordel beſtaden und vragen, of hy eenen anderen in ſyn plaets ſetten mach, om des heeren bruecken in te maenen ofte anderſins te richten und gichten met eenen volmechtigen richter, und daer nae wederom te mogen ſitten und richten, als hy te vorens gedaen heeft, daer die gerichtsman op wijſen ſal voor recht, dat hy om des heeren bruecken in te winnen met eenen volmechtigen richten mach, anderſins met eenen volmechtighen Stadtholder te richten ſal hy buiten nootſaecken, die ſtaen ſullen tot erkenteniſſe des gerichts, niet doen mogen~.

ART. 10.

ITem rogabit Satrapa Judexve ſententiam, an per alium mulctas dominicas exigere, aut aliàs per vicarium jus dicere, ac rurſum priorem iudicandi locum occupare licebit~. Cui de jure reſpondebit Iudicialis, quod in exigendis prædictis mulctis vices ſuas alii mandare poſſit, cæterùm aliter per vicarium jus dicere nequeat, quàm ſi neceſſitas exigat arbitrio judicii diſcernenda.

ART. 11.

ITem de droſt ofte richter ſullen de Banck bekleeden met goede luiden van de Ridderſchap in elcken ampte woonachtich, und ſullen daer toe tytlick ſchrijven aen de Hooft-ſtadt Arnhem und mede aen die kleyne Steden, om oere Raets-vrunden daer by te ſchicken, na older gewoonten, ſoo wel in Veluwenſoom

ART. 11.

SAtrapa etiam Iudexve munient tribunal viris ex ordine equeſtri honeſtis in ſua cujusqúe præfectura habitantibus. Adhæc in tempore per litteras ſignificabunt tum urbi primariæ Arnhemiæ, tum cæteris urbibus minoribus, quò ſuos ex ordine Senatorio eòdem

soom als in Veluwen, des sullen oock de Ridderschap in elcken ampt ge-erst und residerende gehalden wesen de gerichten met die Stedenvrunden te helpen bekleeden, oock het gericht te volghen, daer men oerer van doen sal moghen hebben op dat die justitie des toe statelicker und bequamelicker bedient moge werden.

ART. 12.

SVllen oock die Stedevrunden by het omsitten continuiren und verbliven tot datter t' samen uyt gericht sal zijn.

ART. 13.

OOck sullen sich de Drost und richter alle tydt daer nae stellen, dat sy twee voorspraecken aen alle Banckẽ hebben, daer van sy den eenen, die in saken van des Heeren breucken dienen sal, verplegen sullen.

mittant iuxta antiquam consuetudinem tam oræ Velavicæ quàm ipsius Velaviæ. Tenebuntur præterea equestris ordinis viri in qualibet præfectura immobilium possessores ac habitantes cum delegatis urbium judicia munire ac sequi quòcunque eorum operâ usus fuerit, ut tantò magnificentius ac commodius justitia administretur.

ART. 12.

IPsi urbiũ delegati similiter continuabunt ac permanebunt donec omninò desierit judicari.

ART. 13.

CUrabunt insuper Satrapa Judexquè ut in singulis tribunalibus duos habeant causidicos, quorum alter agens causam dominicarum mulctarũ propriis illorum impendiis aletur.

Glossa.

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo consonans & locus ex Cranz.*

QUæ in his articulis tractantur plana sunt, ideoque facem iisdem accendere frustra fuerit & hominis otio abutentis. Conferatur modò

modò Reformat. Zutphan. *tit.* 1. §. 2. 3. *&* 4. & geminum ferè de solenni modo rogandi sententias, quod legitur apud Cranz. lib. 6. Saxon. 38. *Imperator* (inquit) *procedens in concionem de more proceres scisscitatus est, sententiam quærens &c.*

Dat II. Capittel.	Caput II.
Beruerende des heeren breucken ende gewalt in't gemein.	De mulctis dominicis ac vi in genere.

Ad rubricam.

SVMMARIA.

1. *De vocabulo* breucke *&* boete.
2. *Mulctæ & pœnæ differentia.*

1. BReucke* aliàs *Boete* Latinis dicitur mulcta, Gallis verò *amende*, Saxonibus *Wette* item *büße*, quamvis autore Ioan. Ruding. *Singular. observat. cent.* 5. *cap.* 59. vocabulum *büße* propriè sit mulcta quæ læsis penditur, *Wette* autem quæ solvitur iudici. Proclive est idem iudicium de vernaculis nostris *Breucke & Boete*, licet hæc ut illa sæpe confundantur.
2. † Mulcta porrò, tametsi promiscuè nonnunquam pro pœna usurpetur, in jure quatuor modis ab eadem differre dicitur. Primò, ut species & genus: Secundò, materiâ: Tertiò, virtute & effectu: Quartò denique causa efficiente principali, quomodo accuratè tractat Ulpianus *in l. Aliud Fraus.* 131. §. 1. & ibi eleganter Ioan. Gœdd. *ff. de verbor. significat.* Cui addatur Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit.* 1. *art.* 33. *not.* 3. *num.* 1. *&* 2. ubi observat jure civili mulctæ ac pœnæ differentias plures tradi foro quidem ignotas, attamen non inutiles propter diversos effectus, ac inprimis quod mulcta nunquam

 infami-

infamiam irroget, cum sæpè contrà sit in pœna *l. 1. C. de mod. mulct. & C. infames. 3. q. 7. §. Porrò. & § Notandum 2. q. 3.* P. Math. Wehner. *practic. observat. lib. singular. verb. Bussen.*

ART. 1.

ITem sullen des heeren breucken ingevordert werden, soo balde de Banck gespannen und dat Ghericht becleet is, eermen tot eenige andere saecken voortschride, op dat de heer in syn breuken niet verkort, und partijen in oere volle defensie onvernaedeelt mogen werden, sonder dat de breuckhaftighen eenighe uytvluchten, terminen ofte verlenghe-rongen sullen hebben, nemen of ghenieten moghen meer und anders dan van olts ghebruickelick is.

ART. 1.

CUm primùm iudicium munitum fuerit, antequam ad alias causas procedatur, exigentur mulctæ dominicæ, ut ne in iis Domino iniuria aut reo in defendendo præjudicium adferatur. Nec dabuntur mulctando ullæ exceptiones, termini aut dilationes plures quàm quatenus antiquitus consuevit.

ART. 2.

DIe breuckhaftige inwoonderen van die respective ampten sullen by gewoontlicke Kerckenspraecke, und d' andere breuckhaftige buyten ampts woonende aen haere persoonen ofte woonsteden ghebadet worden.

ART. 2.

INcolæ cujusque præfecturæ mulctandi consueta denunciatione in ecclesia, cæteri autem extranei vel personaliter vel in loco habitationis citabuntur.

ART. 3.

SOo eener voor heeren breucken, nae voorgaende bading, aenghesproecken worden, und die selve sich daer vã met recht vry bedingden und ontledichden, soo en sal hy niet schuldich syn by

ART. 3.

QUandocunque quis prævia citatione mulctæ nomine conventus in judicio absolvitur, non tenebitur adire scribam aut matriculam mulctarum, quò data

by den breuckschriver ofte breuckboeck te gaen, synen naem daer uyt te lossen, noch den schriver eenich gelt daer van te geven, maer sal de breuckschriver by synen eedt gehalden syn, de naemen der vry gewesenen by sittenden gericbt uyt te doen, und sulx niet te laeten verwijlen.

ART. 4.

ITem achtervolgende den onverdenckelicken olden gebruyck, sal eener alleen lijf of goet kunnen verbreucken, und nae syn af-sterven sullen syne erfgenaemen syn goet moghen aentasten, hebben und beholden.

ta pecunia nomen suum inde expungatur: Sed cogitur idem scriba sub præstito semel juramento sine mora ac durante adhuc judicio nomina absolutorum delere.

ART. 4.

IUxta antiquam & quæ memoriam hominum excedit cosuetudinem quilibet delinquendo vel corpus solùm vel bona perdet, habebuntq; ac percipient defuncti hereditatem heredes quiq; sui.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Post pœnam corporis non habere locum bonorum confiscationem. quod confirmatur á consuetud. consonant. & iure.*
2. *Multi putant idem ubique locum habere, aliis contradicentibus, præsertim Gallis.*
3. *Contraria communibus Gelriæ moribus in bonorum confiscatione consuetudo toparchiæ de Gendt.*
4. *Quid de expensis criminalis judicii statuendum, ubi nulla bonorum confiscatio.*
5. *Utrum moribus Gelriæ confiscatio bonorum obtineat in crimine læsæ majestatis.*
6. *Isto casu solùm publicari ea quæ reus tempore condemnationis plenè possidet.*

1. *ITem achtervolgende &c.)* ‡ Antiquam non solius Velaviæ, sed totius Gelriæ, cujus meminit hic art. 4. consuetudinem benè exprimit Ioan. Isac. Pontan. *histor. Gelric. lib.* 1. dum inquit: *In legibus ac moribus ista ferè habent Gelri peculiaria ac memoratu digna: Nam cum alibi, qui capitalis alicujus delicti reus, non vita modò sed & bonis multetur, apud Gelros altero tantùm plectitur. Qui enim vitæ supplicio afficitur, is mulctam aut confiscationem bonorum non adit; & viceversa, cujuscunque bona publicantur, vita non luit.* Consonat *art. 7. in fin. tit. 13. infr.* Reformat. Zutphan. *tit. 11. §. 17. vers. Men sal. & §. 19. eod.* Jus Transisulan. *part. 2. tit. 22. §. 2.* Instruct. Cur. Ultrajectin. *tit. de process. criminal. art. ult.* & communis consuetudo totius ferè Belgii testib. Damhouder. *prax. criminal. cap. 66.* & Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib. 5. cap. 15. §. Videamus quid moribus hodiernis.* adde ex jure cæsareo
2. *Authent. Bona damnatorum. C. de bon. proscriptor.* ‡ Et multi magni nominis juris interpretes asserunt hanc confiscationem sive publicationem bonorum in quibuscunque criminibus toto orbe exulare, excepto solo crimine læsæ majestatis, quos longa serie recenset Regner. Sixtin. *tractat. de Regalib. lib. 2. cap. 12. num. 93.* utcunque *ibid. & num. seq.* contrarium demonstret, sicut etiam Wesenbec. *in paratit. ff. de bon. damnator. num. 6.* & passim interpretes consuetudinum Gallicarum, quibus vulgatum est, *qui confisque le corps, confisque les biens.*
3. ‡ Cui rursū convenire & à memorata modò communi Gelriæ consuetudine quodammodo abire videntur tabulæ legum civitati & toparchiæ de Gent in superiori Batavia à Wilhelmo Gelriæ Duce an. 1382. concessæ, ubi inter cætera habetur: *Ende hedden die geene, die den dootslach gedaen hedden, echte getrouwde wijven ofte kinderen, daer tegen souden wy dat goet dat oire was deilen, daer af sullen wy de eene helfte hebben, ende die andere helfte soude wijve ofte die kinderen hebben,* id est, *Et homicidarum conjugatorum bona cum uxoribus liberisve eorum partiemur, recipientes nobis inde semissem unum, relicto altero semisse prædictis aut uxoribus aut liberis.* ‡ Quibusdam autem visum est, cum damnatorum
4. bona heredibus ex consuetudine relinquuntur, non eo minus prohiberi judicem ex iis deducere justas & moderatas criminalis judicii expen-

expensas, itemque iis quorum interest damni à condemnato illati reparationem civilem, prout similem nostræ consuetudinem interpretatur Francisc. Ragueau *ad consuetud. Bituricens. tit. 2. art. 3.* Sed cum apud nos nihil de eo definitum reperiatur, neque in odiosis facilè sit admittenda extensio, meritò quo ad litis criminalis expensas contrarium tenebimus arg. *l. Suo victu. 18. ff. de oper. libert.* cui accedit *constitut. Criminal. Imp. Carol.* V. *cap. 204. in fin. & cap ult. ubi in not.* Bernard. Zieritz. post Chassan. Boer. & Jul. Clar. Christoph. Besold. *part. 2. cons. 36. num. 2. 3. 4. & 5.* vide latè Math. Berlich. *practicar. conclus. part. 4. conclus. 19.*
5. ‡ Quæri verò non inutiliter potest, an, ut jure civili, ita & moribus Gelriæ in crimine læsæ majestatis, non obstante præsenti textu admittatur bonorum confiscatio? Sanè meo tempore, dum nondum ex ephebis excessissem, unum alterumve notavi exemplum, quo ejus qui perduellionis aut læsæ majestatis erat damnatus bona in Fiscum sunt redacta, gratiâ tamen Ordinum in comitiis postmodum erepta. Probat preterea sententia Ordinum lata Arnhemiæ in comitiis *an.* 1539. item altera lata Noviomagi ab iisdem *anno* 1538. nec non decretum eorundem Ordinum in Comitiis Noviomagensibus *anno* 1613. quo parricidæ bonis privantur, & denique codicilli Arnaldi Ducis Gelriæ *an.* 1441. apud dict. Pontan. *histor. Gelric. lib.* 9. quibus raptor violentus capitis & bonorum reus pronunciatur. Et simile quid in crimine læsæ majestatis habet consuetudo Bituricensis *tit. 2. art. 2.* ubi aliquot consonantes consuetudines adducit Francisc. Ragueau. Dixi jam antè in *Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat. 1. cap. 4. num.* 11. quibus pro pleniori hujus materiæ cognitione præ aliis iungendus Ioan. Bodin. *de Republic. lib. 5. cap. 3.*
6. ‡ Scire denique convenit hoc casu publicari tantùm bona rei quæ tempore condemnationis possidet, non autem quæ aliquando habiturus esset, nec jura, ut ita dicam, conditionalia, aut bona restitutioni vel substitutioni obnoxia, item alienari prohibita, quæq; lege familiæ alicui debentur Francisc. Ragueau *dict. loc. vers. Et ceste confiscation &c.* Boer *ad easdem consuetud. Bituricens. tit. 2. §. 12. gloss. 2.*
num.

num. 3. *cum seqq.* ubi latè *per mult. allegat.* Bodin. *dict. lib.* 5. *de Republ. cap.* 3. Christoph. Besold. *part.* 3. *consil.* 95. *quæst.* 3. *per tot.*

ART. 5.

Ock en sal niemant meer verbreucken, dan syn selfs goet, niet syns wijfs ofte kinder goet.

ART. 5.

NUllus etiam nisi propriis, non verò uxoris aut liberorum bonis mulctabitur.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Conjugem ob delictum conjugis propriis bonis non mulctari, ubi consonant consuetud.*
2. *Declaratur per distinctionem.*
3. *Bonis mariti confiscatis non perdit uxor quæ lucrari solet ex pactis nuptialibus aut consuetudine patriæ.*

1. NIet syns wijfs) ‡ Cum amplissima tum commodorum tum incommodorum inter conjuges sit communio ex consuetudine, uti tractavi *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat.* 1. *cap* 4. non absque ratione quis subdubitare posset, an non ob delictum mariti suis etiam bonis mulctetur uxor? Cui occurrit hic textus negantem sententiam amplectendo, & consonant Reformat. Zutphan. *tit* 1. §. 17. *in fin.* leges municipal. tetrarch. Ruremund. *part.* 6. *tit* 2. §. 7. *art.* 7. *&* 10. tabulæ legum superioris Bataviȩ Ducis Wilhelmi *an.* 1383 item Reinoldi Ducis *an.* 1403. Consuetud. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 22. §. 2. nec non Hollandiȩ, de qua Hug. Grot. *Introduct. ad juris-*
2. *prudent. Holland. lib.* 1. *cap* 5. *tot. tit. Cod. Ne uxor pro marito.* ‡ Ad intellectũ verò memineris distinctionis, de qua egi *in dict. Adversar. meis. cap.* 4. inter graviora & leviora delicta. In gravioribus, puta crimine læsæ majestatis aut parricidii, confiscatio nullo modo imminuet bona

bona uxoris eritque ita generaliter exaudiendus hic textus juxta mentem Ordinum Gelriæ in ſententia quadam lata in comitiis Noviomag. *an.* 1538. contra Præfectum Bommelienſem: At in levioribus delictis, vix eſt ut propter univerſalem omnium rerum inter conjuges communicationem levi aliquo crimine haud diſſipatam non poſſit non eſſe damnum quoque uxoris, ita tamen ut ſoluto matrimonio repetat quod mulctæ nomine pro marito ſolverit. Ac hoc etiam ſentit & eleganter confirmat Georg. Louet *in arreſt. lit. D. §. 31. vers.*
3. *Pour la conciliation &c.* ‡ Ex quo porrò ſequitur ut condemnato marito atque ejuſdem bonis, quatenus per conſuetudinem noſtram fieri poteſt, publicatis ſalva maneant uxori quæcunque vel pactorum antenuptialium vel legum patriæ beneficio habere poteſt. Eſtque aliàs jure communi cognitum, propter crimen viri aut dote, aut donatione nuptiali non plecti uxorem *l. ſi quis. 9. C. de bon. proſcriptor. Authent. Bona damnator. eod.* Georg. de Cabed. *practic. obſervat. part. 1. decis.* 183. Roland. à Valle *tractat. de lucr. dot. quæſt.* 59. Franciſc. Ragueau *ad conſuetud. Bituricens. tit. 2. art. 1. vers. le mary condamné. & vers. Quand le mary.* Plura ſi libet petes *ex dict. Adverſar. meor. tract. 1. cap.* 4. ubi latius hanc materiam proſecutus ſum.

Gloſſa II.

SUMMARIA.

1. *Confirmatur liberos non privari bonis ſuis ob delicta parentum.*
2. *An moribus Gelriæ locum habeat* l. Quiſquis. C. ad leg. Iul. Majeſtat.

1. OFte *kinder goet*) ‡ Conſonat *tit. Cod. Ne filius pro patre. l. Crimen. 26. ff. de Pœnis. l. 2. §. 7. ff. de decurionib.* & facit illud Auguſtini *epiſt. 23. ad Bonifac. Cum homo* (inquit) *in ſe ipſo eſt, ab eo qui genuit eum alter effectus, peccato alterius, ſine ſua conſenſione, non tenetur obnoxius.* Pœna etiam criminis culpam neceſſariò præmittit, alioqui pœna

non est, sed potius injuria, quæ naturali rationi repugnat, prout tractat Covarruv. *variar. resolut. lib. 2. cap. 8. in princip. vers. Eaq; ratio.*
2. vide eleganter Mornac. *ad. d. rubric. C. Ne filius pro patre.* ‡ Quid autem, anne per hunc textum exulabit *l. quisquis. C. ad leg. Iul. Majestat.* qua liberi ob majestatis crimen à parente commissum omnibus privantur emolumentis, addita severitate, *sint postremò tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium & vita supplicium?* Negare equidem haud absque ratione quisquam poterit, tum ob delicti gravitatem Covarruv. *dict. loc. num. 1. vers. tertiò.* tum etiam metum quẽ ab ejusmodi delinquentium liberis habent leges *dict. l. quisquis. §. filij.* Alciat .*de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 34.* tum denique ad terrorem omniũ qui similia adversus salutem Reipublicæ unquam moliri cogitabunt. Quò pertinet illud Ciceronis *epist. 12. ad Brutum: Nec verò* (inquit) *me fugit, quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui. Sed hoc præclarè legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet.* Et iterum ad eundem *epist. 15. Dixi igitur sententias in Antonium, dixi in Lepidum severas: neque tam ulciscendi causa, quàm ut in præsens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem: & in posterum documentum statuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. quanquam hęc quidem sententia, non magis mea fuit, quàm omnium. In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit. Sed id & antiquum est, & omnium civitatum: Siquidem etiam Themistoclis liberi eguerunt.* Vid. præcipuè post alios Covarruv. *d. cap. 8. variarum resolut. lib. 2.* Novi tamen exempla quibus liberi ob damnatum patrem paterna quidem exciderunt hereditate, at nequaquam materna, avita, proximorumq; successione ac cæteris lucris, ut vult *d. l. quisquis.* indigni sunt habiti. Quod proximè videtur accedere ad mentem hujus statuti, quo quis suis non liberorum suorum bonis mulctatur, analogia quadam ad illud Ezechiel. *cap. 18. vers. 4. Filius non portabit iniquitatem patris.* Quæ moderatio vel eo magis placere debet, quod odia potius sint restringenda, quàm amplianda *cap. Odia. 15. de reg. iur. in 6. & ibid. Dijn. ac Peck.*

ART. 6.

ART. 6.

Soo wanneer een breuck-haftigher quaem af te sterven, eer hy met recht aengesproken were, sal de actie und breucke met hem ghe-extinguiert und doot syn. Maer soo hy met doot affiele nae dat de aenspraeck op hem geschiet were, und hy ten rechten ge-antwoort had, süllen syn erfghenaemen schuldich syn vã synent wegen het recht op de geltbreuck voort af te wachten, und het gewijsde te voldoen.

ART. 6.

SI mulctandus moritur antequã in judicio conventus fuerit extinguetur actio mulctaque: sed si post institutam actionem & subsequutam responsionem juridicã in fata concedat tenebuntur heredes vice ejus sententiam super mulcta pecuniaria ferendam expectare ac judicato satisfacere.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Defuncto reo pœnam extingui, nisi in judicio conventus sit.*
2. *Idem, si moriatur ante litem contestatam.*

1. *Soo wanneer een breuckhaftiger &c.)* ‡ Sensus est, mortuo mulctando, antequam is in judicio conventus sit, extingui cum eo actionem ac mulctam imponendam. Pro regula enim pridem traditum est, defuncto criminis reo pœnam quoque extingui *l.* 3. *&* 6. *ff. de public. judic.* Sebast. Medic. *tractat. Mors omnia solvit*. *part.* 2. *conclus.*
2. 78. Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 78. ‡ Sed quid si reus vivus quidem ad judicium vocatus, lite tamen nondum contestata mortuus sit, perimetur ne similiter hæc actio? Hoc puto ex ipso textu hujus §. in verbis sequentibus, *und hy ten rechten geantwoort had*, quibus innuitur non transire in heredes rei actionem hanc antequam is in judicio responderit. Quod equidem nihil aliud est, quàm si diceres, ante litis contestationem, utpote quæ facta demum intelligitur,

quando causa agi disceptarique cæpta est per actionem propositam & responsionem rei subsecutam *l.* 1. *C. de litis contestat. cap.* 1. *extr. eod.* Wesenbec. *paratit. ff. de judic. num.* 7. & confirmat Gomez. *dict. part.* 2. *resolut. cap.* 1. *num.* 84.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Post litis contestationem defuncto reo tenentur ejusdem heredes quo ad pœnam pecuniariam.*
2. *Tractatur quæstio an & quatenus reo contumace defuncto ejusdem heredes ad pœnam pecuniariam teneantur.*

1. M*Aer soo hy met doot afviele &c.)* ‡ Reo post litis contestationem demum defuncto, peragitur judicium cæptum adversus ejus heredes quoad pœnam pecuniariam, tenenturque iidem judicato satisfacere. Cui non dissimilis textus *in* §. *Non omnes.* 1. *Institut. de perpet. & temporal. act. l. omnes.* 26. *ff. de obligat. & act. l. Ex judiciorum.* 20. *vers. Ex cæteris verò. ff. de accusat. l. unic. C. Ex delict. defunct. in quant. hered.* Gomez. *d. tom.* 3. *resolut. cap.* 1. *num.* 84. Cacheran. *decis. Pedemont.* 149. Omnes siquidem actiones quæ morte aut tempore pereunt semel inclusæ judicio salvæ permanent *l.* 139. *& l.* 164. *ff. de reg.*
2. *jur.* ‡ De eo autem quæri hic potest, an reo contumace defuncto mulctæ hujus pecuniariæ executio rectè fiat in ejusdem heredes? Dubium movet quod hic textus exigat litis contestationem, quæ cum reo contumaciter absente nulla esse dicitur. Et quamvis reposueris, quod contumax pro confesso ac multò magis pro respondente, unde litis inducitur contestatio, habeatur: non tamen ita te expedieris, quandoquidem commune sit Dd. placitum, in criminalibus contumacem pro confesso aut convicto non haberi Jul. Clar. *lib.* 5. *sentent.* §. *fin. quæst.* 44. *num.* 2. Ac dato quod ex contumacia resultet aliqua confessio, fictam tamen eam esse nemo non fatebitur, adeoque non transi-

transſire ad heredes ex doctrina Bartoli *in l. Ejus qui delatorem. ff. de jure fiſci*, quam pluribus firmat Cacheran. *decis. Pedemont.* 106. Verùm his non refragantibus verior videtur ſententia, prædictam mulctam à defuncti contumacis herede peti poſſe, modò eadem per ſententiam contra illum fuerit definita: Siquidem, ex mente Baldi *in l. un. C. Ex delict. defunct.* & pœna transſmittitur in heredes propter ſententiam, ubicunque confeſſio ficta tranſit in condemnationem, ſecundum quod in ſenatu Pedemontano judicatum refert Cacheran. *dict. decis.* 106. Nec rurſum obſtat, contumacem in criminalibus pro confeſſo non haberi ideòque abſentem non rectè condemnari, quoniam (ut loquitur Jul. Clar. *dict. loc. vers. Hanc tamen concluſionem.*) *hoc ſolùm verum eſt, quando venit imponenda pœna corporis afflictiva, non verò quando relegationis aut eâ minor*, qualis dici queat hæc pecuniaria, eamque poſt Bald. & Salicet. communem aſſerit eſſe opinionem *ibid. dict. Clar.* Ad hæc patet ex §. 10. *in fin. infr. h. tit.* itemque Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 9. pœnam etiam pecuniariam ex delicto contumaciter abſentibus imponi, quo caſu illud ſuprà citatum, contumacem in criminalibus pro confeſſo non haberi &c. ceſſare tradit dict. Cacheran. *decis.* 105. *num.* 12. Qui & *dict. decis.* 106. *num.* 3. illud Bartoli, contumaciam non tranſire ad heredes, ita temperat, ut intelligendũ ſit quoad eũ effectum, ne heres prohibeatur purgare innocentiam defuncti, juxta Angel. Alexandr. Ioan. de Platea *in loc. ibid. citat.* Vide pro ulteriori hujus art. illuſtratione Anton. Solam *ad conſtitut. Sabaud. decret. Statuimus.*

ART. 7.

ITem daer openbare miſdaden gheſchieden, te weeten, moort, moortbrand, roof, dieſte, verraderien, brant, vrouwen-craft, craemſchenderie, apenbaer gewalt daer de daet und deder bekent

ART. 7.

ITem in criminibus manifeſtis, veluti cæde, incendio violento, rapina, furto, proditionibus, incendio, vi illata pudicitiæ muliebri, violatione puerperii, vi publica

kent syn, weghelaging, vervalsing, kerckschenderie, vreedbreeckinge binnen jaer und dach, nae dat die van s' heeren wegen ghebaden waer, sal d'officier van der plaetse sulcken apenbaer misdedigher sonder vervolg van recht aenvangen, und te Hove brengen, om by den heer gestraft te worden.

publica de cujus autore constat, structis insidiis, falsificatione, sacrilegio, fracta pace intra annum & diem nomine supremæ potestatis imperatâ, officialis loci criminosum nullo juris ordine servato apprehendet ac supremæ curiæ sistet, quò ex merito plectatur.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *In criminibus gravioribus dummodò manifestis judex rectè incipit à captura.*
2. *Temerè à captura incipiens punitur, teneturque injuriarum & in id quod interest ac expensas.*
3. *Permissâ capturâ multò magis permittitur inquisitio, quæ duplex.*
4. *Tractatur quæstio, an per negligentiam inferioris judicis, circa inquirendos & puniendos criminum reos, jurisdictio ad superiorem devolvatur.*

1. *SOnder vervolg van recht aenvanghen.*) ‡ In gravioribus hic enumeratis criminibus, & quidem manifestis, nullo habito juris processu, statim à captura, ut ajunt, incipere potest officialis. Quod innuit festè Ulpianus *in l. 13. ff. de offic. præsid.* dum convenienter ad hunc textum inquit: *Congruit bono & gravi præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit. quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat eosque conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisque deliquerit in eum animadvertere: receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest.* Et rectè agit textus de criminibus manifestis, quia secus est si nondum certò constet de corpore delicti, ut loquuntur Doctores *l. 1. §. item illud ff.*

ff. ad SC. Syllan. l. 1 *l.* 18. *l.* 20. *ff. de quæst.* Jul. Clar. *lib.* 5. *sentent.* §. *fin. quæst.* 4. Math. Steph. *de offic. judic. lib.* 9. *cap.* 3. † Nam judex in criminalibus à captura incipiens si temerè aliquē innocentē caperet meritò puniretur juxta Bald. *in l.* 2. *C. de iis qui latron. vel al. crimin. reos occult.* imò teneretur ad id quod interest & in expensas d. Bald. *in l. Severiter. C. de excusat. tut.* itemque conveniri posset actione injuriarū Bart. Ang. *in l. si vero* §. 1. *ff. Qui satisd. cog.* & notat Bajard. ad Jul. Clar. §. *fin. quæst.* 28. *num.* 3. 4. & 5. † Quando autem hic permittitur captura delinquentis, multò magis putabitur concessa inquisitio, de qua propriè agit *d. l. Congruit. ff. de offic. præsid.* ubi Bartol. *num.* 3. distinguit inter inquisitionem generalem & specialem, ut illa quidem sit permissa, hæc verò prohibita. quia nemo sine accusatore puniri solet *l. Rescripto* §. *si quis ff. de mun. & honor.* estque eodem autore advertendum, judicem non oportere inquirere nisi indiciis præcedentibus aut fama publica referente, quod notandum venit ad hoc statutum. † Data porrò occasione moveri hoc loco potest, an per negligentiam judicis inferioris jurisdictio ad superiorem devolvatur, quod usu inprimis veniet in civitatibus ac præfecturis nostris hereditariis, vulgò, *hooghe heerlicheyden.* Magna præcipuorum juris interpretum circa hanc quæstionem in utramque partem est concertatio, negantibus quidem Panorm. Immol. Archid. Anchor. & compluribus aliis: affirmantibus contrà gloss. *in cap. Pastoralis. extr. de offic. Ordin.* Host. Andr. de Isern. Alber. cum aliis hos sequentibus. Et negantium præcipua ratio est, quod pœna devolutionis huic negligentiæ in jure non reperiatur constituta nec unquam locum habeat nisi in casibus ibi expressis, ut per Innocent. *c. Quia diversitatem. extr. de præbend.* ac proinde satis esse, si inferior negligens pœna, mulcta aut suspensione cogatur officium suum facere Bald. *in l.* 1. *C. Quomod. & quand. iud.* Quod moribus magis convenire puto, cum jurisdictiones nostræ urbium ac præfecturarum hereditariarum in patrimonio habeantur, quibus privari aliquem ex negligentia, quæ dolum tantùm præsumptum inducit, durius aliquanto videtur. Idem satis benè consideravit ac

prop-

propterea, nisi lege Britannica contrarium esset cautum, huic se favere opinioni ostendit Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit.* 1. *art.* 31. *not.* 3. *num.* 2. 3. & 4. qui omninò videndus est.

ART. 8.

Und daer anders wil ofte ghewalt geschiet were, sal ghehooren ten lantrechte.

ART. 8.

Ubicunque autem aliter iniuria aut vis facta fuerit, pertinebit ejus cognitio ad judicium rurale.

ART. 9.

Item by aldien over sulcke wil und gewalt ofte eenige andere delicten, geene clegers voorquemen ofte de Clegers buiten weeten des heeren ofte officiers gestilt waren, sal de heer ofte officier altyt selfs clegher syn voor des heeren breucken, und alsoo met recht inwerven.

ART. 9.

Si hujusmodi illatæ injuriæ aut vis vel cujusvis alterius delicti nomine nulli prodeant accusatores, vel si iidem inscio domino ejusve officiali placati fuerint, integrum erit eidem domino vel officiali accusare mulctasque jure petere.

Glossa.

Consonat huic Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 8. qui locus cum hoc textu pariter illustrandus venit ex iis quæ tractavi suprà ad §. 7.

ART. 10.

Niemant en sal voor sulcke ghewaltbreucken ghe-executeert worden, ten sy saeck, dat de gewalt by den dediger bekent ofte met onpartydigen bekundtschapt ofte by sententie ofte contumacie verwonnen were.

ART. 10.

Nemo nisi confessus aut testibus idoneis convictus, vel etiam per sententiam aut in contumaciam condemnatus harũ mulctarum respectu executionem patietur.

ART. 11.

Belangende de gemeine simpel breucken, soo veern die Drost ofte Richter daer van geen bewijs by brenghen conde, sal sich die beclaechde by eede mogen purgiren ofte ontledigen, Alle tot erkentenisse des Gerichts.

ART. 11.

Quod ad vulgares & minores mulctas, ab iisdem liberabitur reus præstito juramento purgationis, si Satrapa aut judex nihil probaverit. Singula autem ad arbitrium judicii.

Glossa.

SVMMARIVM.

1. *Ad deferendum purgationis juramentum requiruntur indicia verisimilia, estque illud arbitrarium.*

1. *By eede mogen purgiren.*) vid. *tot. tit. extr. de purgat. Canon.* ‡ Ad hoc autem ut reus cogatur juramento purgationis suam asserere innocentiam ex juris præscripto requiruntur indicia ac verisimiles conjecturæ delicti commissi, quibus deficientibus aliàs absolvendus est *l. Qui accusare* 4. *C. de edend. l. Negantes.* 9. *C. de obligat. & act. l. ult. C. de rei vindicat.* Ideoque rectè dicitur in textu, *mogen* id est, *possunt,* non debent aut coguntur, ac commoda ratione in fine adjicitur, *Alle tot erkentenisse des Gerichts,* id est, *Singula pro arbitrio judicii.* quo totum negotium judicantium arbitrio permittitur, quod visus est probare Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 3. *cas.* 274. *num* 3. ubi post Abbat. dicit hodie omnes canonicas purgationes esse arbitrarias. Vid. latè circa hanc materiam post alios Math. Berlich. *practicabil. conclus. part.* 1. *conclus.* 52.

ART. 12.

Niemant sal voor de gemeine breucke hoger aengesproken mogen worden, dan tot vier heeren ponden.

ART. 12.

Mulctæ vulgaris exactio non excedet quatuor libras dominicas.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Summa mulcta in levioribus delictis quæ, ubi de æstimatione librarum dominicarum.*
2. *Adducuntur loci memorabiles ex histor. Gelrica de majorum nostrorum vel frugalitate vel annonæ & pecuniæ vilitate.*
3. *Relinquitur aliorum judicio an non hodie mulcta hic definita sit augenda.*
4. *Conciliatur cum hoc art.* l. Aliud §. 1. ff. de verb. significat.

1. SUprema mulcta, id est, summa & maxima (ut loqui amat A. Gell. *Noct. Attic. lib.* 11. *cap.* 1.) quamque in levioribus delictis excedere jus non est, quatuor dominicarum librarum hoc art. definitur. Quarum quidem singulæ in *art* 14. *seq.* stuferis æstimantur triginta, cui convenit decretum Ordinum Gelriæ *anni* 1610. quamvis singulariter in sententia quadã supremæ Curiæ latâ 20. *Decembr. an.* 1628. inter toparcham de Gent & ejusdem loci incolas ad præscriptum literarum Ducis Gelriæ Wilhelmi *an.* 1382. unaquæque libra æstimetur stuferis quatuor & viginti, donec scilicet (quod in dicta sententia
2. additur) ab Ordinibus aliter constitutum fuerit. ‡ Utrumque antiquis temporibus sufficere visum, quasi in magna veterum paupertate, uti de Romanis ait Iustinian. Imp. *Instit. de injur.* §. *Pœna autem* 7. vel potius majorum nostrorum frugalitate, annonæ & pecuniæ vilitate, de qua memorabiles loci apud Ioan Isac. Pontan. *histor. Gelric. lib.* 9. sub Arnaldo Duce ad annum 1437. ubi inquit: *Notatu obiter non indignum, ut ævi hujus intelligatur sive frugalitas, sive potius pecuniæ etiam exiguæ summa quanti tum pretii fuerit, Arnaldum scilicet Ducem unà cum Ducissa Catharina ac comitatu insuper hominum centum sexaginta sex, festis à senatu Arnhemiensi epulis hoc tempore exceptum, nec insumptos ultra aureos Arnhemienses quinquaginta septem.* Et postea ad annum 1451. *Arnhemii* (inquit)

(inquit) *& alibi à ſenatu hilariter exceptum reperio, & maximè Arnhemii memoratur in hoſpitio, quod Coloniæ inſigne præferebat, exceptus à proceribus cum comitatu hominum pluſquam ducentorum, nec inſumptos tamen aureos Rhenenſes ultra quadraginta ſeptem; prout erat ejus temporis tam annonæ, quam pecuniæ ratio, de quo & alibi meminiſſe me ſcio.* item eod. lib. ad annum 1458. *Sunt codicilli* (inquit) *ex quibus intelligi datur, Conſulem Arnhemienſem Gercelum ab Aller Neocleſiam (vulgò Nieukercken) civitatis nomine hoc tempore profectum, quò ibi munimentum excitaretur, atque ibidem octiduo tranſacto, aureos inſumpſiſſe binos. Quod ex iiſdem codicillis addendum cenſui, ut vel inde annonæ ejus ævi vilitas, vel pecuniæ potius exiguæ quanti tum

3. temporis æſtimatum pretium fuerit, demonſtraretur.* ‡ Hodie verò, cum in immenſum creverit pecuniæ valor, an non, ut apud A. Gell. *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 1. de legibus duodecim tabularum conqueritur Favorinus philoſophus, mulcta hoc textu definita ſit impendio mollior

4. ac nimis diluta aliis dijudicandum relinquo. ‡ Unum porrò ſupereſt ut cum hoc ſtatuto concilietur *l. Aliud* 131. §. 1. *ff. de verb. ſignificat.* qua mulcta omnis dicitur eſſe arbitraria, cum tamen hic ejus certus præſcribatur modus quem excedere non permittitur; adeòque magis videatur accedere ad naturam pœnæ, ſicuti de mulctis à jure aut conſuetudine definitis notat Argentræ. *ad conſuetud. Britan. tit.* 1. *art.* 33. *not.* 3. *num.* 3. Siquidem non eo minus ſuo reſpectu arbitraria habenda eſt quatenus pro perſonæ aut delicti qualitate non prohibetur judex ſuo arbitrio eandem mulctam infra præſcriptam ſummam moderari ac taxare, juxta tradita à Fabr. *ad tit. C. de mod. mulct. quæ à judicib. inflig.* quem ſequitur Paul. Chriſtin. *ad conſuetud. Mechlin. tit* 1. *art.* 13. *num* 3. adde Ioan. Sainſon. *ad conſuetud. Turonens. tit.* 35. *art.* 2. *vers. Sed quæro. &c.*

ART. 13.

WIe in Veluwen of Veluwē-ſoom reſpectivelick genoechſaem geerſt und geguedet is, die ſal voor de geeiſchte breucken

ART. 13.

QUiſquis in Velavia aut ora Velaviæ immobilium poſſeſſor idoneus eſt non tenetur ſatisdare

ken gheene burge behoeven te stellen, Maer indien syn erf ende goet voor sulcke actie niet genouchsaem is, soo sal hy t' gebreck met burgen te vervullen gehouden syn.

dare pro mulctis petitis. Si verò immobilia quæ ibidem possidet non respondent actioni institutę, quod deficit supplebitur datis fidejussoribus.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Qui immobilia possidet à satisdatione excusatur,*
2. *Modò eadem æquent mulctam quæ petitur.*
3. *Quid de possessore annuorum redituum?*
4. *Quid de eo qui mobilia pretiosa possidet?*
5. *Solvitur sub distinctione quæstio, an denuò satisdare cogendus sit, qui postquam semel satisdedit bona sua immobilia vendit aut aliàs facultatibus labitur.*

1. GEnouchsaem geerst und geguedet is) † Intellige juxta *l. Sciendum.* 15. *ff. qui satisd. cog.* ut de mulcta solvenda conuentus à satisdatione demum excusetur, si in Velavia bona immobilia possideat. Cessat enim tunc suspicio fugæ, cujus causa satisdatio præcipuè est inventa, ut notant Bart. & communiter Dd. *in d. l. Sciendum.* quos sequitur Ma-
2. rant. *Spec. aureo part.* 6. *membr.* 8. *num.* 2. † Et rectè usurpatur hic vocabulum *genouchsaem,* hoc est, ad eam usque summam quam mulcta petita complectitur. Nam viliora quædam immobilia possidenti prædicta satisdatio non videbitur remissa, post alios Socin. *num.* 17. *Jas. num.* 2. & 7. *cum seqq. ad dict. leg. Sciendum.* Nic. Tulden. *in not. ad prax. civil. Damhoud. cap.* 99. *lit. h.* text. hic in verb. *Maer indien &c.* ubi notanda iterum repetita vox, *genouchsaem.* Ex quo superflua erit Doctorum altercatio, an sufficiat tot immobilium possessio, ut fugæ
3. suspicio adimatur, an verò ad æstimationẽ rei petitæ exigantur. † De possessore autem annuorum redituum, an satisdare cogatur jure Velavico, dubium movet *art.* 11. *infr. cap.* 25. ubi illi quidem pro mobilibus

libus habentur eoque possessorem ab onere satisdandi non videntur liberare. Attamen cum hoc jus sit singulare vel indicio §. 2. *infr. cap.* 30. item Reformat. Zutphan. *tit.* 30. §. 2. nec non usus communis hujus patriæ, de quo *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat* 2. *cap.* 3. ideoq; in consequentiam indefinitè non trahendum: sitque præterea in contrarium textus *in l. jubemus* 14. *C. de sacrosanct. eccles. Clementin. Exivi.* §. *Cumque annui. de verb. significat. dict. Adversar. cap.* 3. *num.* 7. malo benignius interpretari, ut & hic satisdationi non adstringatur, modò iidem annui reditus, quos possidet, à mulcta petita non superentur; ea quoque accedente ratione, quod hujusmodi possessoris fuga adversario nullo modo nocere nec judicium eludere possit, in quo versatur intentio legislatoris satisdationẽ hanc idoneam exigentis. Atq; ita sentit Bart. *in d. l. Sciendum. in princip. num.* 10 & similiter in Camera imperiali judicatum refert Mynsing. *cent.* 1. *obs* 69. *num.* 3. 4. *&* 5. Andr. Gail 2. *obs.* 10. *num.* 6. Joan. Köppen *decis.* 24. *num.* 4. *&* moribus nostris quàm accomodatissimè Alvar. Valasc. *tom.* 1. *consultat.* 66. *num.* 30. à quibus complures alii tum veteres tum recentiores ad
4 hoc citantur. † Sed anne eodem loco habebimus eum qui multa preciosa mobilia possidet? Ita videtur per text. *in l. Lex quę* 22. *C. de administrat. tut.* ubi mobilia preciosa cum immobilibus à pari judicantur, post Bart. & Jas. Petr. Cost. *ad d. l. Sciendum. ff. Qui satisd. cog.* cui convenienter in Saxonia, ubi immobilium possessor in hunc finem etiam desideratur, judicatum tradit Joan. Zanger. *tractat. de except. part.* 2. *cap.* 21. *num.* 35. *&* 36. *dummodò* (ut idem inquit) *non sit suspectus de dilapidatione & fuga.* Mihi tamen ex mente hujus statuti secus videtur propter verba ista: *geerft und gegucdet*, item, *syn erf ende goet*, quæ ex communi usu loquendi non prædicantur nisi de eo qui immobilium bonorum in aliquo loco possessor est. Et pervulgata sunt, à statuti verbis non esse recedendum, eademque strictè accipienda, item, quòd tantum disponit quantum loquitur, & ubi statutum non loquitur cessat ejus dispositio, ac denique quod statutum non dicit nec nos dicere debemus, cum aliis quæ congessit Alderan. Mascard. *tractat.*

de general. statut. interpretat. conclus. 4. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. *&* 6. Cui accedit quod mobilia preciosa possidens cum iisdem fugiendo aut saltem eadem consumendo non minus eludere possit judicium, quam quivis alius minus locuples, quod haud dubiè causam dedit limitationi, quæ in suprà citato judicato Saxonico additur. ‡ Quid si quis initio litis
5. immobilium possessor satis locuples fuerit, postea autem dum pendet eadem vendat aut aliàs facultatibus labatur, num denuò satisdare cogendus erit? In hac quæstione cum pugnantes sint opiniones, quæ utrimque suis non destituuntur rationibus, placet pro conciliatione distinctio Bartoli *in d. l. Sciendum.* 15. §. *possessor. ult. ff. Qui satisd. cog.* Aut enim ea quæ possidet vendit, aliove titulo in alium transfert, nec tenetur denuò satisdare, quia transivit res cum onere, cujus intuitu secundus ille possessor non minus conveniri potest quàm prior: aut penitus perierunt, veluti chasmate, ruina, incendio, aliave aliqua calamitate, nec video rationem quare à satisdatione excusandus sit. Nec movet quod moribus bona alicujus immobilia non nisi judicialiter hypothecantur, adeòque absque eo in alium cum tali onere transire nequeunt; quia pro mulcta hujusmodi in judicio petita tum vi consuetudinis tum juris communis tacitè quodammodo obligata ac inde quemvis eorundem possessorem sequi intelliguntur *d. l. Sciendum. in princip. ff. Qui satisd. cog. junct. text. hujus art.* Tametsi ad omnem evitandam altercationem tutius fore existimem ut conventus pro modo mulctæ petitæ quamvis locuples & idoneus speciali bonorũ quæ possidet hypotheca caveat, remissâ omni aliâ satisdatione, prout communiter notant Dd *in d. l. 1. ff. Qui satisd. cog.* ubi & Jas. *num.* 20. Hartman. Pistor. *quæst. jur. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 10.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Satisdatio hic intelligitur cum fidejussore.*
2. *Realis cautio non admittitur ubi a lege vel consuetudine fidejussoria exigitur.*
3. *Fidejussores hi dandi in Velavia, non alibi, & quare, quod tamen duob. casib. limitatur per Fabr.*

M*Et burgen te vervullen*) Si non ſuffecerint immobilia, defectus ille fidejuſſoribus erit ſupplendus. ‡ Semper autem ſatisdationem intelligi cum fidejuſſore ex *l. Sancimus.* 3. *C. de verb. & rer. ſignificat.* pridem notavit Maranta *ſpec. aur. part.* 6. *membr.* 8. *num.* 1. quæ quidem in jure cautio dicitur idonea *l. ſi mandatu.* 59. §. *fin. & ibi Dd. ff. mandat. vel contr.* Gail 2. *obſ.* 47. *num.* 4 Et quamvis utraque, tam quæ datis pignoribus quàm fidejuſſoribus fit ſubinde eo nomine deſignetur: poſtremā tamen hic textus ſolū admiſerit, qui nullo modo interpretatione extendi debet jurib. vulgat. de quibus *Peck. tract. de teſtament. conjug. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. ‡ Præterquam quod uſu communi probatum ſit, realem cautionem non admitti ubi à lege vel ſtatuto fidejuſſoria præciſè deſideratur Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom.* 1. *tractat. de ſentent. execut. art.* 1. *gloſſa* 16. *num.* 36. Decius *ad leg. Plus cautionis. ff. de reg. jur.* facit inprimis textus *in l. Prætoriæ ſtipulationes.* 7. *ff. de ſtipulat. prætor.* ‡ Sed & notandum venit, fidejuſſores hos dandos eſſe in Velavia, nequaquam autem alibi *arg. l. Quid tamen* 21. §. *ſi arbiter.* 10. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* Æſtimantur enim præcipuè ex facilitate conveniendi, quæ in alibi habitantibus non ſine ratione deſiderari poteſt *l.* 2. & 7. *ff. Qui ſatisd. cog. l.* 1. *in fin. l.* 3. *pr. ff. de alienat. jud. mutand. cauſa fact.* Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 2. *tit* 39. *definit* 11. ubi *in not. num.* 1. ſatis benè excipit caſum *l.* 5. §. *penult. ff. ut legat. nom. cav. & l.* 8. §. *Tutor. ff. Qui ſatisd. cog.*

ART. 14.

U*Nd is geordonniert, dat een pond in des heeren breucken van nu voortaen ſal betaelt werden met dartich ſtuiver.*

ART. 14.

STatutum eſt de libris circa mulctas dominicas, ut ſingulæ ſolvantur triginta ſtuferis.

ART. 15.

I*Tem, ſoo en ſal niemant van den Gerichtsluiden voor yemant bidden, eenige*

ART. 15.

NUllus judicialium pro mulctando intercedet, ac nihilo minus

eenige breucken quijt te geven, dan soo wie dat breuckt, salmen de breucken alsoo aling betaelen laeten, alsê hem afgewonnen worden.

minus quicunque reus integram mulctam persolvet, prout convictus fuerit.

ART. 16.

MEn sal int procediren und bedingen van Heeren breucken volgen den olden gebruick.

ART. 16.

IN persequendis mulctis dominicis servabitur usus antiquus.

ART. 17.

UNd daer mede die misdaden niet ongestraft mogen bliven sullen de Drost unde Richter den Scholten beveel doen de openbaere misdedigers, die hun luiden in afwesen van den Drost und Richter voor oogen kommen, ofte in haere bevolen ampten te betrappen syn, met assistentie der huisluiden op des heeren kosten aen te vangen, und den Drost ofte Richter te leveren, Des sich de Scholten und huisluiden, daer toe versocht sijnde, niet en sullen weygeren, By peen voor de Scholten van verlos oerer officien und arbitralick gestraft te worden ende voor de huisluiden by arbitrale correctie tot erkentenisse des Gerichts.

ART. 17.

AC ne delicta impunita maneant incumbit Satrapæ & Judici mandare prætoribus (vulgò scultetis) ut manifestè criminosos qui se absentibus occurrunt aut in suis cujusque præfecturis inveniuntur, ope rusticorũ ac impensis principis comprehendant, sibique tradant. Nec dicti prætores & rustici hoc rogati detrectabunt, nisi illi velint suis excidere officiis ac pro arbitrio puniri, hi verò similiter arbitriariè emendari prout decreverit judicium habita causæ cognitione.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Prætores negligentes puniuntur, ubi de citatione adversus eosdem decreta à Curia Gelriæ.*
2. *Ratio à Reformatoribus adducta illustratur.*

1. *By peen voor de scholten van verlos oirer officien &c.)* ‡ Prætores rusticani, quos vulgò sculteto dicimus, si jussi à satrapa aut judice Velavico data occasione delinquentes manifestarios non comprehenderint ex hoc textu suis privantur officiis, nec eo minus pœna arbitraria afficiuntur. Qui enim non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit *l. 121. ff. de reg. jur.* Hinc rectè (quod observavi à bonæ memor. parente meo Martino Goris Gelriæ dum viveret Cancellario) à suprema curia aliquando nonnulli citati sunt, qui negligen-
2. tius in hoc officio suo defungebantur. ‡ Optima verò hic additur ratio, quare Reformatores Satrapæ aut Judici non ubiq; semper præsenti operâ prætorum & his auxilio rusticorum succurri volunt, ne videlicet delicta maneant impunita. Cui similis est textus *in l. Ita vulneratus. 51. vers. Quod si quis. ff Ad leg. Aquil. junct. l. Si longius. 18. §. 1. ff. de judic. l. Bona fides. 31. ff. Depositi. l. locatio. 9. §. 5. ff. de publican.* ubi vigor publicæ disciplinæ hoc postulare dicitur. Et quis non intelligit interesse Reipublicæ facinorosis hominibus provinciam purgari?

Glossa II.

SUMMARIUM.

1. *Universitas tenetur resistere latronibus & officiali succurrere.*

1. *Voor de huysluyden by arbitrale correctie)* ‡ Huic geminum est quod tradit Cæs. Ursill. *in annot. ad decis. 265. Math. de Afflict. num. 5.* teneri de jure universitatem resistere & acclamare latronibus, imò officiali insultato succurrere, nisi puniri velit *alleg. Capic. decis. 149.*

Dat III. Capittel.

Van Dootslaen und soenen.

Caput III.

De homicidio ejusq; expiatione.

Ad rubricam.

SUMMARIA.

1. *Pœna homicidii ex divino & naturali jure capitalis.*
2. *Hanc sumit magistratus non privatus, qui nec præcipitanter aget.*
3. *Remittitur ad autores.*

1. 
Omicidium (ut utar verbis Ioan. Calvini *Institut. lib. 4. cap.*
20. §. 16.) *omnes pariter leges sanguine ulciscuntur, diversis ta-*
men mortis generibus. Quod quidem juris non tam (ut lo-
quuntur) positivi est, quam divini & naturalis, uti benè
notavit Ioan. Bodin. *de Republica lib. 1 cap. 8.* Sunt ad hoc cùm pluri-
mi Sacræ scripturæ loci in hac materia passim laudati, tum inprimis lex
divina antiquissima Genes. *cap. 9. vers 5. & 6. Quisquis effuderit san-*
guinem hominis qui est in homine, sanguis ejus effundetur: quia hominem ad
effigiem suam fecit Deus. Hoc est (ut interpretatur paraphrastes Chal-
dæus) *qui effuderit sanguinem hominis, cum testibus juxta sententiam judi-*
2. *cum sanguis ejus fundetur.* ‡ Ut ita non privato cuiquam, sed magistra-
tui detur potestas interficiendi homicidam, qui & ipse non præcipita-
re sed adhibitis testibus seriò ac diligenter causam excutere debet.
Nulla etenim de morte hominis cunctatio sera est, & (ut inquit Am-
mian. Marcellin. *lib. 29.*) *de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est,*
& animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cuncta-
3. *ri oportet, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari.* ‡ Vide-
antur post alios Francisc. Raguell. *in legib. polit. vet. & novi testamenti*
& Andr. Rivet. *in prælect. ad cap. 20. Exod. vers 13. quæst. an liceat magi-*
stratui reos afficere supplicio capitali sub Christianismo.

ART. 1.

S*Oo wie nu voortaen met voorsat, luypende van achteren of van voo-*
ren

ART. 1.

QVicunque posthac animo deliberato, ex insidiis sive à ter-
go

ren, yemant van den leven ter doot brochte, und met den lijve ontqueme, die en ſal achter dien dage nummermeer in Veluwen weder mogen kommē, by ſyn lijf, und ſullen des dooden vrunden den Heer aenroepen, om den miſdediger nae te ſchriven und te doen vervolgen, in wat heeren landen hy oock geweecken were, om als een moordenaer geſtraft te werden.

go ſive à fronte, aliquem occiderit ac fugiens evaſerit, nunquam ex inde in Velaviam revertetur ſub pœna corporis. Propinqui præterea ejus qui occiſus eſt petent à Domino ut reum quocunque fugerit litteris ſcriptis perſequatur, quò tanquam homicida pœnas condignas luat.

Gloſſa.

SUMMARIA.

1. *Argumentum art. & quid Gallis homicidium deliberatum cum conſuetud. conſon.*
2. *Contraria huic art. quorundam locorum conſuetudo, quæ juri communi conveniens.*
3. *Circa bonorum annotationem ex jure civili varietas quædam conſuetudinis.*
4. *Remittitur illuſtrando huic articulo ad autores.*

1 CONſonat Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 18. Ruremund. *part 6. tit* 2. §. 5. *art.* 5. & duo hic ſtatuuntur de eo qui homicidium animo deliberato committit, quod Galli eleganter efferunt, *de guet a penſé & propos deliberé*, item *de guet a pend*, quomodo loquitur Bodin. de Republic. *lib. 6. cap. ult.* ut ſcilicet fugiens denuò in Velaviam non revertatur ſub pœna capitis, ac judex rogatus ab interfecti propinquis literis ſuis eundē perſequatur, quò tandem ut ſicarius puniatur. 2 ‡ Quod quidem eſt contra morem in quibuſdam locis uſitatum, quo rei fugitivi ter aut quater per diverſa temporis intervalla publicè citantur, & niſi ſe ſiſtant vel juſtas excuſationis cauſas producant pro convictis habentur ac damnantur: Sed proximè accedit ad illud juris communis, quo abſens accuſari multò magis condemnari vetatur *l.* 1. *ff. de requi-*

quirend. vel absentib. damnand. l. Absentem. 5. ff. de pæn. l. Absentem. 6. C.
3. de accusat. ‡ Bona tamen eódem jure annotari constat ex d. l. 6. C. de accusat. l. 1. & 2. C. dē requirend. reis, cui rursum convenit art. 5. h. cap. in eo paulùm diversus, quod bonorum annotatorū concedatur redemtio, quam jus commune omninò respuit, dum bona fugitivi intra annum non comparentis fisco vindicet, adeò quidem ut probatâ postmodum innocentiâ recuperandi eadē spes non sit d. l. 2. C. de requir. reis. ‡ No-
4. lo porrò hunc articulū ambitiosè onerare iis quæ ab aliis satis luculenter tractata sunt, itaque subsisto & pro ulteriori declaratione remitto ad Jul. Clarum Sentent. lib. 5. §. Homicidium. & Anton. Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 3. ubi idem Clarus num. 1. & 8. satis appositè ad hunc textum, homicidium aliud dicit esse simplex, aliud deliberatum, & deliberatum rursus committi quatuor modis, vel ex proposito absque alia qualitate, vel ex insidiis, vel proditoriè vel per assasinium, ut loquitur.

ART. 2.

OF yemant denselven moordenaer, wetende sulcken moordedigen nederslach by hem gedaen te syn, uyt den lande holpe, met raet ofte daet, heymelick ofte openbaer, ofte hem huysden ofte haefdē, die sal verliesen veertich pondt, und daer en boven tot erkentenisse des Gerichts staen.

ART. 2.

QUicunque homicidam fugientem, postquam cædem factam cognoverit, seu facto seu consilio, clam palamve juverit, aut in ædes villamve suam receptaverit, mulctabitur summa quadraginta librarum, ac relinquetur insuper arbitrio judicii.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Iuris civilis & consuetudinis loci consonantes.*
2. *Perniciosos esse receptatores, quod à bonis autoribus illustratur.*

Huc

HUc facit *tit. ff. de receptator. & tit. Cod. de his qui latron. vel al. crimin. reos occult.* item leges municipal. *tetrarch. Ruremund. part. 6. tit 2. §. 5. art. 6.* ‡ Et rectè dixit Marcian. *l. 1. ff. de receptator.* pessimũ esse genus receptatorum sine quibus nemo latere diu potest. cui convenit illud Quintilian. *declamat.* 255. (locus etiam citatus à Cujac. in paratit.) *proximos existimo esse eos transfugis, à quibus transfugæ recipiuntur. hoc naturæ simile est facere scelus & probare.* Plato etiam in legibus suis severè vult animadverti in hoc genus hominum, utpote Reipublicæ perniciosum, Cujac. *dict. loc.* Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. centur. 4. cas.* 348. *num.* 1. quibus addatur Ludovic. à Peguer. *decis.* 37. *num.* 5.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Cædis ignari receptantes homicidam excusantur.*
2. *Ignorantia præsumitur ideòque contrarium probandum, quod limitatur.*
3. *Excusatur item coactus ac caupo.*

1. W*Eetende sulcken moordedigen nederslach by hem gedaen te syn.)* ‡ Similiter ex jure communi excusatur à pœna qui cædis commissæ ignarus homicidam receptaverit *l. 1. & 2. C. de his qui latron. l. Metrodorũ. 40. ff. de pœn. l. Quo naufragium. 3. §. 3. ff. de incend. ruin. naufrag.* cùm aliis locis quos congessit Anton. Gomez. *variar. resolut. tom. 3. cap. 3. num.* 50 *vers. Advertendũ tamen.* Menoch. *de arbitrar. judic. q. lib 2. cent. 4. cas.* 348. *num.* 15. Bayard. in addit. ad Iul. Clar. *quæst.* 90. *num.* 36.
2. ‡ Præsumitur verò in tali receptatore ignorantia, donec contrarium probatum fuerit arg. *l. Verius. 21. ff. de probat. l. penult. C. de his qui sibi adscrib. in testament.* nisi tamen homicidium sit manifestum vel, ut loquuntur, notorium *l. penult. C. de peric. tut.* Gomez. *d. loc vers. Et adde quod semper præsumitur.* Menoch. *d. loc. vers. Porrò receptatorem.* Bayard. *d. loc. num.* 36. & 37. Ludovic. à Peguer. *decis.* 37. *num* 9. ‡ Ex-
3. cusari etiam coactum recipere, item cauponem, verè tamen ignoran-

tem, ut ita cæteris non sit dissimilis, tradit præmemoratus Menoch. *dict. loc. num.* 16. & 17.

Glossa III.

SUMMARIUM.

1. *Opem ferentes fugienti similiter puniuntur.*

Uyt den lande holpe) Qui post homicidium perpetratum fugienti reo opem ferunt, quò aufugiat, eodem numero quo ad pœnam cum receptatoribus aut aliter occultantibus habentur, ut hic, & videtur jndicare Anton. Gomez. *resolut. dict. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 50. *princip.* qui & *eod. num. in fin.* extra ordinē puniri vult eum, qui reo ut fugeret voce præstitit auxilium, certiorem fortè faciendo de adventu judicis deque præparatione ad capiendum, quò etiam referri possunt verba textus nostri: *met raet ofte daet.*

Glossa IIII.

SUMMARIA.

1. *Recipere quis dicatur.*
2. *Pecuniâ accepta dimittentes pro receptatoribus puniendi.*
3. *Veniam merentur hoc casu consanguinei & affines.*

1 *Ofte hem huisden ofte haefden)* ‡ *Recipere propriè* (autore Ulpiano *in l.* 1.
§. Quod autem. ff. de servo corrupto) est refugium abscondendi causa præ-
stare, vel in suo agro, vel in alieno loco, ædificiove, Ludovic. à Peguer.
decis. 37. *num.* 7. ‡ Et in pari causa videtur habendus, qui cum ap-
2 prehendere posset pecunia accepta dimiserit *text. in d. l.* 1. *ff. de recep-*
tator. Secus verò si gratis, *Gloss. ibid.* ‡ Eximuntur tamen mitiùsque
3 puniri dicuntur consanguinei & affines, si qui horum perpetrati homi-
cidii causa fugientem consanguineum aut affinem occultaverint, quia
affecti-

affectionis intuitu venia debetur *l. 2. ff. de receptator.* Wesenbec. *in Paratit. ff. d. tit. num. 2.* Gomez. *resolut. tom. 3. cap. 3. num. 50. vers. item adde.* & latissimè Menoch. *dict. lib. 2. de arbitrar. judic. quaest. cent. 4. cas. 348. num. 7. 8. 9. 10. 11. 13. & 14.*

Glossa V.

SUMMARIA.

1. *Sensus hujus art.*
2. *Cui repugnat jus civile, quo unum delictum variis pœnis non punitur.*
3. *Ejusdem criminis & certa & arbitraria non potest esse pœna.*
4. *Minus ambiguus alius juris Velavici locus citat. item consuetud. Ruremund.*
5. *Declaratur & tentatur conciliatio.*
6. *Pœna receptatorum arbitraria.*
7. *Officialis puniendus qui pœnas à statuto impositas dissimulanter praeterit.*

D*Ie sal verliesen veertich pondt, und daeren boven tot erkentenisse des Gerichts staen)* ‡ Sensus videtur esse, ut receptator homicidæ non solum quadraginta libris mulctetur, sed & insuper arbitrio judicis puniatur. Cujus generis etiam textus sunt *infr. in cap. 5. §. 6. & cap. 16.*
2 *§. 10. 12. 13. & 14.* † At hoc pugnat cum jure quo cautum est, delictum unum eadem lege variis æstimationibus, id est, pœnis, non
3 coerceri *l. Senatus. 14. ff. de accusat. l. Sanctio. 41. ff. de pœnis.* † Nec convenit ejusdem criminis & certam & arbitrariam statuere pœnam. quia tum demum causa cognita liberum est arbitrium statuendi ei qui cognoscit, quando nulla specialis pœna est imposita *l. un. §. Expilato-*
4 *res 1. in fin. ff. de effractorib.* ‡ Minus itaque ambiguè *infr. cap. 18. §. 8. Sal hy daer aen gebreuckt hebben tien pondt, ofte anders nae ghelegentheit der saecken tot erkentenis des Gerichts* & leg. municipal. tetrach Ruremund. *part 6. tit. 2. §. 5. art. 6. Die sal verbeuren aen den heere een-en-dartich golt-*

gulden.

gulden, ofte andere voordere breucke nae die gelegentheit van de saecke tot er-
5 *kenteniße des Gerichts.* † Ad quorum exemplum declarari posset hic
locus hoc modo: *Die sal verliesen veertich pondt, ofte nae gelegentheit van*
saecke tot erkenteniße des Gerichts staen. Ut ita pœna à statuto hoc certò
quidem sit definita, non tamen prohibitum judici circa eandem arbi-
trari usque ad præscriptas quadraginta libras, si causæ circumstantiæ
personæve qualitas hoc exegerint. In quo dominabitur justitia har-
monica, quæ componitur ex justicia distributiva sive Geometrica, &
commutativa sive Arithmetica, juxta tradita ad intellectum legis di-
vinæ *Deuteronom.* 25. à Ioan. Bodin. *de Republic. lib. 6. cap. 6. sive ult.*
6 † Arbitrariam verò esse pœnam receptatorum atque ita intelligendũ
textum *d. l. 1. ff. de receptator.* post glossam ibid. & Dd. antiq. docuere
Gomez. *resolut. tom 3. cap. 3. num. 50.* Menoch. *de arbitrar. judic. quæst.*
7 *lib. 2. cent. 4. cas. 348. num. 3.* † Atque hinc porrò non absurdè infer-
tur, magistratus eorumque officiales esse puniendos, si pœnas à sta-
tuto aut lege impositas gratia vel dissimulatione præterierint, uti post
Ioan. de Platea tractat. Ludovic. à Peguer. *dict. decis. 37. num. 6.* ubi
inquit: *Si judex repertum non vindicat facinus, tegere ut conscius criminosa*
festinat, text. est express. *in l. 2. in finalib. verb. C. de commer. & mercator.*
cum al. ibi allegat.

ART. 3.

Wie yemant vechtender hant uyt hevigen moet, sonder opsat, alſo verwonde, dat hy daer aen storve, die sal, soo hy met den live ontqueme, uyt Veluwen wycken eñ bliven de tyt van ses jaeren, nae dat den dootslach by hem gedaẽ sal syn, sonder daer en tußchen om geleide of remissie aen den heer te mogen aenholden.

ART. 3.

Quicunque in pugna calore iracundiæ, nullo animi proposito, aliquem ita vulneraverit ut inde moriatur, si evaserit, toto sexennio à tempore commissi homicidii Velavia cedet ac exulabit, nec interim à Domino petere poterit liberum commeatum aut remissionem.

Glossa I.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Arbitrio judicis permittitur qui calore iracundiæ homicidium committit, remissivè.*
2. *Varietas quædam consuetudinum in tempore exilii ejus qui ita homicidium perpetravit.*

HActenus de homicidio deliberato, nunc sequitur de eo quod in pugna calore iracundiæ committitur. ‡ Circa quod si casus contingat multum tribuetur arbitrio judicantis, quatenus vel ordinaria vel extraordinaria pœna vindicandum sit, juxta Anton. Tesaur. *decis. Pedemont.* 178. *num.* 5. *cum seqq.* & vide pro materia eund. Tessaur. *dict. decis.* 178. *per tot.* Thom. Grammatic. *decis. Neapolitan.* 98. ac novissimè Benedict. Carpzov. *in definitionib. ad constitut. Saxon. part.* 4.
2 *constitut.* 6. *def.* 5. ‡ Iubetur autem hujusmodi homicida fugiens à territorio Velaviæ abesse toto sexennio à die commissi homicidii, antequam vel liberum commeatum vel gratiam impetrare possit. Legibus verò Comitatus Zutphaniæ præfigitur quinquennium *tit.* 11. §. 20. in tetrarchia Ruremundana spacium tantùm est unius anni, hoc tamen additamento, ut impetratâ gratia altero adhuc triennio exulare cogatur *part.* 6. *tit.* 2. §. 5. *art.* 13.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. Geleid *quid.*
2. *Salvus conductus ut diversi generis ita diversa ejus descriptio traditur, & quis hic propriè.*
3. *An ad regalia pertineat, remissivè.*
4. *A quo hic salvus conductus sit concedendus pluribus tractatur.*

O*M geleide)* ‡ Hæc est promissio securitatis & fides publica, quam

 Iustinian.

Iustinian. in Novell. dixit τὸ καλούμενον λόγον, ut autor est Andreas
Alciat. *parerg. lib. 7. cap. 6 & lib. 8. cap. 2.* Vulgò salvus conductus, &
2 in medii ævi scriptoribus alicubi tutus & liber conductus. ‡ Qui qui-
dem diversi generis habetur, vel securitas quæ tempore belli publi-
ca aut privata aliqua de causa alicui conceditur, de qua videndi Albe-
ric. Gentil. *tractat. de jure belli lib. 2. cap. 14* & Hug. Grot. *de jure bel-
li ac pacis lib. 3. cap. 21. num. 14. cum seqq.* vel qui datur delinquentibus,
quò tutò innocentiam quam obtendunt probare possint: vel deniq;
commeatus remeatusve exulibus aut fugitivis delicti commissi causa
concessus, de quo propriè est hic textus & *l. Relegati. 4. in fin. ff. de pœn.*
3 ‡ Quem ad regalia pertinere post alios docet Regner. Sixtin. *tractat.
de regalib. lib. 2. cap. 2. num. 41. & 42.* non nemine tamen contradicen-
te, quod hujus nulla fiat mentio *in cap. Quæ sint regalia lib. 2. Feudor.*
4 ‡ Sed quæsitum fuit à quo hæc securitas concedi possit? De primo
ac secundo genere (quorum illud soli principi aut hujus vices geren-
ti sepositum Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 4. cas. 336.
num. 26.* hoc verò cuilibet judici concessum juxta Bart. *in l. Si qui reus.
5. num 12. ff. de public. judic.* quem sequitur Menoch. *de arbitrar. judic.
quæst. lib. 1. quæst. 81. num. 1. & 2.*) ne pluribus excurram, visum fuit
ex *d. l. 4. ff. de pœn.* tertium genus de quo hic, non alii quam principi
permissum esse Boer. *decis. 179. num. 1.* Sixtin. *dict. tractat. de regalib.
lib. 2. cap. 2. num. 42.* ubi citat Bart. Alber. de Rosate cum aliis, adde
constitut. Carol. V. Imp. pro senatu Mediolanensi, de qua Ioan. Bodin. *de
Republ. lib. 1. cap.* 8. Contrariam sententiam, quæ cuique magistratui
inferiori à principe licentiam dat præstandi pro tempore securitatem
hujusmodi exulibus, amplectitur inprimis Bart. *in l. Ambitiosa. 4. ff. de
decret. ab ordin. faciend. num. 8. vers. ad civitatem tamen.* Decian. *respons.
96. num. 1. lib. 3.* modò habeat (ut addit hic) potestatem ardua expli-
candi, Chassan. *ad Consuetud. Burgund. rubric. 1. §. 4. verb. Et sur les hom-
mes. num. 65. & 66.* Et maximè locum habebit in civitatibus quæ om-
ne genus regalium vel speciali concessione vel præscriptione possi-
dent, quod tradit Sixtin. *dict. cap. 2. lib. 2. de regal. num. 44.*

Glossa III.

Glossa. III.

SVMMARIA.

1. *Cautè de remissionibus tractandum, quibus ad Deum proximè accedit princeps.*
2. *Soli principi competit jus dandi gratiam.*
3. *Quod moribus nostris convenit.*
4. *Post latam sententiam à magistratu inferiore non potest mitius haberi reus etiam innocens postea repertus, sed recurritur ad principem.*
5. *Tractatur plenè quæstio, an princeps aliquando gratiam facere possit homicidii commissi.*
6. *Art. hujus objectum est homicidium calore iracundiæ commissum.*
7. *In concessione veniæ homicidii prudens adhibenda deliberatio, ubi exemplum regis Hispaniæ.*

1 OF *remissie*) ‡ De gratiis ac remissionibus, quæ & indulgentiæ, locus est valdè lubricus, in quo quis periculosè erraverit, si vel nimium constringat vel remittat potestatem illius, cui hæ præcipuè competunt. In nullo magis principem ad Deum ipsum accedere, quàm si potentiæ suæ jungat clementiam & misericordiam ex Chrisostomo, Themistio, Seneca & compluribus aliis eleganter ac latè docet Petr. Faber. *Semestr. lib.* 3. *cap.* 16. & rectè dixit Claudianus:

——————— *Ignoscere pulchrum*
Jam misero est, pœnęq; genus vidisse precantem.

2 ‡ Ex quo huic soli, in signum supremæ majestatis, non immeritò tribuitur jus dandi gratiam vel eximendi reos noxæ text. *in l. Moris.* 9. §. 11. *l. Divi fratres.* 27. *l. Ad bestias.* 31 *ff. de pœn.* Cacheran. *decis. Pedemont.* 101. Ioan. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 8. *&* 10. ubi inter alia memorat Carolum V. Imperatorem, cum senatui Mediolanensi regiam ferè concessisset potestatem, sibi soli servasse veniam delictorum, adde
3 Jul. Clar. *prax. criminal.* §. *fin. quæst.* 59. *num.* 2. ‡ Nostris moribus idē obtinet

obtinet, quandoquidem in comitiis ab Ordinibus provinciæ Gelriæ, qui in jura principis ſucceſſerunt, vel horum loco à proprincipe juxta *art.* 33. *Ordinat. Cancellar. Gelr. an.* 1579. criminis commiſſi venia impetrari debet⌐. Unde vocabulo *heer*, quo hic & §. 6. h. *tit.* utuntur Reformatores, non intelligendus venit inferior aliquis dominus, quantamvis etiam habeat jurisdictionem, ſed is qui neminem ſe ſuperiorē agnoſcit cuique jura majeſtatis propriè competunt, quive hujus vices
4 gerit⌐. ‡ Quod adeò verum eſt, ut magiſtratus inferior poſt latam condemnationis ſententiam, reum poſtea innocentem repertum, vel qua alia juſta de cauſa nec reſtituere nec mitius habere queat *l.* 1. §. 27. *ff. de quæſtionib. junct. l. Divus Hadrianus* 33. *l. judex.* 55. *l. cum quærebatur.* 62. *ff. de re judicat.* Cacheran. *dict. decis.* 101 *num.* 8. Marquar. Freher. *tractat. de exiſtimat. lib* 3. *cap.* 7. *num. fin.* 24. Anton. Faber. *in Cod. Sabaud. lib.* 9. *tit. de pœn.* 25. *definit.* 8. & dixi junior olim obiter *in commentar. ad leg. obſervandum. ff. de offic præſid. verb. & ſummatim ita jus*
5 *reddet &c. num.* 25. ‡ Cæterùm cum textus hujus art. non de quovis alio delicto, ſed tantum de homicidio loquatur, quæri convenit an hujus aliquando gratiam facere debeat princeps vel quisquis imperio ſummo potitur? Notus eſt locus Genes. 9. *Quicunque effuderit ſanguinem hominis, ſanguis illius effundetur.* Exod. 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias, ab altari meo avelles eum ut moriatur.* Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*⌐. Et ad Roman. 13. dicitur, *quod omnis imperans ſit Dei miniſter, & ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit*⌐. Utcunque igitur princeps remittere poſſit pœnam capitalem ob politicas rationes introductam; vix tamen videtur eſſe conceſſa poteſtas condonandi pœnam homicidii, quam Deus ipſe ſua autoritate ſancivit in ſacris literis. Diſpenſare namque permiſſum eſt de legibus humanis ſive (ut loquuntur) poſitivis, at nequaquam ſine ſcrupulo conſcientiæ de divinis, prout etiam latè & graviter circa hanc materiam diſſerit Ioan. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10. & noviſſimè Benedict. Carpzov. *in definit. ad conſtitut. Saxon. part.* 4. *conſtitut.* 9. *def.* 7. adde Scheidwin. *tit. Inſtitut. de nupt.* §. *de arbore affinitat.*

tat. num. 22. Præterquam quod publicè interſit ne delicta maneant impunita *l. Ita vulneratus,* 51. *vers. Quod ſi quis. ff. ad leg. Aquil.* cum *aliis ſupr. tit.* 2. §. 17. *gloſſ.* 1. *citat.* Attamen quia memorati ſacræ ſcripturæ loci commodè exaudiri poſſunt de homicidio doloſo, veluti placuiſſe quoque videtur Bodino *dict. loc.* non eſt quod quis in aliis ſpeciebus principi adimat hanc poteſtatem, longo uſu ubique gentiũ cum laude uſurpatam. *Materia enim eſt* (inquit Caſſiodor. *variar. lib.* 3. *epiſt.* 46.) *gloriæ principalis, delinquentis reatus; quia niſi culparum occaſiones emergerent locum pietatis non haberet. Quid enim ſalubris ordinatio gerat, ſi morum probitas cuncta componat. Arida ſiccitas madentis pluviæ beneficium exoptat. Salutiferis medentium manibus niſi infirma valetudo non indiget. Sic dum imbecillitati ſuccumbitur, convenienter remedia tribuuntur. Quapropter caſibus aſperis præſtandum eſt ſub juſtitiæ laude moderamen: ut nec vindictam ſinamus ſuperare peccata, nec culpam inſultare patiamur legibus impunitam.* ‡ Neque hic art. de alia homicidii ſpecie, cui hanc remiſſionis gratiam applicat, agit, quàm quod in pugna calore iracundiæ, non data ad id opera commiſſum eſt, uti præcipuè arguunt illa verba: *vechtender hant, uyt hevigen moet, ſonder opſat,* cui convenit uſus regni Galliæ, uti indicat C. le Bret. *traicté de la Souveraineté lib.* 4. *cap.* 6. *vers.*
7 *Mais pour accommoder.* ‡ In cujus examine & deliberatione prudens & cauta adhibenda eſt cauſæ cognitio, quomodo dicitur Hiſpaniarum rex tres aut quatuor Doctorum præcipuos in conſilium vocare, quoties delicti alicujus venia concedenda venit, Hieron. Conneſtag. *de Portugall. & Caſtell. conjunct. lib.* 8.

ART. 4.

Wie door ſchienbaerlick ongeluck, ofte oock om ſyn lyf nootwendich te verweeren, yemant ombrochte, die ſal het lant van Veluwe ruymen und verlaeten moeten jaer und dach, of ſal ſich mogẽ ſtellen in handen vã de juſtitie, om ſich behoorlic te purgirẽ eñ ontledigen.

ART. 4.

Qui caſu aut ob neceſſariam vitæ tutelam aliquem occiderit anno & die à terra Velavica exulabit, vel ad docendam innocentiam ſeipſum juri juſtitiæve committet.

Glossa I.

SVMMARIVM.

Consuetudines huic art. consonantes.

HUic art. per omnia similis est Reformat. Zutphan. *tit.* 11. *art.* 22. Ruremund. *part.* 6. *tit.* 2. §. 5. *art.* 14. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 22. § 5. Et accedit quo ad exilium unius anni consuetudo diœcesis Ultrajectinæ, de qua testatur præses Radlant. *decis. Vltrajectin.* 69. *num.* 1.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Homicidium aliud minus aliud magis casuale, quod ad intellectum hujus art. facit adductis locis aliquot juris civilis.*
2. *Homicidium omninò casuale excusatur, at si culpa præcessit arbitrio judicantium relinquitur,*
3. *Quale non ordinaria pœna punitur, attamen non penitus impunitum dimittitur.*
4. *Remittitur ulterius ad autores qui de homicidio casuali scripsere.*

1 W*Ie door schienbaerlick ongeluck*) † Cum homicidium aliud sit minus
aliud magis (ut ita dicam) casuale, non absque ratione hic additur
vox *schienbaerlick*, quasi ad hoc ut quis unius tantum anni spatio à Vela-
via exulet constare debeat de casu evidenti, quem nulla culpa præces-
sit, qualis desumi potest *ex l. Item Mela.* 11. *princip. ff. ad leg. Aquil.* §. 4.
& 5. Institut. eod. cap. Lator. 9. *cap. Dilectus.* 13. *cum trib. seqq. extr. de ho-
micid. volunt. vel casual. item Caroli* V *Imp. constitut. Criminal. cap.* 146. *vers.
Vnd damit dieser fall &c.* Iul. Clar. §. *Homicidium. num.* 2. † Nam hujus-
2 modi homicidam leges omninò absolvere solent ac fato potius quàm
noxæ imputare quod commissum est *l.* 1. *l. Eum.* 5. *C. ad leg. Cornel. de
Sicar.*

Sicar. cum similib. passim. Sin autem culpa præcessisset, ut similiter in altero exemplo *d. l. Item Mela. item d. §. 4. & 5. Institut. ad leg. Aquil. & constitut. criminal. Carol. 5. d. cap. 146. vers. Vnderstund sich aber &c.* arbitrio judicantium permitti videtur quid pro sua prudentia ex facti circumstantiis statuere velint. ‡ Utcunque enim tale homicidium ordinaria legis Corneliæ de sicariis pœna non vindicetur *l. In lege. 7. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* impunitum tamen non relinquitur *l. Ejusdem. 3. §. 2. vers. sed ex senatusconsulto l. lege Cornelia. 4. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Bartol. in l. In Lege 7. & l. Divus. 14. ff. eod. Constitut. criminal. Carol.* v. *dict. cap. 146. vers. Vnderstund sich aber. & ibi* Nicol. Vigel. Jul. Clar. §. *Homicidium. num. 3. & 4.* ‡ Sed prolixius non ago in materia hac homicidii casualis, quæ ab aliis dudum diligenter satis est occupata, inter quos pro ulteriori illustratione hujus loci adire licet Anton. Gomez. *resolut. tom. 3. cap. 3. num. 16.* Nicol. Vigel. *ad constitut. Carolin. public. judic. cap. 7. except. 3.* Wesenbec. *paratit. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. num. 23. & 27.* Math. Coler. *part. 1. decis. 156.* Ioan. Philipp. Monspeliens. *Respons. jur. 15.* ac novissimè Christoph. Crusium *tractat. de indiciis delictor. part. 2. cap. 24. 25. & 26. ubi omnium latissimè.*

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Cum homicidio casuali comparatur aliquatenus quod sui defendendi causa committitur & quatenus præter intentionem fiat.*
2. *Inculpata tutela quæ, remissivè.*
3. *Quomodo & quando quis ob sui necessariam defensionem excusetur ab homicidio, remissivè.*

1 O*M syn lijf nootwendich te verweeren.)* ‡ In eadem causa cum homicidio casuali, quatenus scilicet eidem nulla culpa admixta est, non immeritò hic habetur istud quod sui defendendi causa committitur, ideoque necessarium appellari consuevit. Nam, ut rectè dixit Thom.

Thom. Aquin. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 1. in vera defensione homo non occiditur ex intentione. *Non quod non interdum* (ut eleganter interpretatur his verbis Hug. Grot. *de jure belli ac pacis. lib.* 2. *cap.* 1. §. 4.) *si alia salutis non suppetat ratio, non liceat destinatò id facere unde mors aggressoris sit secutura, sed quod hic mors illa non eligatur ut quiddam primariò intentum, sicut in punitione judiciali, sed ut unicum quod eo tempore suppetit; cum is qui impetitus jam est, etiam illo tempore malle debeat tale aliquid facere quo aliter absterreatur, aut debilitetur, quàm quo intereat.* ‡ Et ut homicidium
2 casuale in jure veniam meretur, ita hoc puniri nullo modo potest, dummodo limites inculpatæ tutelæ non excesserit, cujus descriptionem videre est in constitut. criminal. Imp. Carol. v. cap. 140. ‡ Quo-
3 modo autem & quando ob sui necessariam defensionem excusetur homicida latè pridem tractarunt Anton. Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 20. *cum aliquot seqq.* Jul. Clar. §. *Homicidium, à num.* 24. *ad num. usque* 37. Nicol. Vigel. *ad constitut. Carolin. public. judic. cap.* 7. *except.* 1. *cum replicat.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *&* 8. Christoph. Crus. *dict. tractat. de indic. part.* 2. *cap.* 23. quibus non inutiliter addetur constitut. Criminal. Imp. Carol. v. *cap.* 139. 140. 141. 142. 143. *&* 144. & elegantissimè pro patrocinio defensionis privatæ Hug. Grot. *dict. tractat de jure belli ac pacis lib.* 1. *cap.* 3. § 3.

ART. 5.

ITem soo sal de officier de gueder van alle degene die eenigen dootslach begaen hebben strax doen beslaen, die welcke mogen geredimiert worden met thien ponden.

ART. 5.

IN omnium eorum bona, qui homicidium aliquod commiserint, officialis statim manum injiciet, ita tamen ut redimi queant decem libris.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Consuetudo consonans.*
2. *Quatenus conveniat hæc manus injectio annotationi bonorum.*

3 *Quate-*

3. *Quatenus differat.*
4. *Annotatio bonorum antiqua generali consuetudine exolevit.*

Doen beslaen) ‡ Jubetur hic officialis injicere manum bonis homicidæ profugi, cui convenit Reformat. Zutphan. *tit* 11. § 18 & passim totius Gelriæ consuetudo. ‡ Ea autem manus injectio, quæ & arrestum, non absimilis est annotationi bonorum, de qua in *l.* 1. §. 2. *& l. ult. ff. de requir. reis. l.* 1. *C. eod. l Absentem.* 6. *C. de accusat.* quod notavit Chassan. *ad consuetud. Burgund. rubric.* 2. *des confiscations. num.* 10. quem sequitur Andr. Gail. *tractat. de arrest. imper. cap.* 1. *num.* 4. ‡ Differt tamen, quatenus veterum illa annotatio eam vim habeat, ut si reus intra annum se purgaverit aut etiam mortuus fuerit bona sua recipiat vel ad heredes transmittat *d. l.* 1. *ff. de requir. reis. l.* 1. *C. eod.* sin autem citatus contumaciter emanserit eadem in fiscum redigantur, sublata omni spe recuperandi etiamsi postmodum innocentiam probaverit *l. Quicunque.* 2. *C. de requir. reis.* Nostra verò hæc manus injectio bona annotata nullo modo adimit, concessa redimendi facultate, de qua paulò post dicendi erit locus. ‡ Et observat Jul. Clar. §. *fin. pract. criminal. quæst.* 44. *num* 3. generali quadam consuetudine prædictam annotationem exolevisse ac ejus loco usurpari pœnam proscriptionis, quam bannum appellat. Cui accedit Wesenbec. quo ad Saxonum mores nostris multùm similes, *paratit. ff. de requir. reis. num* 6. *Constit. criminal. Carol.* V. *cap.* 206.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Pravam esse consuetudinem, qua fisco vindicantur profugi homicidæ bona.*
2. *Privilegium Noviomag. circa redemtionem bonorum profugi homicidæ.*
3. *Quid si profugus homicida ex contumacia condem-*

netur ac postmodum moriatur, nulla facta redemtione bonorum solitâ, utrumne fiscus in successione præferetur proximiori ab intestato? Negatur adductis rationibus.

1 G*Eredimiert worden met thien ponden.*) † Profugi homicidæ bona annotari quidem, non tamen fisco vindicari suprà visum est, quamvis alicubi in Gelria contrarium observari quidam velint, quam pravam meritò arguere licebit consuetudinē ex iis quæ tractat Christoph. Besold. *part.* 3. *cons.* 119. *per tot.* Statuitur autem hic certum pretium
2 quo redimi possint, videl. summa decem librarum. † Non dissimile est privilegium Noviomagensium à Carolo duce Gelriæ iisdem singulariter concessum *anno* 1528. 23. *April.* quo redimi datur quatuor aureis scutis Francicis, vel loco eorum, sex aureis Rhenensibus iusti
3 ponderis. † Sed quid si edicto citatus non compareat ac propterea in contumaciam condemnetur & postmodum moriatur, nulla interim nec per se nec per alium facta redemtione, anne hoc casu officialis fisci nomine, vel potius ab intestato proximus successurus sit? Et quia confiscationem sapit, quam moribus sublatam esse suprà asseruimus *cap.* 4. §. 4. sitque præterea rectior opinio, secundum Peregrin. *de jure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 169. ut bona alicujus non confiscentur, nisi lex vel princeps nominatim præcipiat, uti latè Besold. *part.* 3. *consil.* 95. *num.* 37. *cum seqq. aliquot*, officialem omninò postponi proximiori ab intestato existimo, modò is neglectam redemtionem ritè obeat. Neque successioni, quæ à jure cognationis & sanguinis pendet facilè præjudicari debet à condemnatione illa in contumaciam, quæ tantum est juris positivi, sive communis sive consuetudinarii; cum jura sanguinis nullo jure civili dirimi possint *l.* 8. *ff. de reg. jur.* Ex quo receptum est, ut capite diminuti agnati à successione quidem quæ dicitur *Vnde legitimi* arceantur, jure tamen cognatorum admittantur ad eam successionem, quæ est *Vnde cognati. l. legitimis.* 5. *ff. Vnde cognati. l.* 1. §. *Sed videndum.* 11. *ff. de successor. edict.* eleganter Philip. Mathæ. *ad d. l.* 8. *ff. de reg. iur.* In dubiis etiam quæstionibus qui facilè contra fiscum responderit non putatur delinquere *l. Non puto.* 10. *ff. de jure fisci.*

ART.

ART. 6.

DE dootslagers en sullen van den Heer niet soenen mogen, sy syn dan eerst van den vrunden des ontlijfden gescheiden nae eischung der saeckē und nae oire macht, und de soene sal dan noch staen tot des heeren wille.

ART. 6.

HOmicidæ cum Domino componere non poterunt, antequā cum propinquis occisi transegerint secundum facultates suas ac prout causa exegerit. Quo casu adhuc stabitur arbitrio Domini super admittenda reconciliatione.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Notatur differentia juris civilis & consuetudinis circa transactionem propinquorum de cæde defuncti.*
2. *Ex communi Dd. opinione permissa transactio de criminibus sanguinis pœnam meritis.*
3. *De voce* Soengelt *diversæ appellationis apud diversas nationes, ubi locus ex capitul. Carol. Magni cum gloss.*

IN hoc articulo & duobus proximè sequentibus agitur quomodo non solùm Domino superiori sed etiam occisi propinquis reconciliari de-
1 beat homicida. † Et quamvis jure communi aliàs cautum sit, ne propinqui de cæde defuncti transigant cum interfectore, quippe quod ulcisci cædem debeant, nisi ejusdem hereditate privari velint *l. 1. l. Cum fratrem. 9. C. de his quib. ut indign. hered. aufer. cum similib. quæ passim ad hoc citari solent:* moribus tamen contrarium servatur, ut hic, & ita definitum testatur Paul. Christin. *decis. cur. Belg. vol. 1. decis. 152. num. 2.*
2 latè Nicol. Reusner. *lib. 1. decis. 20.* † Quod juvatur illo Doctorum communi effato, licitum esse transigere de quibuscunque criminibus publicis, modò corporalem seu sanguinis pœnam ingerant, cujus sedes præcipuè est in *l. Transigere. C. de transact. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante*

 sentent.

sentent.. sibi mort. consciver. Iul. Clar. *prax. criminal. quæst.* 58. *num.* 5. Gomez. *resolut. tom.* 3 *cap.* 3. *num.* 54. † Cæterùm pecunia ex hujusmodi
3 transactione accepta nostris dicitur *Soengelt*, superioris Germaniæ populis *Sühngelt*, *Mangelt* & specialiter Saxonibus *Wehrgelt*, quod notat Paul. Wehner. *in practic. observat. lit. S.* adde capitular. Carol. Magni *lib.* 7. *cap.* 183. ubi inter cætera: *Si convenerit* (inquit) *ut ad compositionem quisque descendat, nullus de parentibus aut amicis eum quicquam adjuvet, quod si fecerit, suum Wirgildum omninò componat.* ubi Pitheus in Glossar. *Wirgild, secundum quod appretiatum fuerit. Pœnitent. Roman. Pretium suum, id est Wirgildum suum. In legib. Edouard. Regis Angl. Inveniat plegios tales qui possunt reddere foris facturam, id est Were suum.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Consonantes consuetudines, itemque simile jus Gallicum.*
2. *Principem non posse gratiam homicidii facere ante transactionem cum propinquis defuncti.*

De dootslagers en sullen &c.) Hic omnis veniæ aut gratiæ à principe impetrandæ spes amputatur, nisi prius cum propinquis occisi transactum habeat homicida. † Quod similiter ita cautum est in Reformat.
1 Zutphan. *tit.* 11. §. 23. Ruremund. *part* 6. *tit* 2. §. 5. *art.* 15. *&* *tit.* 9. *art.* 1. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 22. §. 6. Privileg. Ducat. Brabant. vulgò *Blyde incompste. art.* 21. ubi Georg. Vivien. *in not.* Paul. Christin. *decis. cur. Belg. vol.* 4. *decis.* 198. *num.* 18. Consonat jus Gallicum, de quo Ludovic. Charond. *in pandect. jur. Gallici lib.* 4. *cap.* 15. *vers. Les lettres de remission.* ubi tradit, indulgentiis aut remissionibus regiis inseri solitum, *Satisfaction faicte a partie civile, si faicte n'est*, quod & sequi Senatum Pedemontanum docet Anton. Tessaur. *decis.* 21. *num.* 21. item servari in Ducatu Mediolanensi Iul. Clar. *prax. criminal. quæst.* 59. *num.* 4. quibus locis uterque citat Grammatic. *vot.* 35. *num.* 8. dicentem, si

‡ si aliter fiat à principe, eundem mortaliter peccare, nec ullo modo obesse parti offensæ, post gloss. Bart. Bald. Castr. Jason. & Felin. concludit Cacheran. *decis. Pedemont.* 138. *num.* 11. adde Dan. Moller. *Semestr. lib.* 3. *cap.* 31. & Ioan. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 8. *vers. Et partant il fut jugé &c.* Ne igitur de sub & obreptionis vitio accusetur diploma principalis remissionis, ante omnia transigendum erit cum propinquis defuncti.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Ratio quare habita transactione cum propinquis superior quoque placari debet.*
2. *Non obstante dicta privata transactione judex ex officio procedet contra homicidam.*
3. *Itaque plenè consulendum.*
4. *Quæritur, an habita privata transactione, omissa tamen principali, reo pœna sanguinis infligatur? Et relata duplici opinione sibi invicem adversante amplectimur negantium sententiam per rationes ibid. cum declaratione tamen.*

UNde de soene sal dan noch staen tot des heeren wille. *)* Utcunque præcesserit reconciliatio cum defuncti propinquis, domino tamen
1 superiori integrum est quomodo placari velit. ‡ Nam cum ex commisso homicidio non unus sed duo offendantur, pars scilicet læsa & ipse magistratus ratione violatæ justitiæ, utrique quoque satisfieri nec alteri per alterum præjudicari æquum est, eleganter Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 55. *vers. confirmatur ratione.* Virgil. Pingizer. *quæst.*
2 *Saxon.* 4. *num.* 4. ‡ Quod adeò verum est, ut non obstante privatorum hac transactione judex ex officio contra reum procedere possit etiam usque ad condemnationem, quam dicit esse communem opinionem & sequitur Boer. *decis.* 91. *num.* 2. Jul. Clar. *prax. criminal.* §. *fin. quæst.* 58. *num.* 1 *vers. Sed de consuetudine.* & *num.* 2. Gomez. *dict. num.*

55. Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. jur. lib.* 28. *cap.* 2. *num* 9. *vers. Sine præjudicio tamen Reipublicæ.* & novissimè Delrio *in repetit. l. Transigere.*
3 *C. de transact. num.* 59. *cum seqq.* ‡ Sibi itaque plenissimè consulet quicunque hoc casu supremi magistratus autoritatem adhibuerit juxta Jason. *in d. l. Transigere. num.* 19. *C. de transact. per text. in l. Furti.* 6. §. 3. *in fin. ff. de his qui not. infam.* & post alios Nicol. Reusner. *dict. lib.* 1.
4 *decis.* 20. *num.* 24. & 34. Virgil. Pingizer. *dict. quæst.* 4. *num.* 7. ‡ Sed quæsitum fuit, an prævia cum propinquis transactione, omissa tamen compositione principali, judex infligere possit homicidæ pœnam sanguinis? Dubia sanè est decisio, aliis negantibus aliis affirmantibus. Pro his est *text. in l. Qui cætu.* §. *fin. ff. ad leg. Jul. de vi public. l.* 2. *C. de abolitionib.* Anton. Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 55. *Jul. Clar. dict. quæst.* 58. *num.* 2. *vers. Nihilominus.* ubi hanc magis communem esse dicit opinionem, Hieron. de Cævall. *Specul. opin. commun. contra commun. lib.* 1. *quæst.* 77. *num.* 4. & 5. Pro illis verò negantibus stat Bart. *in d. l. Transigere num.* 7. & Curt. Jun. *ibid. num.* 29. quos sequitur Virgil. Pingizer. *dict. quæst.* 4. *num.* 6. ubi ita aliquoties judicatum refert. Nec juris ratione caret, quandoquidem ubi pœna mortis pro delicto aliquo imposita ex causa venit mitiganda, non corporalis sed pecuniaria vel alia quæ non affligit corpus dictari solet, ut multis allegat, docet Grammaticus *decis. Neapolitan.* 98 *num.* 9. Horum autem sententiā ego quoque sequerer, cum satius mihi sit nimiæ lenitatis, si qua fortè hic, quàm crudelitatis rationem aliquando reddere; nisi tamen facti atrocitas ex suis circumstantiis contrarium suaderet, prout declarat Cævall. *dict. loc. num.* 5. præsertim quando jus Velavicum circa homicidium ex proposito commissum non adeò facilè comprobare videatur transactionem cum propinquis ineundam, ut est text. *in* §. 8. *h. tit.* ibi: *die niet moordadich und opsetlick omgekomen ware* ̃.

ART. 7.

Und want op Veluwen unde in Veluwen-soom ghemeinschap is van gocde-

ART. 7.

Et cum in Velavia ac ora Velaviæ bonorum communio sit inter

goederen tusschen man und wijf, so sullen alle soenen van dootslagen geschieden soo wel met den lest levenden, als met den naesten vrunden van den ontlijfden, welcke naeste vrunden verstaen werden te syn alle die gene, die erven und succediren in de guederen van den ontlijfden, Met der bescheydentheyt, dat die soen-penningen half en half gedeylt sullen worden tusschen den lest levenden und den naesten vrunden des aflivigen, Te weten, als man of wijf doot gebleven is, Maer aengaende ongehielickte personen, sal de soene gheschieden aen des ontlijfden naeste vrunden alleen, Alles met alsulcke solenniteiten als de eerbaerheyt und der saecken ghewicht vereischen.

inter conjugatos, transigendum erit super admisso homicidio tam cum superstite conjuge, quàm cum propinquis occisi, id est, cũ omnibus illis quibus jus successionis competit in bona ejusdem. Cæterùm nummi hujusce redemtionis æqualiter dividentur inter modò dictos superstitem ac propinquos. Verbi gratia, si perierit vir aut uxor. at de non conjugatorum cæde transigendi jus solis competit præmemoratis propinquis. Fient autem omnia ea solennitate quam honestas & causæ gravitas desiderant.

Glossa I.

SVMMARIVM.

1. Duplex ratio quare tam cum superstite conjuge quam cum propinquis defuncti transigendum sit de cæde, & consuetudines consonantes.

UNd *want op Veluwen &c.*) ‡ Data inter conjuges bonorum communione (quam pridem *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tract.* 1. *cap.* 1. *num.* 26. amplissimam esse dixi) statuitur, homicidam non solùm debere reconciliari propinquis defuncti, verùm etiam conjugi superstiti. Cui similis est Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 23. Transisul. *part.* 2. *tit.* 22. §. 6. Sed & arctissimæ viri & uxoris conjunctioni, qua duo in carne una dicuntur, quaque injuria illata uni alteri quoque

facta intelligitur, non immeritò hoc tribuetur, uti hanc rationem huic loco optimè accommodabis ex tradttis ab Anton. Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 65. *in fin.* & qui hunc paraphrasticè quasi sequitur Flor. Diez de Mena *variar. quæst. lib.* 1. *cap.* 7. *num* 8. 9. 10. 11. & 12.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Qui propinquorum nomine veniant, & an fœmina.*
2. *Quid de filio minorenni itemque spurio.*
3. *Tractatur, an cum omnibus propinquis transigendum sit, an verò sufficiat cum aliquo eorum aut numero majore.*

1 W*Elcke naeste vrunden verstaen worden &c.*) † Propinquorum nomine hic intelliguntur omnes illi qui in bona occisi succedunt. Sive igitur sint agnati sive cognati, ascendentes, descendentes aut collaterales successionis eo ipso tempore capaces transigere, vel, ut loquuntur, pacem facere cum homicida possunt. Nec dubium est quin fœmina æquè ac masculus admittatur, tum quod in præcedentibus verbo superstitis conjugis eadem jam sit comprehensa, tum etiam quod lex aut statutum heredis mentionem faciens tam de fœmina quàm masculo intelligatur *l. Heredis appellatione* 170. *ff. de verb. Significat. l. Ex facto.* 17. §. *fin. ff. ad senatusc. Trebell. l.* 1. *junct. rubric. C. de legitim. hered. & Dd. communiter.* Probant præterea manifesti aliquot juris civilis textus, ut est *l. Sororem.* 10. *C. de his quib. ut indign. hered. aufer. l. propter.* 21. §. *neptis. ff. de Senatusc. Silan. l. Mater.* 2. *C. de calumniator. l. uxor.* 4. *C. Qui accusar. non poss.* Gomez *resolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 65. & latè
2 Ioan. Köppen *in decis. quæst.* 10. † De filio minorenni itemque spurio, an & quando de morte patris transigere possint satis luculenter tractat Gomez. *dict. loc. num.* 66. quare eòdem remisisse suffecerit. Ex eo tamen, quod Reformatores hoc loco inter propinquos tantùm habeant heredes & successores defuncti, quod de spurio non rectè prædicatur subdu-

tur, ſubdubitari poteſt an hic quoque admitti debeat. Verùm benignius recipi puto, ut deficientibus aliis admittatur propter propenſiorem dolorem, uti poſt Bart. docet & præjudicio firmat Cæs. Urſill. *ad decis. Math. de Afflict.* 96. *num.* 17. Jul. Clar. *prax. criminal.* §. *fin. quæst.* 58. *num.* 26. ubi communem hanc teſtatur Doctorum opinionē, quamvis contrarium ſervetur in Senatu Mediolanenſi. Quæ opinio eo magis admittenda videtur, quod nonnemini viſum eſt pretium hoc redemptionis competere liberis occiſi, etiamſi non ſint heredes, & quidem jure ſanguinis, Ioan. Gillet. *tractat. de tutel. & cur. cap.* 28. & poſt hunc Ioan. Sand. *decis. cur. Fris. lib.* 5. *tit.* 9. *def.* 5. *in fin.* ‡ Utilis porrò hic occurrit quæſtio, an tranſigendum ſit cum omnibus defuncti propinquis, an verò ſufficiat cum uno eorum majoreve numero compoſuiſſe? In qua, ne poſt doctiſſimorum hominum laborem per eandem lineam videar reciprocare ſerram, videndi omninò Jul. Clar. *dict. quæst.* 58. *num* 34. Gomez. *reſolut. tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 63. & poſt hos Hieron. de Cævall. *ſpec. opin. commun. contr. commun. quæst.* 77. *num.* 1. & 2. Quorum, non obſtante contraria aliqua opinione, huc redit ſententia, requiri ut omnes nullo excepto conſentiant. Quod ſervari ait Clar. in Ducatu Mediolanenſi, ac ſuper eo extare pragmaticam regis Philippi in regno Neapolitano, *in addit. ibid. Bajard. item Cæs. Urſill. in addit. ad decis.* 180. *Math. de afflict. num.* 9. Cui optimè conſonat jus noſtrum Velavicum §. *6. 7. & 8. h. tit.* utpote identidem dictis locis uſurpans vocabulum *vrunden* in numero plurium, ac inſuper addens *d.* §. 7. pro majori declaratione, *Welcke naeſte vrunden verſtaen worden. te ſijn* (nota) *alle die gene die erven &c.* quaſi indicaret, non unum ſolùm, ſed omnes omninò placandos eſſe defuncti heredes & ſucceſſores, *juxta l. ſi pluribus.* 44. *ff. de legat.* 2. *l. ſi plures.* 98. *ff. de legat.* 3. *junct. l. Julianus.* 68. *ff. eod.* Gomez. *dict. loc.* & in ipſis hujus ſtatuti terminis Jul. Clar. *dict. num.* 34. *in fin.* Atque ita ſervari ſolere in ſuprema Gelriæ Curia obſervavi à bon. memor. parente meo Martino Goris Cancellario, dum viveret.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Ad proportionem communionis consuetudinariæ dividitur pretium transactionis.*
2. *Similis consuetudo Marchiæ Brandeburgensis.*

1 *MEt der bescheidentheit &c.)* ‡ Si vir aut uxor occisus occisave fuerit pretii reconciliationis (*Soengelt*) semis cedet superstiti, reliquo semisse relicto illius heredibus & successoribus. Ad proportionem scilicet consuetudinariæ communionis bonorum inter conjuges, cujus vi, ubi contrarium non convenit, altero mortuo superstiti semis omnium, quæ viventes possederunt, adjudicatur, uti *in princip. hujus*
2 *art.* innuitur. ‡ Quod simili quadam juris analogia hac eadem ferè specie usurpatur in Marchia Brandeburgensi, quando vidua ex bonis mariti allodialibus dimidium accipiens pro rata ejusdem vindictæ hujus æstimatione quoque gaudet Ioan. Köppen *dict. quæst.* 10. *num.* 11. quem sequitur Joachim. Scheplitz *in not. ad consuetud. March. Brandeb. p.* 4. *tit.* 28. *quæst.* 2. *num.* 2. 3.

ART. 8.

Off de vrunden des dooden, die niet moordadich und opsettelick omgekomen ware, den handtdediger niet en wollen laeten scheiden t'eyndens ofte nae verloop der tyt hier voor benoemt, und de hantdediger oirbiedich were te scheiden tot erkentenisse des Heeren, soo sal de Heer den selven mogen laten soenen, hem het lant wederom gheven, by syn goet te komen, und voor de vrunden des dooden beschudden und veylich halden

ART. 8.

SI propinqui ejus qui nullo animi destinato proposito interemptus est post tempus jam memoratum noluerint transigere cũ reo, parato tamen super hoc arbitrio Domini stare, liberum erit eidem Domino cum illo transigere ac accessum in patriam bonisque suis fruendi facultatem concedere, ut & tutum eundem præstare contra defuncti propinquos, donec iidem

halden, ter tyt toe de selve vrunden oirbiedich weren nae gestalt der saken und nae syne macht te laeten soenen, Vnd of sich die vrunden daer tegen aen den handtdediger keerden, soo sal t' selve met recht geacht werden voor ghewalt nae gelegentheit der saken.

iidem pro causæ qualitate & facultatibus transactionem amplectantur. Quod si hujus nulla habita ratione prædictum reum turbaverint jure habebitur pro vi ex causæ circumstantiis.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Confirmatur à re judicata & ratione juris.*

Off de vrunden des dooden &c.) ‡ Eadem quæ hoc art. statuuntur in Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 24. Ruremund *part.* 6. *tit* 2. §. 5. *art.* 15. 16. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 22. §. 6. Ut si heredes proximiores occisi ad id requisiti definito tempore elapso transigere cum homicida pertinaciùs recusaverint, idem tamen Domino reconciliari ac ab eodem in patriam admitti possit & adversus illos defendi debeat, donec suam tandem mutaverint sententiam. ‡ Nec alienum ab hoc est quod in simili judicatum refert Tessaur. *decis* 21. *num.* 3. *vers. Ideoque in casu proposito.* Congruit namque bono & gravi præsidi (& quid ni omni magistratui?) curare, ut pacata atque quieta provincia sit, ut inquit Ulpianus *in l.* 13. *ff. de offic. præsid.* adde *l.* 1. §. *Inde quæritur.* 10. *ff. de novi oper. nunciat. Novell.* 17. *de mandat. princip. cap. Deinde.* 2. Nicol. Reusner. *lib.* 1. *decis.* 20. *num.* 35. 36. & 37.

Glossa II.

SVMMARIVM.

1. *De homicidio deliberato nulla permittitur transactio, sed omni jure etiam Velavico capite punitur.*

1 *Die niet moordadich ende opsetlick omgekomen were)* ‡ Ex his manifestū evadit transactionem vel reconciliationem admittere tantum Reformatores in homicidio casuali, aut etiam ad sui necessariam defensionē vel calore iracundiæ in pugna commisso, non autem de eo quod dolosè vel deliberatò perpetratum est. Quippe quod omni tum divino tum humano jure ac specialiter etiam moribus Velaviæ, de quibus *in* §. 1. *h. tit.* absque ulla conniventia capite puniri debet. Quod convenit cum illo quod circa *Werigeldium* homicidii commissi causa præstandum de jure Saxonum definitum tradit Jacob. Schultes. *in addit. ad Modestin. Pistor. part.* 3. *quæst.* 107. *num* 40. *vid. suprà* §. 3. *gloss.* 3.

ART. 9.

Off yemant onversiens by ongeluck doot bleve, het waer dat hy van een huys, eenen wagen, van een peerdt, of anders waer afviele of verdroncke, ofte woe sich dat begeven mocht, daer van sal de heer geen breuck hebben.

ART. 9.

Domino nulla competet mulcta si quis casu perierit, sive idem domo, curru, equo aut alicunde deciderit vel etiam submersus fuerit, aut quocunque modo hoc evenerit.

Glossa

SUMMARIUM

1. *Casu extinctus non debet mulctam, mutato more veteri & barbaro.*

DE eo quod quis casu aliquo perierit nulla Domino mulcta debetur. Quod similiter statuitur *art.* 26. *transactionis initæ anno* 1538. *inter Duces Gelriæ & Cliviæ.* Commiseratione enim potius dignus est, quam pœna, qui ita interit, neque afflicto addenda est afflictio, ut habet vulgatum juris anxioma, cujus fundamentum est *in l. Si furiosi.* 25. *in fin. C. de nupt. & l. Divus Marcus.* 14. *ff. de offic. præsid.* Ex hoc autem textu ac præcitata transactione elicitur mos ille barbarus, quo in Gelria olim vicinisque aliquot regionibus judici mulctam debebat is qui fortuitò, ut ita dicam, extinctus esset.

ART. 10.

UNd sullen dusdanighe und andere ontlijfden, die niet natuirlicker wijse vant leven ter doot ghekomen syn, niet mogen ter aerden bestadet werden, si weren dan eerst van den officier ter plaetsen besichtiget und beleidet.

ART. 10.

NEque hoc modo interempti aliique qui consueto naturæ ordine vitā cum morte non commutaverint terra condentur, antequam eosdem visitaverit loci officialis.

Glossa.

SVMMARIVM

Consuetudines consonantes & quare præcipuè necessaria cadaveris inspectio.

HVic similis est Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 15. Ruremund. *part.* 6. *tit.* 2 §. 5. *art.* 19. Transisul. *part.* 2. *tit.* 21. § 2. Constit. criminal. Car.V. Imp. *cap* 149. Ubi hanc cadaveris inspectionē tantò magis necessariā innuit, quantò certius ex illa constare possit quo mortis genere defunctus interierit. Quod præterea indicat §. 12. *h. tit.* & ubique ferè locorum generali quadam consuetudine dudum invaluit.

ART. 11.

AlSoo bevonden wort in Veluwen een seer quaet gebruyck te syn int vervolgen van dootslagers, door dien dat des dooden mans vrunden met groote ongestuimicheit in die huisen vallen vā die daders und hare vrunden, und onder decksel van huisſueckinge und vervolg des dootslagers allerhandt moetwil und overlast aenrichten, wesende een saecke van een seer quade consequentie die

ART. 11.

QVoniam compertum est perverso more in Velavia circa persequutionē homicidarum dudum inolevisse, ut occisi propinqui magna animi ferocia irrumpant in ædes reorum eorumve qui hos cognatione contingunt, ac sub specie inquirendi & persequendi homicidā omne genus insolentiæ ac violentiæ committant, unde malum

die in landen van justitie niet behoort geleden te worden, So sal sich voortaen niemant gelusten laeten int vervolgen van persoonen die eenen nederlage begaen hebben eenige moetwille, daetelicheit, schade ofte ongemack aen te richten, by pene van reparatie der gedaeener beschadigung, ende daer en boven arbitralick gestraft te worden tot erkentenisse des Gerichts.

malũ sequi necesse est, in Republica, ubi suus justitiæ vigor, nequaquã ferendum: Imperatur in posterum unicuique, ne in persequendo eũ qui homicidium commiserit ullã insolentiam, vim, damnum aut incommodum inferat sub pœna reparandæ injuriæ damno datæ ac mulctæ arbitrariæ prout judicantium religio decreverit.

ART. 12.

UNd sal den Scholten bevolen ende ingebonden syn, nae dat eenigen nederslach in afwesen van den Drost ofte Richter geschiet sy, stracks daer over te neemen goede geloofweerdighe informatie, alvoorens den dooden man ter aerde kome of begraven worde, ende sulcke informatie in behoorlicke forme beschreven, besegelt ende beteickent, sonder vertoch te senden aen den Drost ofte Richter respective, Dat oock over dusdaenighe dooden besichtigung ende beleidung by den Scholten oirkondt gerichtsluiden geschieden und goede aenteickenung daer van gemaeckt worden sal, wie van olden tyden ghebruicklick, op dat die Heer ende die geinteressierde partye daer van, des noot gebeurende, geloofweerdige schijn ende bescheidt vinden und hebben mogen.

ART. 12.

INiungitur etiã prætoribus, postquam absente Satrapa aut judice homicidium aliquod commissum est, ut mox legitimè super eo inquirant, antequam interemptus sepeliatur, ac quicquid constiterit decenti forma conscriptum, signatum ac subscriptum sine mora ad eosdem transmittant. Similiter ex more à longo tempore usitato testibus judicialibus visitabunt prætores hujusmodi mortuos ac id quod actum est annotabunt, quò & Dominus & pars cujus interest, de eo ubi necesse fuerit fide digna documenta habere possint.

Glossa

Glossa.

SVMMARIVM.

Textus art. paraphrasticè exponitur, addita juris ratione.

A*Lsoo bevonden wort &c.) Imperialem decet solertiam* (inquit Frederic. Imp. *in usib. feudor. lib.* 2. *de prohibit. feudi alienat.*) *ita Reipublicæ curam gerere & subjectorum commoda investigare, ut regni utilitas incorrupta persistat, & singulorum status iugiter servetur illæsus.* Quare laudandi meritò Reformatores juris Velavici, quod imperialem sublimitatem imitando sub pœna reparationis damni dati & arbitrariæ correctionis interdicant, ne quis in posterum homicidam persequendo hostiliter irruat in ædes fortunasque ipsius aut propinquorum ejus. Præstaret cum officiali aut ejusdem administris circumquaque indagare autorem cædis atque ita vindictam postulare. Neque enim temerè singulis concedendum est, quod per magistratum publicè potest fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi *l. Non est singulis* 176. *ff. de reg. jur.* vid. Bodin. *de Republic. lib.* 3. *cap.* 5. *vers. Or les loix ont &c.*

ART. 13.

W*Anneer eenen moordaedich of opsetlick yemant dootlick gewont hadde, sulx dat hy sijnes levens in gevaer stae, salmen den dader, soo verre hy te bekomen is, in verseeckerung doen neemen of verburgen laeten, tot dat men sal sien, of die gewonde man aen die quetsuer sal mogen genesen worden und opkomen of niet, Vnd soo vern die ghequetste by leven blijft, sal die dader staen tot erkentenisse des Gerichts.*

ART. 13.

QUicunque aliquem malo animo & ex proposito vulneraverit, ita ut de vita periculitetur, vel in vincula conjicietur, si comprehendi potest, vel idoneæ satisdationi relinquetur, donec certũ sit utrum percussus ex vulnere morietur an reconvalescet. Et si vulneratus supervivit, permittetur vulnerans arbitrio judicantium.

Glossa I.

SUMMARIUM.

Quatenus in carcerem conjiciendus aut sub fidejussoribus dimittendus sit, qui aliquem malo animo ita vulneraverit ut de vita periclitetur, & declaratur communis Doctorum opinio huic art. quodammodo contraria.

IN *verseeckering doen neemen &c.)* In carcerem conjiciendus aut sub fidejussoribus dimittendus dicitur quicunque aliquem ex proposito & malo animo ita vulneraverit ut de vita periclitetur. Ut ita hoc casu in arbitrio judicis positum sit quid potissimum admittere velit, quod juvatur text. *l.* 1. *&* 2. *ff. de custod. reor. l. Eos.* 6. §. *Super his.* 3. *C. de appellat.* At cum incertum sit, utrum vulneratus supervicturus sit an non, & si moriatur, non solùm communi sed etiam Velavico jure §. 1. *h. tit.* vulnerans, utpote ab eventu homicida ex proposito, capite sit puniendus, non immeritò contra hunc textum moveri potest communis Dd. opinio, qua pro regula traditur, fidejussorem nullo modo admitti in crimine cujus causa pœna capitis infligitur, cum, ex eo quod nemo sit dominus membrorum suorum *l. liber homo. ff. ad leg. Aquil.* hic ut principalis obligari non possit, Bart. *in d. l.* 1. *ff. de custod. reor.* Anton. Gomez. *resolut. tom.* 3. *cap.* 9. *num.* 8. Jul. Clar. §. *fin. pract. criminal. quæst.* 46. *num.* 7. Quò haud dubiè respexerunt Reformatores juris tetrarch. Ruremund. *part.* 6. *tit.* 2. §. 5. *art.* 12. quando nulla facta mentione hujus alternationis vulnerantem cum animo occidendi obtorto collo in carcerem detrudi jubent, donec constiterit quid de vulnerato futurum sit. Ratione tamen incerti eventus, quando quod minimum est in obscuris semper sequimur *l.* 9. *ff. de reg. jur.* quin rectè alterutrum judici permittatur vix dubito. Ut taceam quod loci suprà citati prædictam Dd. communem opinionem controversam omninò reddant, veluti jam antè docuerunt Roderic. Suar. *tractat. de fidejussor. in caus. criminal. num.* 16. *&* 17. Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2.

cent.

cent. 4. *cas.* 303. *num.* 17. 18. 19. 20. *&* 21. Et quamvis ab eadem recedendum non esse uterque suadeat, hoc tamen non admisero ubi statuto contrarium cautum est, ut hic, quod me monet idem Menoch. *dict. loc. num.* 21. *in fin.* ac tale statutum valere tradit Bayard. *in addit. ad Iul. Clar. pract. criminal. quæst.* 46. *num.* 25. *alleg. Cæpoll. cons.* 49. *Caballin. ad constitut. March. &c.* Quibus tenus hic subsisto & in iis quæ super fidejussore in caussa criminali ulterius moveri possunt remitto ad dd. Roderic. Suar. & Menoch. *dd. locis*, itemque Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 29.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Consonans consuetudo.*
2. *Iudicis arbitrium, quale hoc articulo conceditur, an ad mortem extendi possit.*
3. *Pœna delicti attentati ex generali consuetudine non eadem quæ sequuto effectu.*
4. *Quod firmatur judicato Scabinorum Noviomagensium, & illustratur aliquo modo loco Calvini, cum remissione ad Menoch.*

U*Nd soo vern die gequetste &c.*) Si reconvalescat vulneratus arbitrio judicis permittitur quid statuere velit de eo qui animo occidendi vulnera inflixisset. ‡ Cui convenit jus tetrarch. Ruremund. *dict. part.* 6. *tit.* 2. §. 5. *art.* 12. *in fin.* ‡ Utrumne autem hoc judicis arbitrium ad mortem, quæ pœna deliberati homicidii est, extendi possit quæro? Sanè, si multorum sententiam sequamur, posse, non est quod ambigas: attamen contrariam opinionem ut mitiorem, quæ nec suis autoribus destituitur, hoc casu potius amplecterer cum Jul. Clar. *pract. Criminal. quæst.* 83. *num.* 11. *vers. Et hæc opinio.* ‡ Pœna etiam delicti attentati, quale hoc loco proponitur, utcunque de jure soleat esse eadem quæ subsequuto effectu, generali tamen consuetu-

dine aliud servari testatur post alios Jul. Clar. *dict. pract. criminal. quæst.* 92 Cacheran. *decis. Pedemont.* 19. *vers. in contrarium.* & Wesenbec. *paratit. ff. ad leg. Cornel. de sicar. num.* 16. ‡ Quod in casu ferè simili, me con-
4 sulente, sequuti sunt Scabini Noviomagenses *an.* 1631. addo elegantem locum Ioan. Calvini *Institut. lib.* 2. *cap.* 8. §. 6. *Leges etiam*, inquit, *humanæ (dicet quispiam) consilia & voluntates spectant, non fortuitos eventus. Fateor: sed quæ extra emerserunt. Quo animo unumquodque facinus editum fuerit, expendunt: sed arcanas cogitationes non scrutantur. Proinde illis satisfactum fuerit ubi quis manum duntaxat continuerit à transgressione.* Pro hujus porrò textus & materiæ ulteriori declaratione videatur Iac. Menoch. *de arbitrar. iudic. quæst. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 360.

Dat IV. Cap.

Van straff des meyneedts als oock der ehebreuck und hoererye.

ART. 1.

Die yemant door subornatie om gelt, vrientschap, ofte om andere dier ghelijcke oirsaecken opsettelick und wetentlick met valschen eede und getuighenisse beswaert, dewijl hy daer mede Godt und der waerheit beliegt, und den Richter veroirsaeckt tegen die gerechticheit te richten, sal eerstelick met der daet eerloes weesen, Ende hem sullen syne twee vinger, daer mede hy den eedt gedaen, nae den olden gebruick afghegehowen worden, Daer beneffens sal de mein-

vijantschap

Caput IV.

De pœna perjurii itemq; adulterii ac scortationis.

ART. 1.

Quicunque subornatus pretio, amore, odiove, aut alia simili causa volens sciensque iuratus falso testimonio aliquem gravaverit, dum hoc facto Deo & veritati imponit, ac judici causam dat quò contra id quod justum est judicet, primò re ipsa erit infamis atque eidem digiti bini, quibus pejeravit, juxta antiquam consuetudinem amputabuntur. Adhæc perjurus ille in causis civilibus eũ cui

meineedige den beschedichden in civile saecken synen schade verrichten, und in criminale saecken even die selve straf lijden, die den ontschuldigen, vermits syn valsche getuigenisse aengedaē waer, Wie dan oock die sulcke ghetuigenisse door subornatie, geschenck ofte belofteniße voorsettelick gepracticiert hebben, gelyckfals eerloos syn, alles wat sy met sulcken meineedige kuntschap gewonnen met allen intereße van dien wederghe-ven, und noch nae gelegentheit gestraft werden sullen.

cui nocitum erit indemnem præstabit, in criminalibus verò talionē patietur. Ii demum qui consultò seu donis seu promissis hujusmodi falsum testem subornarunt similiter erunt infames, redituri preterea quicquid tali perjurioso testimonio lucrati fuerint cū omni eo quod interest, statutâ etiam in eosdem pœnâ, prout rei qualitas exegerit.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Perjurus, qui & falsarius, infamia notatur si alium falso testimonio gravavit. consuetudines legesque consonantes.*
2. *Per hoc statutum cessare Dd. distinctionem, si de re præterita aut futura juratum sit, item an perjurus semper infamis sit.*
3. *Infamis non est nisi perjurii à judice condemnatus.*

S*Al eerstelick met der daet eerloos wesen)* † Perjurus, qui meritò inter falsarios habetur, Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cas.* 319. *num.* 1. si quem falso suo testimonio gravaverit infamia notatur. idem statuit jus Transisulan. *part.* 2. *tit.* 20. *art.* 1. Constitut. criminal. Carol. V. Imp. *cap.* 107. *c. infames.* 6. *q.* 1. *l. si quis major.* 41. *C. de transact.* licet propriè *d. l.* agat de eo qui contra transactionem juramento firmatā venerit, Marquard. Freher. *tractat. de existimat. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. ubi utriusque juris complures tum locos tum interpretes in hanc rem

2 adducit, Nicol. Vigel. *ad constitut. Carolin. cap.* 10. *reg.* 11. ‡ Nec existente hac consuetudine magnopere attendenda venit Doctorũ vulgata distinctio, si vel de re præterita vel futura juratum sit, neque item quod dici solet, de jure civili perjurum non semper fieri infamem, de
3 quo Iul. Clar. §. *Perjurium. num.* 3. ‡ Intellige autem infamiam non subiri, nisi quis de perjurio hujusmodi sit convictus & sententia judicis condemnatus *l.* 1. *ff. de his qui not. infam. junct. l.* 1. *C. de execut. rei judicat. gloss. in l. Sed etsi possessori* §. *fin. verb. probatũ esset. ff. de jurejurand.* Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit.* 1. *art.* 40. *not.* 2. *num.* 2. ubi citat Bald. Jas. Lud. Rom. & alios.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Infamis non fit nisi qui data opera & consultò pejeravit, ut nec aliter memoratis hic pœnis afficitur.*
2. *Confirmatur aliquibus juris locis & autoritate collegii juridici.*
3. *Excusatur etiam qui calore iracundiæ pejeravit,*
4. *Arbitrio tamen judicis puniendus.*

1 REctè autem in textu adduntur verba: *opsettelick und wetentlick*, veluti etiã fit *dict. tit.* 20. *art.* 1. juris Transisul. & Ruremund. *part.* 6. *tit* 2. §. 6. *art.* 1. item Statut. Davent. *part.* 4. *tit.* 4. *art.* 12. idque limitandi causa, ut infamiã demum & cæteras memoratas pœnas incurrat perjurus si consultò & sciens adeòque dolo malo pejeraverit. Nam dolo caruisse si probetur, excusari volunt ex communi Dd. opinione Iul. Clar. §. *Perjuriũ. num.* 9. Nicol. Vigel. *ad constit. Carolin. dict. cap.* 10. *reg.*
2 11. *excep.* 3. ‡ Facit maximè textus in *c. animadvertendum. vers. sed aliud. c. Homines. c. Js autem. cum seqq.* 22. *q.* 2. *l. Qui jurasse.* 26. *ff. de jurejurand.* & ita consuluit collegium juridicum Tubingense apud Besold. *part* 4.
3 *consil.* 170. *num.* 4. 5. 6. & 7. ‡ Quod & trahi posse videtur ad eum qui

qui calore iracundiæ vel inconsultò juraverit arg. *l. Quicquid calore.* 48. *& ibi Dec. num.* 4. *ff. de reg. jur. l.* 2. *C. de reb. credit. & jurejurand. l.* 2. *C. ad leg. Jul. Majestat.* eleganter Marquard. Freher. *tractat. de existimat. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. *vers. Quapropter qui calore iracundię.* ubi in hanc sententiam quoque citat Petr. Fabr. *ad dict. l. Quicquid calore iracundię ff. de reg. jur.* Menoch. *de arbitrar. jud. quæst. lib.* 2. *cas.* 319. *num.* 13.
4 ‡ Ne tamen hæc temeritas proximo tam nociva omninò sit impunita, ad exemplum arbitrio judicis corrigi debere cum Menoch. *dict. cas. num.* 32. *& seqq.* statuo ac Reipublicæ interesse puto.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Iuris civilis loci contrarii.*
3. *Perjurus olim perdebat manum, atque etiam ea parte corporis quis puniebatur qua peccaverat, quod illustratur.*

ENde hem sullen sijne twee vinger *&c.*) ‡ Consonat quo ad hanc digitorum, quibus extensis quis pejeravit, amputationem jus Transisul. *dict. art.* 1. *tit.* 20. Ruremund. *dict. part.* 6. *tit.* 2. §. 6. *art.* 1. quod tamen posterius linguæ perforationem, itemque pro facti qualitate pœnam arbitrariam addit, ac quid ex his eligere velit judici permittit, accedit constitut. criminal. Carol. V. Imp. *cap.* 107. ubi hanc totius Germaniæ communem consuetudinem esse asserit ideòque immutandam
2 non censet. ‡ Cui tamen repugnare videtur jus civile *l. Non erit.* 5. §. *Dato. l. in duobus reis.* 28. §. *fin. l. Eum qui* 30. *pr. ff. de jurejurand. l. quod si.* 21 *cum seq. ff. de dolo malo. l. Adversus.* 15. *ff. de exceptionib.* Notat Ni-
3 col. Vigel ad constitut. Carolin. *d. cap.* 10 *reg.* 11. ‡ Olim etiam perdebat manum quicunque pejerasset, ut est in capitular. Caroli Magni Imp. *lib.* 3. *cap.* 10. *& lib.* 5. *cap.* 125. Sic qua parte corporis quis peccabat eâdem ut hic mulctabatur, quod exemplis aliquot ex historiis,

jure civili ac Galeno illustrat Iacob. Cujac. *observat. lib. 7. cap. 13.* quem curiosior paulò videre potest.

Glossa IV.

SUMMARIA

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Disquiritur & definitur quænam moribus sit causa civilis vel criminalis.*

1 D*En beschedichden in civile saecken sijne schade verrichten)* ‡ Huic paria sunt quæ jure Transisulanico, Ruremundano *art.* 2. & constitu-
2 tione Carolina *locis supra citatis* constituuntur. ‡ Sed explicandum venit, quænam moribus causa sit habenda civilis, quænam verò criminalis, quando hoc loco diversimodè statuitur prout vel in hac vel in illa à quoquam pejeratum sit. Jure quidem civili post varias altercationes communiter tandem obtinuit, quod causa sit civilis, quando actum est ut pœna parti applicetur, criminalis contrà, si Reipublicæ vel Fisco inferenda decernitur. Aliud docet fori nostri usus, dum sæpè & parti litiganti pœna & judici pariter mulcta ex sententia persolvenda venit. Ex quo causa aliqua partim civilis, ratione ejus quod parti adjudicatur, partim verò criminalis, respectu mulctæ quæ judici penditur, dicenda foret. Id quod absurdo non caret, cum una eademque res diverso jure censeri non debeat *l. Eum qui.* 23. *ff. de usurpat. & usucap.* Erit igitur nobis causa criminalis, quando pœna corporalis infligitur, cæteræ autem omnes civiles, quod non solùm comprobat usus, verùm etiam innuere videtur jus tetrarch. Ruremund. *dict. loc. art.* 2. Nec abhorret à jure Saxonico, cui nostrum in multis simile, uti docuit Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 22. *num.* 2. 3. 4. *&* 5. item Wesenbec. *paratit. ff. de privat. delict. num.* 4. *in fin.*

Glossa V.

Glossa V.

SVMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Simile jus divinum & quod Carol. Magnus constituit.*
3. *Nec variat multùm jus commune, ubi loci diversi & autores.*

1 UNd in criminale saecken even die selve straf lyden, &c.) ‡ Hic iterum recurrere licet propter paritatem ad jus Ruremund. Transisulan. & constitutionem Carolinam *locis sæpè citatis*, ubi eadem hoc casu talionis poena statuitur. ‡ Quod & jure divino ita constitutum est
2 Deuteronom. *cap.* 19. *vers.* 18. & 19. Joseph. *antiq. judaic. lib.* 4. *cap.* 6. item capitular. Carol. Magni *lib.* 5. *cap.* 198. *Si quis*, inquit, *contra caput alterius falsa suggesserit, vel pro quacunque invidia aut injusta accusatione aliquem commoverit, ipse pœnam vel damnum, quod alteri intulit, excipiat.*
3 ‡ A quo non multùm variat *l.* 1. § 1. *ff. ad leg. Cornel. de sicar. l.* 1. *l. lege Cornelia.* 19. §. 3. *ff. ad leg. Cornel. de fals. l. Qui falsa.* 16 *ff. de testib. c. Nihilominus.* 3. *q.* 9. Iul. Clar. §. *Falsum. num.* 14. *vers. Item testis falsus. cum addit ibid. lit. g. & q.* Nicol. Vigel. ad constitut. Carolin. *cap.* 10. *reg.* 1. Ioan. Sainson. ad consuetud. Turonens. *tit.* 35. *art.* 1. Videndus præterea *Philip. Camerar. Horar. subcis. cent.* 1. *cap.* 99.

Glossa VI.

SVMMARIA.

1. *Pœnam talionis non aliter patitur perjurus, quàm si falso testimonio quis sit circumventus, non autem si solùm sit periculitatus, arbitrariè tamen puniendus:*
2. *Ratio ejus adfertur.*

1 A*Engedaen waer.*) ‡ Hæc verba notanter indicant pœnam talionis non aliter incurrere perjurum, quam si is, contra quem deposuerat,

falso

falso testimonio sit circumventus & pœna aliqua affectus. Nam si ob
hoc solùm periculitatus sit & tandem detecta innocentia absolutus
pro arbitrio judicis mitiori quàm mortis pœna plectendus erit reus.
2 † Ea potissimùm ratione, quod affectus sive conatus, qui hic est, ex
generali consuetudine propria delicti pœna plecti non soleat, nisi se-
quatur effectus, uti constat ex §. 13. *in fin. cum notat. ibid. supr. cap.* 3.
& in terminis decisum extat apud Cacheran. *decis. Pedemont.* 19. ac
convenire videtur Besold, *part.* 4. *cons.* 170. *num.* 9. quamvis absque ul-
la distinctione contrarium sanciat constitutio criminalis Caroli V.
Imp. *cap.* 68.

Glossa VII.

SUMMARIA.

1. *Subornantes falsos testes similiter puniuntur, ubi Consuetud. conson.*
2. *Ratio ejus redditur*
3. *Remittitur ad Mascard. de hac materia.*
4. *Diversa ab hac est pœna ecclesiastica eorum qui falsos testes subornarunt, ubi locus capitul. Carol. Magni.*

1 W*Ie dan oock &c.*) † Quicunque vel donis vel promissis data opera
hujusmodi falsos testes subornaverint similiter infamia notantur
& ad damni inde illati reparationem tenentur cum pœna ex qualitate
facti pro arbitrio judicis imponenda. Quod & placet legibus Transisul.
dict. part. 2. *tit.* 20. *art.* 3. & Constitut. criminal. Carol. V. *dict. cap.*
2 107. † Nam etiam hi falsum committere dicuntur, non minus quàm
ipsi testes falsum deponentes Iul. Clar. §. *Falsum. num.* 3. & ibi Bayard.
in addit. num. 12. ubi post Bertazol. & Boer. tenet, quod subornans
puniatur etiamsi vel testes recusaverint, vel iisdem corruptis nondum
3 fuerit usus. † Videatur ad materiam Mascard. *de probat. conclus.* 1347.
4 *vol.* 3. † Cæterùm alia est hujus delicti pœna ecclesiastica, de qua
in

in capitular. Carol. Magni *lib. 7. cap. 355. Si quis* (inquit) *convictus fuerit aliquos ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse, aut per quamcunque corruptionem sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet.*

ART. 2.

DIe straf van ehebreuck und bloetschande sal den Hove provinciael, wie van-olts gebruicklick, bevolen syn.

ART. 3.

MAer simpele hoererie sal te lantrecht gestraft worden, nae erkenteniße des Gerichts.

ART. 2.

DE adulterio & incestu cognoscet Curia provincialis, prout jam olim consuevit.

ART. 3.

SImplex autem fornicatio ex jure rurali arbitrio judicii corrigetur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Conson. jus Zutphan. & remittitur ad autores qui de adulterio, incestu & fornicatione scripserunt.*
2. *Moribus nostris & vicinarum aliquot gentium adulterium non puniri mortis pœna.*
3. *Cessare Doctorum diversas considerationes quid divino communique jure de pœna adulterii constitutum sit.*
4. *Concubinatus quomodo puniatur ex Ordinum Gelriæ decreto.*

1 COnsonat his *art. 25. & 26. tit.* 11. Reformat. Zutphan. De adulterio autem, incestu & fornicatione, quorum suis locis uterque hic articulus meminit, cum alii tum prolixè satis tractarunt Iul. Clar. *in* §. *Adulterium.* §. *Fornicatio &* §. *Incestus*, ac *in suis ibidem additionibus* Ioan. Baptista Bayard. per tot. Ne igitur ligna in sylvam ferre vel ali-
2 enis plumis me ornare videar ad eosdem remitto. † cum hac solùm

nota, moribus nostris ac vicinarum aliquot provinciarum pœnam mortis adultero non infligi, uti eandem in pecuniariam diversorum populorum consuetudine immutatam testatur Iul. Clar. *d.* §. *Adul-*
3 *terium. num. 7. vers. Sed quicquid sit*. ‡ Atque hinc interpretum juris diversas cessare considerationes, quid divino, canonico, Digestorum, codicis, autenticorum denique jure de pœna adulterii statutum sit, de quibus videndus idem Iul. Clar. *d.* §. *Adulterium. num* 7. Et hoc videtur advertisse Joan. Calvin. *Institut. lib.* 4. *cap.* 20. §. 16. dum in-
4 quit: *In adulteros alibi severiores, alibi leviores edictæ sunt pœnæ.* † Concubinatus etiam ex decreto Ordinum Gelriæ in comitiis Arnhem. *an.* 1621. punitur prima vice mulcta aureorum Rhenensium justi ponderis quinque & viginti, & si continuetur proscriptione.

Dat V. Cap.

Van vechten, Hoonspraeck und eenige andere breucken.

Caput V.

De pugna, injuria aliisque quibusdam mulctis.

Ad rubricam.

SUMMARIA.

1 *Conferenda quæ in citatis statutis habentur.*
2. *Ubi nulla certa exprimitur pœna, arbitraria habetur, ita tamen ut solita infligatur.*

CUm hoc capite conferri possunt ea quæ passim statuuntur
1 in Reformat. Zutphan. *tit.* 24. Ruremund. *part.* 6. *tit.* 1.
§. 6. & 7. item tabulis legum superioris ac inferioris Bata-
2 viæ, Transisulan. *part.* 2. *tit.* 23. ‡ Ubicunque autem quis
pro delicto puniri jubetur, nulla tamen certa indicta pœna aut mulcta, arbitrio judicis relinquitur, juxta tradita à Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cas.* 557. Quod tamen ita declaratur ut quamvis non scripta

solita

solita tamen infligatur pœna, prout post Bald. Felin. & Chassan. notandum tradit Argentræ. ad *consuetud. Britan. art. 576. verb. al arbitrage.*

ART. 1.

WIe den anderen met een vuyst slaet breuckt een pondt, und den genen dien hy alsoo onverschuldt metter vuyst geslagen heeft, breuckt den sleger oock een pondt.

ART. 1.

QVi alium pugno percutit mulctatur unica librâ, debetque idem injuriâ percusso alteram libram.

HVic consonant tabulæ antiquæ legum superioris ac inferioris Bataviæ Reinoldi comitis Gelriæ *an. 1327. art. 1.*

ART. 2.

ITem wie eenen bloetwondt, sal gebreuct hebben vier pondt, ende wie een mes op den anderen toege ofte met eenigher handt geweer, wapenen ofte instrumenten nae den anderen sloege of worpe, het waer met kannen, kandelaers ofte anders in ernsten moede, die verloore twee ponden, soo duek hy dat dede.

ART. 2

QVi alicui cruentum vulnus infligit mulctabitur quatuor libris, item qui cultrum in aliquẽ stringit, aut quo alio telo, armis instrumentisve verberat vel iacit, sive ea fuerint cantharus aut candelabrum aut aliud quid, quotiescunque id animo infenso egerit, mulctabitur duabus libris.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Declaratur hic art. & conciliatur cum precedenti articulo.*
2. *Vulnus quid sit variè declaratur.*
3. *Ex jure Saxonum genera vulnerum varia, de quibus remissivè, cum indicio usus quoad mores nostros.*

ITem wie eenen bloetwondt &c.) † Quoniam gravius est vulnerare, quàm percu-

percutere, non immeritò mulcta percutientis, quæ statuitur art. proximè præcedenti, hoc loco in vulnerante duplicatur. Sed mirari quisquam possit, quare ibi ex duabus libris altera iudici altera verò percusso deputetur, hic autem nulla talis fiat distributio. Credo itaque quatuor has libras deberi quidem judici, non tamen ita satisfieri læso, qui vulnerantem aliàs ob atrocem hanc injuriam actione quoque injuriarum convenire potest, *per text. in §. Atrox. 9. & ibi scribent. Institut. de iniur.* Reformat. Zutphan. *tit. 24. §. van yemants te schelden &c.* adde pro ratione quæ tractavi supra *cap. 3. §. 6. glossa 3. in princip.*
2 † Vulnus autem ex physicorum placito est solutio continui, jurisconsultis verò sectio sive scissura carnis Bart. *in l. Servus servum. 27. §. Rupisse. ff. ad leg. Aquil.* quem cum aliis sequitur Argentræ. *ad consuetud. Britan. art. 576. gloss. 1. num. 1.* Sed & pro vulnere accipi contusionem ac concussionem, unde & cutem aperiri & saniem educi oporteat post Bart. quoque docet idem Argentræ. *dict. loc.* Quò referre licet *dict. l. 27. §. rupisse.* ibi: *vel tumorem fecerit.* † De jure Saxonum genera vulne-
3 rum dinumerantur varia, de quibus videndi Math. Coler. *part. 1. decis. 161. num. 47. cum seqq. aliquot.* Ioan. Ruding. *cent. 5. Obs. 72. num. 1.* Quorum, etsi singulatim non tangant mores nostri, non levis alicubi potest esse usus, præsertim ubi nullâ certò designata pœna ad arbitrium judicis recurritur.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Declaratur textus addita ratione.*
2. *Adjicitur elegans dictum Hieronymi pro majori confirmatione.*
3. *Remittitur illustrandi gratia ad autores.*

1 E*Nde wie een mes op den anderen toege &c.)* † Quò omnis omninò ad cædem obstruatur via justissima ratione duarum librarum mulcta punitur, qui malo animo vel cultrum in aliquem stringit, vel quocunque genere teli aut alterius cujusvis instrumenti seu percutiendo seu

ſeu projiciendo impetum facit, etiamſi re ipſa nondum læſerit. In herba enim opprimenda eſt malitia & conatus etiam refrænandus, ne ſi negligatur vel impunè abeat fomitem corripiendo majoris mali cauſa ſit. † *Scintilla* (inquit Hieronymus) *res parva eſt, & penè dum cernitur non videtur; ſed ſi fomitem comprehenderit & nutrimenta ſui, quantumvis parvus ignis mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus regioneſque conſumit*. Et teſtis eſt experientia quàm non malè huic aſſimilentur quorundam inter pocula inprovida hujus generis præludia, ex quibus poſtmodum triſtiſſimæ ſunt natæ tragediæ. ‡ Videatur illuſtrandi ſolùm gratia Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 163. & Anton. Teſſaur. *decis.* 224.

ART. 3.

Und wie eenen anderē lembt breuckt den Heere thien pondt, und de beterung van den geenen die lam gewondt ofte geſlagen is ſal ſtaen tot erkentenis des Gerichts, by aldien ſich partien daer over niet vergelijcken kunnen.

ART. 3.

QUi aliquem mutilat Domino damnas eſto decem libris; ſuper reparanda autem mutilatione læſi, ſi inter partes non convenerit, ſtabitur arbitrio judicii.

Gloſſa I.

SUMMARIA

1. *Debilitans aliquem mulctatur, niſi ſui defendendi cauſa fecerit.*
2. *Quis dicatur debilitatus.*

UNd wie eenen anderen lembt &c.) Debilitans aliquem mulctatur decem libris. † Intellige tamen, niſi ſui defendendi cauſa id fecerit juxta *text. & notat. gloſſ.* 3. *ſupr. cap.* 3. §. 4. *l. ut vim.* 3. *ff. de iuſtit. & jure. l. Scientiam.* 45. §. 4. *ff. ad leg. Aquil.* ‡ Ad hoc autem ut debilitatus quis dicatur non eſt neceſſe, quod membrum aliquod amiſerit. Nam in eadem cauſa erit qui ex vulnere capiti inflicto mente ita dimovetur ut rebus ſuis ſupereſſe non poſſit, vel ſi ex indito veneno

 paralyſin

paralysin patiatur, quod sæpe sine ulla membri ruptura accidit Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. art. 607. num. 2.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Instruitur arbitrium judicis circa æstimationem ejus quod debilitati interest.*
2. *Similis juri civili circa debilitationem est lex divina, quam sequitur in capitular. Carol. Magnus.*
3. *Quia membrum debilitatum non æstimatur ratio habetur amissarum operarum propter debilitationem.*
4. *Adducitur pro hujus textus vero intellectu elegans locus Bertr. Argentræi, quo accuratissimè traditur recta & practica operarum amissarum æstimatio:*
5. *Quem sequutus sum consulendo.*
6. *Habetur in hujusmodi æstimatione etiam ratio condemnati,*
7. *Et obtinet præcipuè in iis qui manibus operantur.*
8. *Remittitur ad autores.*
9. *Rationem haberi amissarum operarum etiam tum si culpa illatum sit vulnus.*

1 UNd de beterung &c.) † Vide hîc *l. Ex hac lege. 3. ff. si quadrup. pauper. fecisse dicatur* & *l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec.* Unde pro instruendo judicantium arbitrio circa æstimationem ejus quod mutilati aut debilitati interest notandum est quod eleganter tradidit Gajus Jurisc. *Cum liberi* (inquit) *hominis corpus læsum fuerit, judex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt: præterea operas, quibus caruit aut cariturus est ob id quod inutilis factus est. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio, quia liberum corpus nullam recipit*
2 *æstimationem.* † Idem ferè statuitur in lege divina Exod. *cap.* 21. *vers.* 18. & 19. quod imitatur capitular. Caroli Magni *lib. 6. cap* 10. in hæc verba: *Si rixati fuerint viri & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit & iacuerit in lecto, si surrexerit & ambulaverit*

verit foris super baculum suum, innocens erit, ita tamen ut operas & impensas ejus in medicos restituat. † Cæterùm quia membrum debilitatum æstimari non potest, ad amissas membri operas consideratio dirigitur, ne si secus fiat invita justitia impunita elabatur nequitia, quod notavit quoque Math. Coler. *tractat. de processib. executiv. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 45. Plura non addidero nisi quod me retrahat elegans & practica hujus loci interpretatio quam tradit Argentræ. *ad consuetud. Britan. dict. art.*607.*num.* 3. † *Jurisconsultus* (inquit) *rationē haberi vult omnium operarū earum quibus quis cariturus est. Gloss. l. Ex hac. ff. si quadrup. paup. fecisse dic. faciendum putat ex forma l. Hereditatum. ff. ad leg. Falcid. sed ea difficilè initur, nec satis est accomodata ad usum & specialis putatur in suo casu, nec ad consequentiam trahenda. Panorm. difficilem putat esse rationem æstimandi, Florian. centum annorum ineundam putat, quia sit hominis hæc vita longissima. Alii aliud, ut Bart. cons.* 201. *Alber. d. l. Ex hac. Specul. tit. de injur. §. sequitur. Angel. Fab. Pla. §. item is cujus. Instit. de obligat. quę ex quasi delict. Boer. decis.*324. & 232. *Scilicet ea res homines minimè in actionibus rerum exercitatos perturbat. Sed res est expedita, adjudicatis annuis, aut pensione annua in annos vitæ pręstanda, quantum ætas, debilitatio, dignitas hominis affecti poscat, habita ratione conjugis & liberorum, qui aliunde quàm à vulnerati opera vivere non possunt, & id sensit Paris Puteus in synd. verb. quia plures. Nam summam semel pręstandam adjudicasse, nil aliud est quàm de futuris alimentis transigere & vitę necessitates ambiguæ aleæ commisisse, cui numerata pecunia & præsens nummus subjiciantur. Vetat autem lex de futuris alimentis transigi.* † Hactenus doctissimus Argentræus, quem in facti specie ad consultationem Scabinorum civitatis Gentensis Bataviæ superioris respondendo sequutus sum *anno* 1640. † Qui & *dict. loc. num.* 2. & 3. haberi etiam vult in hac operarum æstimatione rationem ejus qui condemnatur, ne major indicatur reparatio, quàm ex facultatibus hujus redigi possit, ideòque de illis primùm inquirendum esse, de quo Bart. & Alber. *l. Injuriarum æstimatio. ff. de injur.* & Boer. *decis.* 233. † Tum eandem hanc æstimationem locum præcipuè sibi vindicare in iis qui manibus victum quæritant ex eo quod opulentorum hominum operæ

vix æstimari queant, utpote quæ plerumque nullæ sint manuales, sed
8 virtutis & industriæ ac proinde pretii longè majoris. † Superest ut, casu ferente, adeatur Menoch. *de arbitrar. judic. quęst. lib. 2. cas.* 122. & Farinac. *in criminal. tractat. de homicid. tit.* 14. *quęst* 119. *per tot.* & pręsertim *num.* 108. *&* 121. † ubi docet, amissarum operarum & impen-
9 sarum rationem haberi non solùm si dolo sed etiam si culpa illatum sit vulnus, ut puta, in rixa, cujus inconsultus calor dolum abesse facit, imò secundum quosdam ibi citatos si fuerit culpa levissima vel etiam casus.

ART. 4.

EEn aenhever des vechtens, soo vern hy inden onrechten bevondē worde, sal geholden sijn des verweerders breucken neffens de sijne te betaelen, und alsoo de breucken dubbeldt te gelden, des gelijcken den breuckscriver syne gerechticheyt dubbeldt van het uytdoen der naemen. Edoch also dat de Heer altoos der dubbelder breucken vast stae.

ART. 5.

WAert saeck dat eenich gevecht ofte oploop geschiede und van een gescheiden of gebroken ware, und daer en boven yemant quame, und maeckten dat gevecht ofte oploop weder gaende die sal dubbelde breuck gelden.

ART. 4.

AD pugnam provocans, si injuriâ id fecisse arguatur, duplices mulctas solvet, tam à se debitas quàm adversarii sui, dabitq; præterea Scribæ pro expungendis nominibus duplicia jura. Domino autem quocunque eventu salvū erit jus mulctæ duplicatæ.

ART. 5.

SI post pugnā tumultumve præcedentem diremptum quis denuò turbas cieat duplicem mulctam luet.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Consuetud conson.*
2. *Provocatio obrationem prohibetur.*

3. *Decla-*

3. *Declaratur textus & tollitur verisimilis repugnantia.*
4. *Quid si quis ex justa aliqua causa ad pugnam provocaverit?*
5. *Quid si incertum sit quis primus provocaverit?*

ARticulo huic quarto simile ferè est quod statuitur in tabulis legum superioris Bataviæ Arnold. Ducis Gelriæ *art. ult. an.* 1445. Reformat. Zutphan. *tit.* 24. §. *Die tot het gevecht etc.* † Et cum provocandi temeritas non solùm sit causa magni mali, sed etiam, ut bonis moribus contraria, injuriam inferat provocato *arg. l. Item apud Labeonem.* 15. §. 1. 2. & 27. *ff. de injur.* non immeritò eidem obviam itur. † Sed dum injustè provocans & suam & provocati mulctã pendere jubetur, anne satis rectè hic supponitur provocatum mulctari, qui tamen adeò nihil debet ut penitus absolvatur arg. *hujus text. & l. si ex plagis.* 52. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* Itaque dicendum videtur ex sensu hujus art. provocantem, si injustè provocasse reperiatur, duplicatam solvere mulctam, alteram à se propriè debitã, alteram verò quam debuisset adversarius, nisi injustè provocatus esset. † Quid autem si dicto vel facto injurioso adeòque justa quasi causa motus primus quis ad pugnam provocaverit? Arbitrio judicis corrigi debere existimo, facit §. 12. *infr. tit.* 12. Etsi enim difficillimum sit justum animi dolorem temperare, ut est in *l. si adulterium.* 38. §. *Imperator.* 8. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* juri tamen non convenit, propter perniciosam sequelam, ut singulis privatim concedatur ultio, quam (morâ scilicet actione injuriarum) publicè exercere potest magistratus *l. Non est singulis.* 176. & *ibi scribent. ff. de reg. jur.* † In dubio etiam, si incertum sit quis primus provocaverit, similiter recurritur ad arbitrium judicis, qui, si casus evenerit, optimè statuet ex præsumptionibus & conjecturis, quas pridem tradidit. Andr. Alciatus *tractat. de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 39. & hunc sequutus Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 363.

ART. 6.

ITem soo op Veluwen und in Veluwensoom duckmaels gebeurt, dat etlicke

ART. 6.

QVandoquidem frequenter in Velavia ac ora Velaviæ contingit,

moetwilligen op hoochtijden, sonnendagen, ende sunst op bede eñ vastdagen op kerckhoven, gemeine wegen und straten ghevecht und oproer aenrichten, sullen die sulcx doen gebreuckt hebben ses ponden, und daer beneffens noch staen tot arbitrale correctie, nae erkentenisse des Gerichts.

tingit, ut homines quidam protervi diebus festis, dominicis aut aliàs precibus & iejunio destinatis, in cœmiteriis viisque publicis pugnas tumultusve excitent, statuta est in ejusmodi delinquentes mulcta sex librarum ac pœna arbitraria, prout definierit judicium.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Consuetud. Ruremund. conson.*
2. *Sacrorum veneratio commendatur etiam ab exemplo Gentilium.*
3. *Sensus demonstratur verborum*, und daer beneffens noch staen tot arbitrale correctie.

UT ne sacra turbentur justissimè hoc loco sub pœna sex librarum prospicitur adversus eos qui diebus festis, dominicis, itemque jejuniis ac precibus destinatis, in cœmiteriis ac viis publicis pugnant vel
1 tumultuantur. † Cui ferè consonat jus tetrarch. Ruremund. *part.* 3. *tit.* 1.
2 §. 1. *art.* 6. † Et quidni tanta apud Christianos sacrorum veneratio, cum etiam Gentilibus displicuit dies festos jurgiis fœdari? Vnde poëta *lib.* 1. *Fastor.*

Prospera lux oritur, linguisque animisque favete,
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida turba tuum.

3 † Quod autem additur, *und daer beneffens noch staen tot arbitrale correctie etc.* ejus non hic est sensus, quod ii qui in locis suprà designatis rixantur non solùm sex libris mulctabuntur, sed præterea pro arbitrio iudicantium

tium corrigentur. Nam hoc pugnaret cum jure, quo unum delictum variis poenis non coercetur, neque convenit ejusdem criminis & certam & arbitrariam statuere pœnam, uti latius notavi suprà *cap.* 3. §. 2. *gloss.* 5. Idcirco quæ hic videntur copulari disjunctivè potius sunt accipienda, ut pro qualitate admissi vel sex libris, vel pro arbitrio judicis plectantur. Quomodo item accipiendus textus supr. citat. ex jure Ruremund. veluti utrobique suadent voculæ, *daer beneffens*, *præterea*, quasi diceres, præterquam, quod certa hic definiatur mulcta, ad arbitrium quoque judicis recurrere permittitur, si res ita exegerit.

ART. 7.

EEn yeder sal op hoochtijden, sondaghen, vast und beeddaghen vieren, und sich van uytterlijcken arbeydt, als van bouwen, graven, tuynen, dorsen, wannen, und der gelijcken ontholden, ten ware dat de kentlijcke noot tot discretie des Gerichte sulcx geeischt hadde.

ART. 7.

Diebus festis, dominicis, jejunio ac precibus destinatis feriabitur quilibet ab externo labore, veluti arando, fodiendo, sepiendo, triturando, purgandis frumentis ac id genus similibus, nisi aliter exegerit perspicua necessitas pro arbitrio judicantium.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Convenit exemplo multorum Imperatorum ut legislator curam gerat dierum festorum.*
3. *Remittitur de cultu diei Dominici ad autores & decretum Ordinum Gelr.*
4. *Similis huic art. lex Caroli Magni, quæ refertur.*

EEn yeder sal op hoochtijden, sondagen &c.) † Simile quid in Reformat. Zutphan. *tit.* 24. §. *Vnd sal niemant &c.* Ruremund. *part.* 3. *tit.* 1. §. 1. *art.* 4.

art. 4. Decret. Ordinum Gelriæ in comitiis *an.* 1603. quod aliquoties iteratum ac publicatum novissimè *anno* 1640. in comitiis Arnhemien-
2 sibus. † Et verò pertinet ad curam legislatoris, ut dies festi majestati altissimæ dedicati (quomodo loqui amat *l. ult. C. de feriis*) ritè celebrentur nec ullo opere aliàs consueto profanentur. quod docemur exemplis diversorum Imperatorum Theodosii, Constantini, Valentiniani, Arcadii, Leonis item & Anthemii, de quibus in *l.* 2. 3. 7. *&* 11. *C.*
3 *de feriis.* † Referri huc possunt quæ latè & eleganter de cultu diei dominici congessit Barnab. Brisson. *commentar. ad l. Dominico. de Spectac. Cod. Theodos.* & lucem adferent quæ tractat Covarruv. *variar. resolut. lib.* 4. *cap.* 19. item decretum Ordinum Gelriæ in comitiis Noviomagens. *an.* 1631. quo aggerum præfecto ejusque assessoribus in regno Noviomagensi licentia datur differendi diem statum visitandis aggeribus à
4 dominico in proximè sequentem. † Adde geminum ferè huic textui quod lege Francica Caroli Magni sancitum refert Renat. Choppin. *de privileg. rusticor. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. his verbis: *Ne opera servilia diebus dominicis tractentur, neve ruralia viri exerceant, nec in campis arando, nec metendo vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpando, neve arbores cedant, vel in petris laborent, nec in horto, nec ad placita conveniant, neu venatum eant, aut vineas colant.* Extat paulò aliter in capitular. Carol. Magni *lib.* 1. *cap.* 81.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Limitatio articuli quæ in textu illustratur à simili consuetudine, Macrobio & Constantino Imp.*
2. *Jus divinum aliquando à profanato Sabbato excusat, ut ibi.*
3. *Arbitrio iudicantium relinquitur quænam causa à profanato die dominico excuset.*
4. *Illustratur art. remissivè.*

1 T*En ware dat die kentlijcke noot &c.*) † Eadem exceptio traditur in Reformat.

format. Zutphan. & Ruremund. *locis suprà citatis*. Cui convenit illud Macrobii Saturnal. *lib.* 1. *cap.* 16. *Scævola* (inquit) *consultus quid feriis agi liceret, respondit, quod prætermissum noceret.* & eleganter Constantinus Imp. *l.* 3. *C. de feriis: Omnes judices urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licenterque inserviant. quoniā frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.* † Nam & jure divino à profanato Sabbatho excusat (ut tractat G. Amesius *in casib. conscient.*) necessitas præsens vel imminens, quæ neque fingitur neque consilio accersitur, sed per providentiam Dei nobis imponitur. *Euangel. Luc. cap.* 14. *vers.* 5. adde Andr. Rivet. *in prælect. ad cap.* 20. *Exod. vers.* 8. *in verbis: Excipiebantur quę rerum nostrarum & proximi necessitas postulabat, vel quæ salva misericordia in sequentem diem differri non poterant*, cum seqq. † Quod meritò hoc loco arbitrio iudicantium relinquitur, cum nulla certa regula constitui, sed pro re nata sive ex facti contingentis circumstantiis statui oportet. † Vide omninò ad hujus textus illustrationem, sed cautè, ne temerè impingas in jus divinum, Robert. Marant. *Spec. aur. prax. part.* 4. *distinct.* 16. *num.* 87. 88. 89. 90. & 91.

ART. 8.

Hier by is gheordonneert ende gestatueert, dat soo wie voor of onder predicatie te ghelage sittende bevonden worde, sal elcx gebreuckt hebben een pont, desgelijcken sal oock de Weert ofte Weerdinne daert gheschiede van elcken soodanigen gelage verbeuren een pondt, uytgesondert reysende ende wechveerdighe luyden.

ART. 8.

AD hoc statutum est, ut quicunque vel antè vel sub concione sacra compotationibus indulget luat mulctam unius libræ, simili pœna pro unoquoque symposio corrigendus hospes hospitave, in cujus ædibus illud fit, exceptis tamen viatoribus & ad iter expeditis.

Glossa.

SUMMARIA.

1. Consuetudines consonantes & leges.
2. Illustratur porrò art. ex Ambrosio & Augustino.

1 HUic consonat. Reformat. Zutphan. *tit.* 24. §. *Noch sal niemant.* Ruremund. *part.* 6. *tit.* 1. §. 1. *art.* 5. item *l. ult. C. de feriis*, ubi Leo & Anthemius Imperatores: *Dies festos majestati altissimę dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari.* & paulò post: *subeat animos vicaria pœnitudo*, id est, ut interpretatur Pac. *in methodo Cod.* loco humanarum actionũ instituti debet seria peccatorum meditatio pœnitentiæ agendæ & vi-
2 tæ emendandæ gratia. † Ambros. *lib.* 1. *de fide resurrect. sub fin. Quid dies festos in potu & in epulis æstimabimus?* Augustin. *Serm.* 1. *de adventu Domini in carne: Quotiescunque* (inquit) *aut natalem Domini, aut reliquas solennitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ, quasi bestię crudelissimę, repugnate, odium, veluti venenum mortiferum, de corde vestro repellite.*

ART. 9.

SAl oock niemant by dage of by nacht bilen, steenen, corte sinckroers, ysere clooten, of andere onbehoorlicke wapenen, bedeckt op yemant dragen, die dat daer en boven dede, die verloore thien pondt.

ART. 9.

NEmo etiam interdiu noctuve secures, saxa, minores sclopos, ferreos globos, aut alia arma prohibita latenter in aliquem portabit, sub pœna decem librarum.

Glossa.

SUMMARIA.

1. Finis & occasio hujus art. cum consuetud. conson.

2. Intelligitur

2. *Intelligitur de eo qui terrendi non occidendi animo arma in aliquem portaverit.*
3. *Attentati homicidii reus ex generali consuetudine arbitrariè punitur, quæ mihi probatur.*
4. *Discrimen temporis multum operatur circa conjecturam quo quis animo arma in aliquem gestaverit.*

1 HIc articulus eò spectat, ut omnis præcidatur occasio quemquam offendendi, ex eo haud dubiè natus, quod nonnullis in more positum fuit, quos oderant seu noctu seu interdiu telo persequi. Simile statuitur in Reformat. Zutphan. *tit.* 24. §. *van op yemants &c.* Ruremund. *part.* 6. *tit* 1. §. 7. *art.* 1.
2 ‡ Intelligi autem debet de eo qui solùm terrendi non occidendi animo hujusmodi arma in aliquem occultè gestaverit. Nam si hoc sit, teneretur poena legis Corneliæ de sicar. *l. Is qui.* 7. *C. Ad leg. Cornel. de sicar.* quæ refertur in *c. Quisquis.* §. *si quis cum telo. de pœnitent. distinct.* 1. & quidem ordinaria in conatu si ad actum homicidio proximum processerit, arbitraria verò si in remotiori constiterit, prout post alios declarat Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 360. *num.* 36.
3 ‡ Quamvis magis probarem generalem consuetudinem, qua pro arbitrio iudicis indistinctè punitur, non autem capitis poena afficitur, quisquis de attentato homicidio, non sequuto effectu, convincitur, ut docui suprà *cap.* 3. §. 13. gloss. 2.
4 ‡ Ad illud quoque, *by dage of by nacht,* obiter notandum venit, in conjecturando, quo quis animo arma in aliquem portaverit, multum momenti esse in discrimine temporis: quia quæ noctu fiunt magis suspecta habentur, quàm quæ interdiu, juxta illud: *lucem fugere qui malè agit,* & quod poëta inquit, *Vt jugulent homines surgunt de nocte latrones,* Mascard. *de probat. conclus.* 98. *num.* 23. Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib* 2. *cent.* 4. *cas.* 361. *num.* 37.

ART. 10.	ART. 10.
VOorts of yemant den Drost, Richter, Gerichts-	POrrò ejus, quod quis Satrapã, judicem,

Gerichtsluiden of Gherichtsbade hoonspraecke dede of sloege, als sy te ghericht geseten weren, dat sal staen tot des heeren wille, onvermindert den Gerichte daer over haer erkentenisse.

judicem, assessores, nunciumve judicii, dum ab his illud munitur, injuria affecerit aut pulsaverit, libera erit vindicta Domino, interveniente tamen judicii cognitione.

Glossa I.

SVMMARIA

1. *Quatenus hic articulus à sequenti differat.*
2. *Consuetudo Ruremund. accuratius de hujus art. materia statuit.*
3. *Injuria, de qua hic, atrox, & ipsi principi fieri videtur.*
4. *Illustratur d. art. à traditis Lucæ de penna.*
5. *Apparitori asserenti se injuria affectum non creditur nisi probet.*

HOc & sequenti articulo 11. tractatur de vindicanda injuria seu reali seu verbali, quæ infertur Satrapæ, judici, assessoribus & apparitori, quem nuncium judicii appellant. ‡ Differt tamen uterque
1 eo, quod hic solùm loqui videtur de casu, quo memorati officiales pro tribunali sedent, in verbis: *als sy te gerichte geseten waren*; ille verò, quando extra judicium vel facto vel verbis, dum munus sibi demandatum exercent, vel hujus respectu, injuriâ afficiuntur: ‡ Magis di-
2 stinctè & accuratè de eadem re statuunt leges tetrarch. Ruremund. *part. 6. tit. 1. §. 4. art. 2. 3. 4. 5. & 6.* quæ proinde, si usu venerit, magno cum fructu consulendæ. ‡ Dicitur autem hæc injuria atrox eòque
3 severius punienda *l. Prætor edixit. 7. §. Atrocem. 8. ff. de injur. §. Atrocem 9. Institut. eod.* Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 3. cas. 263. num. 5.* Et existimatur illata ipsi principi, cujus hi personam representant, quod tradidit Guid. Papæ *decis. Gratianopolitan. 557.* & hac ratione ad apparitorē quoque jure extendi docet *dict. loc. vers. Et ex his sumpta &c.* Ut non dicam, quod malitiosis hominibus causa daretur

retur offendendi eum, à quo se vel citatione vel qua alia executione lædi credunt. ‡ Convenienter verò ad hunc textum dixit Luc. de penna in *l.* 1. 10. & 11. *C. Vt nemo ad suum patrocinium recip. rustican. lib.* 11. nullũ majus aut gravius esse delictum in genere læsæ majestatis, quam quod adversus corpus justitiæ perpetratur. ‡ Apparitori porrò huic asserenti, injuria se affectum in exercitio officii, non credi, sed ad id probationes requiri docet idem Guid. Papæ *dict. decis.* 557. *vers. Sed juxta hoc quæro. &c.*

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Magistratui aut judici injuriam inferens qua pœna afficiendus sit, tractatur,*
2. *Ex mente hujus art. pœna est arbitraria.*

D*At sal staen &c.*) Cum juri & rationi sit consentaneum, ut hujusmodi injuriantium protervia refrenetur, prout etiam eleganter ad illustrationem hujus textus ostendit Bodin. de Republic. *lib.* 3. *cap.* 5. *vers. Or de ceste question en depend une autre &c.* ‡ quæri solet qua pœna sint afficiendi? Alii quidem relegationem, alii fustigationem, alii denique capitis pœnam dictant. Sed in tanta varietate satius est arbitrio judicis committere, quod, si factum exigit, ad mortem etiam extendi potest, uti post Ruin. cum plurimis ad hoc allegat. tractat Menoch *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 3. *cas.* 263. *num.* 6. adde Anton. Tessaur. *decis.* 229. *num.* 7. Anton. Faber. *Cod. Sabaud. lib.* 9. *tit.* 20. *definit.* 6. ubi specialiter de apparitore offenso. Gail. 1. *obs.* 39. *num.* 4. *vers. Pœna autem.* ‡ Atque hoc erit ex mente hujus textus, qui nullam certam exprimit pœnam, ideòque liberum permittit arbitrium ei qui cognoscit, juxta *l.* 1. §. *expilatores. in fin. ff. de effractor.*

ART. 11.

U*Nd of yemant die selve persoonen und andere ghesworen dienaers sloege*

ART. 11.

SImiliter vindicabit Dominus pro arbitrio, quando quis eosdem

sloege of dreigde te slaen, of aen haer eer sprake in tyden als sy in haere officien van des Heeren ofte gherichts weghen doende weren, ofte daer nae ter oirsaecken van der officien, und sulcx buiten haere schuldt und verhael, dat sal oock staen tot des heeren straffing und will.

ART. 12.

DAn of de voorsz. officier s und ghesworen sulcke slegen, dreigẽ of scheltwoorden onbehoorlicken aen hun veroirsaeckt und versocht hadden, dat sal staẽ tot erkentenisse des gherichts, daer dat gheschiet is.

dem nulla sua culpa pulsat aut pulsare comminatur, eorumve honori detrahit, sive id fiat dum munere sibi demandato funguntur, sive postea hujus saltem respectu.

ART. 12.

SI tamen prædicti officiales & jurati hujusmodi verberibus, minis aut injuriis, contrà quàm convenit, causam præbuerint, pertinebit ad cognitionem judicii in quo illud contigit.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Provocatus à magistratu mitius punitur.*
2. *Quatenus an & quando magistratui resistere liceat, remissivè.*

QVæ proximè præcedenti articulo tractata sunt ad hujus utriusque illustrationem utiliter repeti possunt. ‡ Et meritò ad ulteriorẽ
1 judicii cognitionem remittitur, si qua fortè verberibus, minis aut convitiis illatis ab officiali aliaque publica persona jam relata prius sit data occasio, eo quidem fine ut taliter provocatus mitius puniatur. In dubio enim id quod fecit, sui potius defendendi, quàm ulciscendi causa fecisse præsumitur, utcunque à delicto omninò excusari non possit, juxta tradita à Jul. Clar. §. *fin. practic. criminal. quæst.* 60. *num.* 18. & magis appositè ad hunc textum idem Clar. *quæst.* 68. *num.* 21. Anton. Fab. *Cod. Sabaud. lib.* 9. *tit.* 20. *definit.* 6. *num.* 5. & novissimè Benedict. Carpzov.

Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 4. *constitut.* 43. *def.* 2. ‡ Quatenus autem, an & quando magistratui resistere liceat post alios, adducto etiam Cameræ Imperialis præjudicio, docet Mynsingerus *centur.* 5. *observat.* 18.

ART. 13.

ITem waert saecke, dat yemant den anderen voor der Bancken in sittenden gherichte met lasterlycke woorden verspraecke, ofte eenige scheltwoorden gave, die verloore vierpondt.

ART. 13.

MUlctabitur quatuor libris quicunque alium coram tribunali, dum judiciũ est munitum, opprobriis adoritur aut verbis contumeliosis compellat.

CUm hoc articulo conferantur tum ipse art. 10. cap. 16. infr. tum quæ ibidem tractantur.

Dat VI. Cap.

Van diestalige goederen.

ART. 1.

VAnneer yemant syn goet by diverie afhendich gemaeckt is, ende 't selve bevonden worde in handen van den dief, ofte van den officier die den dief gevangen hadde, sal den geenen die dat goet afgestolen is, t' selve onweigerlick, sonder eenige vergeldinghe, weder gegeven ende ghevolget worden, soo veern hy kan bewijsen dat het syn goet is, und dat het hem tegen synen wil gestalen ofte ontvreemt is.

Caput VI.

De rebus furtivis.

ART. 1.

REs sua alicui furto ablata eidem sine mora & gratis restitui debet, sive eadem reperiatur in ipsius furis sive officialis, à quo is captus est, potestate, modò probet eam suam ac invito sibi surreptam esse.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Ratio hujus statuti & consuetud. conson.*
2. *Confirmant Bartol. aliique*
3. *Pro restitutione ablatorum bona furis tacitè esse obligata.*
4. *Quod videtur inutile, cum nihil plerunque habeant.*

1 W*Anneer yemant &c.*) † *Si hæc conditio est, ut quicquid in usum hominis cessit proprium sit habentis, profectò quicquid jure possidetur injuria aufertur* Quintilian. *declamat.* 13. Unde rectè hoc loco statuitur, rem furto surreptam ei, cui ablata est, seu penes furem seu penes officialem, à quo iste fur comprehensus est, reperiatur, gratis debere restitui. Quod similiter statuit Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 16. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 15. §. 5. & ex parte Ruremund. *part.* 3. *tit.* 2. §. 3. † Et con-
2 firmatur opinione Bartoli *in l. Interdum.* §. *qui furem num.* 4. *ff. de furt.* ubi tradit, furem non solùm condemnari in pœnam debitam, sed etiam ad restitutionem rei ablatæ. sequitur post alios Ludovic. à Peguera
3 *decis.* 27. *in addit.* † Imò secundum Bald. & Salicet. *in l. Furti. C. de furt.* ex æquitate canonica pro restitutione rerum surreptarum tacitè sunt obligata bona furis, tenenturque ejus heredes ac quilibet alius
4 possessor. † Quod tamen carere videtur utilitate, cum plerumque vel nihil vel parum habeant qui furantur, ac proinde nihil eorum obligari possit, ut tractat Petr. Rebuff. *ad constitutiones regias tom.* 2. *tractat. de constitut. redit. art.* 1. *gloss.* 14. *num.* 28.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Rei furto ablatæ restitutio non fit nisi quis eam suam probet.*
2. *Non tamen requiritur probatio dominii, sed quod in bonis fuerit.*

3. Probandum etiam rem esse furto ablatam,
4. Probato eo quod res surrepta in bonis fuerit, admittitur petitor ad juramentum, eandem furto sublatam esse, dummodo adversarius non probet justo titulo ad se pervenisse. Ita judicatum Noviomagi.

SOo veern hy kan bewysen &c.) Ad hoc verò ut rei furto ablatæ restitutio fiat conjunctim requititur, ut suam quis esse probet & invito sibi eandem ademptam vel interversam. † Primum est, ut probetur res sua *hic &* §. *seq.* absque eo enim succumberet petitor, ut est textus huic consonans *in l. ult. C. de rei vindicat. l. ult. ff. de acquir. vel amittend. possess. l. 2. ff. de probat.* §. *retinendæ. vers. commodum. Institut. de interdict.* Constitut. Criminal. Caroli V. *cap.* 21. & ibi Nicol. Vigel. † Neque tamen verba illa, *dat het syn goet is*, præcise accipienda sunt de probatione dominii, quæ adeò difficilis in jure habetur, ut quandoque etiam impossibilis dicatur, Dd. communiter *in l. Cum res. C. de probat.* & latè Mascard. *de probat. vol.* 1. *conclus.* 536. Sed sufficit si probet quis rem surreptam in bonis fuisse, id quod à dominii probatione multùm differt *l. Bonorum.* 49. *vers. in bonis. ff. de verb. significat.* † Alterum porrò est, ut probetur res sibi furto ablata, quod etiam statuit constitut. Criminal. Carol. V. *cap.* 209. † Quæ hoc amplius addit, ut si petitor, probato eo quod in bonis suis fuerit, in illo probando deficiat jurisjurandi religioni permittatur, modò adversarius docere non possit eandem rem iusto titulo ad se pervenisse. Huic accedit Bart. *in l. In actione. num.* 1. *ff. de furt.* & *in l. Qui tabularum. ff. eod.* Mascard. de probat. *vol.* 2. *conclus.* 833. Quod me referente judicando sequuti sunt Scabini Noviomagenses *an.* 1639. & recipiendum puto, si casus obtigerit, ita tamen ut circumspecti judicis arbitrio non nihil tribuatur.

ART. 2.

INsgelycken daer yemant syn goet, dat hem ontvreemt, gestalen, ofte sunts anders tegen synen wil afhendich ghemaeckt

ART. 2.

SImiliter si quis in Velavia vel ora Velaviæ penes aliquem reperiat rem sibi furto ademptam aut

maeckt were, in Veluwen ofte Veluwen-soom by yemant vonde, ende bewijslick by brengen konde, dat het syn were, sal hy dat met toedoen van den officier weder aenvangen mogen, al waert schoon op eenen vryen merckt verkoft ende verscheiden maelen veralieniert.

aut aliàs invito interversam, eandem autore officiali recipere poterit, etiamsi publico mercatu vendita ac aliquoties alienata foret, dummodo legitimè probet suam esse.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Consuetud. conson.*
2. *De quibus tractet hic art.*
3. *Qui amissa non propalat vel restituit furtum committit.*

1 CUm hoc articulo congruit Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 17. Ruremund. *part.* 3. *tit.* 2. §. 3. *art.* 11. Transisulan. *part.* 2. *tit.* 15. §. 5.
2 consuetud. Mechlin. *tit.* 2. *art.* 2. ‡ Nec statuit tantùm de bonis furto ablatis, sed etiam de iis quæ quacunque ratione alicui invito intervertuntur. quò referri possunt illa, *ontvreemt, gestalen ofte sunst anders tegen synen wil afhendich gemaeckt were*, ac proinde in rebus ab ali-
3 quo amissis etiam locum habebit. ‡ Nam & is qui amissa nec propalat nec restituit amittenti furtum dicitur committere ac arbitrio judicis plecti potest *c. si quid invenisti* 14. *quæst.* 5. *c. Multi.* 14. *ead. quæst.* 5. *l. Falsus creditor,* 43. §. *Qui alienum.* & ibi Bart. *ff. de furt.* eleganter Joan. Bonifac. *tractat. de furt.* §. *Contrectatio. num.* 132. & 133. Joan. Köppen. *in decis. suis quæst.* 9. *per tot.*

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Conceptum furtum quid.*
2. *Idque ab usu recessit.*
3. *An in ædibus alienis rem furtivam quærere permissum sit, quod decidit ur.*

4. *Textus hujus art. est de fortuita inventione, vel quæ iubente officiali fit.*
5. *Non protinus fur habendus apud quem res furtiva reperitur, modò sit integræ famæ,*
6. *Secus de illo cujus laborat existimatio.*
7. *De receptatoribus remittitur ad antea tractata.*

1 BY *yemant vonde.)* † *Conceptum furtum dicitur* (inquit Justinian. Imp. §. 4. *Institut. de obligat. quæ ex delict. nascunt.*) *cum apud aliquem*
2 *testibus præsentibus furtiva res quæsita & inventa sit.* † Sed cum hic mos, eodem fatente, in desuetudinem abierit, nec de ejus generis inquisitione hoc loco agatur, remittendum solùm puto lectorem curiosiorem ad interpretes, qui super dict. §. commentati sunt, & inprimis
3 Alciat. *parerg. lib. 5. cap.* 8. † Interim occasione verborum, *by yemant vonde*, moveri potest quæstio, utrum in ædibus alienis rem furtivam quærere sit permissum? Et quidem eò redit communis Dd. opinio, ut non propria & privata cujusquam, sed publica judicis autoritate, illud concedatur, uti post alios docet Jul. Clar. *practic. criminal.* §. *Furtum. num.* 3. quem aliis insuper adductis laudat & sequitur Joan.
4 Köppen *in decis. quæst.* 8. † Textus autem hic intelligendus est de illa inventione, quæ vel fortuitò fit, quando quis fortè in rem sibi furto ablatam incidit, vel quando data ad id opera mandante offici-
5 ali reperta est. † Neque tamen protenus fur habendus est is apud quem res furtiva reperitur, modò aliàs bonæ sit famæ ac vitæ honestæ *d.* §. *conceptam. Institut. de obligat. quæ ex delict. nascunt. gloss. in l. Incivilem. verb. incidatis. C. de furt.* Mascard. *de probat. vol.* 2. *conclus.*
6 834. Joan. Köppen *d. loc. num.* 8. 9. & 10. † Tametsi contrarium judicandum est de iis, quorum laborat existimatio & præsertim qui receptatores dicuntur, quos pessimum genus hominum appellat Mar-
7 cianus *l.* 1. *ff. de receptatorib.* † De quibus ut nihil hoc loco dicam, etsi submoneri videar, in causa sunt ea quæ suprà tractavi *cap.* 3. *de homicid.* §. 2. hic, si res postulat, non sine fructu repetenda.

Glossa 3.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Quare non propria sed iudicis autoritate repetatur quod subtractum est.*
2. *Vis est quoties quis per judicem non repetit quod sibi debetur.*

1 M*Et toedoen van den officier.*) † Non propria sed judicis autoritate repeti debet quod furto subtractum probatur. Neque enim singulis concedendum est, quod per magistratum publicè fieri potest,
2 ne occasio sit majoris tumultus faciendi *l. 176. ff. de reg. jur.* † Et vis esse dicitur, quoties quis id, quod deberi sibi putat non per judicem reposcit text. *in l. exstat. 13. ff. Quod met. causa* & ibid. eleganter Anton. Mornac. *in suis observat.* adde Joan. Bodin. *de Republica lib. 3. cap. 5. vers. Or les loix ont tousiours eu &c.*

Glossa IV.

SVMMARIA.

1. *Emens rem furtivam nullo refuso pretio ad ejus restitutionem tenetur,*
2. *Quin & ob suspicionem criminis iuramento se purgare debet.*
3. *Tractatur variè & latè an is qui rem furtivam publico mercatu emit nullo refuso pretio eandem reddere debeat.*
4. *In contractibus qui bonam fidem exigunt temperamentum justitiæ adhibendum esse tum gentium tum civilis juris respectu, nec non habita ratione tam aliarum quàm earum personarum cum quibus contractum est.*

1 A*L waert schoon op een vryen merckt verkoft &c.*) † Emens rem furtivam quin ad ejus restitutionem, nullo refuso pretio, teneatur, nemo ferè

ferè dubitat propter text. *in l. Incivilem. 2. C. de furt.* Jul. Clar. §. Furtum *num. 26.* & communiter Dd. ac re judicata firmat Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 4. constitut. 39. definit. 5.* convenit statut. Daventr. *part 3. tit. 10. art. 7.* ‡ Imò propter criminis suspicionem *d. l. 2. & 5. C. de furt.* tenetur idem emens juramento sese expurgare, quod rem furtivam esse ignoraverit; post complures citatos id. Carpzov. *ad dict. constitut. Saxon. part. 1. constitut. 22. def. 7. & part. 4. constitut. 40. def. 8.* ‡ Sed quæri potest, utrumne idem in casu hujus textus obtineat, quando videlicet quis publico mercatu adeòque optima fide rem furtivam emit? Et videtur obtinere, per ea quæ tractat Joan. Bonifac. *tractat. de furtis. §. Contrectatio. num. 92. vers. & hoc verum est. alleg. Mascard. de probat. & Alciat. de presumpt. reg. 3. præsumpt. 29.* cui consonat Jus tetrarch. Ruremund. *part. 3. tit. 2. §. 3. art. penult.* consuetud. Antuerp. *tit. 58. art. 1.* & confiirmatur ex eo, quod dum hîc res publico mercatu empta jubeatur restitui, de reddendo aut non reddendo pretio nulla fiat mentio, ideòque relinqui videatur dispositioni juris communis, de qua paulò antè dictum fuit. Quod tamen inverti aliquo modo potest, habito respectu ad art. proximè præcedentem, ubi, casu quo res furtiva reperiatur penes furem aut officialem, eadem restituenda venit gratis, nullo ejus causa dato, in verbis: *sonder eenige vergeldinge.* Arguendo scilicet, eadem verba & hoc art. addituros fuisse Reformatores, si rem furtivam publico mercatu divenditam nullo refuso pretio restitui voluissent. Sic moribus Hollandiæ & aliorum quorundam locorum, de quibus Hugo Grotius *Introduct. ad jurisprudentiam Holland. lib. 2. cap. 3. vers. uytgenomen.* & Francisc. Zypæ. *Notit. jur. Belg. lib. 3. tit. de rei vindicat. vers. jure dominus &c.* hujusmodi bonæ fidei emptori pretium restitui tradunt, quatenus illud juramento affirmaverit, nec adversus venditorem suum regressum habere potuerit. Idem judicari aliquoties vidi in hodiernis nostris danistis, quos vulgò Lombardos vocamus. De quibus similiter notat. Hug. Grot. *dict. loc.* & probatur exemplo Judæi, qui jure Saxonico rem furtivam à se bona fide emptam nisi reddito pretio restituere non tenetur Coler. *part. 1. decis. 26.* Joan. Koppen. *in decis. quæst. 8. num. 12.*

Corollarium sit ad commentationem hujus tit. elegantissimus textus *l.* 31. *ff.* *Depositi.*

4 B*Ona fides* (inquit Tryphoninus Jurisc.) *quæ in contractibus exigitur, æquitatem summam desiderat. Sed eam utrum æstimamus ad merum jus gentium, an verò cum præceptis civilibus & prętoris? Veluti, reus capitalis judicii deposuit apud te centum. is deportatus est. bona ejus publicata sunt. utrumne ipsi hæc reddenda, an in publicum deferenda sunt? si tantum naturale & gentium jus intuemur, ei qui dedit restituenda sunt. si civile jus & legum ordinem, magis in publicum deferenda sunt. nam malè meritus publicè, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. Incurrit hic & alia inspectio, bonam fidem inter eos tantum, quos contractum est, nullo extrinsecus assumpto, æstimare debemus, an respectu etiam aliarum personarum ad quas, id quod geritur, pertinet: exempli loco, latro spolia, quæ mihi abstulit, posuit apud Seium inscium de malitia deponentis, utrum latroni, an mihi restituere Seius debeat? Si per se dantem accipientemque intuemur, hæc est bona fides, ut commissam rem recipiat is qui dedit. Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quę negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt quę facto scelestissimo adempta sunt. Et probo hanc esse justitiam, quę suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione.*

Dat VII. Cap.

Hoe men in rechte treden sal.



Chtervolgende den ouden gebruick, die voor menschen gedenckē in Veluwe und Veluwen-soom gheobserveert is worden, salmen alle Gherichtssaecken met dese vijf naevolgende ingeng van rechten anheven und daer mede

Caput VII.

Quomodo jure agendum sit.



Uxta antiquum usum, qui ante hominum memoriam in Velavia ac ora Velaviæ servatus fuit, non nisi quinque his sequentibus modis litem quamcumque instituere ac adversarium suum

mede und niet anders syne wederpartye aen de Gerichten betrecken, Als te weten met

Inleidung,
Badung,
Besaet,
Peindung und
Tusschen klacht und verburgung.

suum in jus vocare licebit. Videlicet,

Introductione,
Citatione,
Manus injectione,
Pignoratione, &
Querela ejusque nomine satisdatione.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Legis sive legitimæ actiones veteri jure Romano usitatæ,*
2. *Eædem postmodum sublatæ desierunt, quamvis tolerabiliores quàm actionum confusio &c.*
3. *Mediam viam amplectuntur mores nostri, nec scrupulosam nimis nec dissolutam,*
4. *Confirmatur ab usu forensi & adductis autoritatibus.*
5. *Quare nomen specificum actionis sit edendum.*
6. *Verbum actionis & speciale & generale esse.*
7. *Actio alia realis, alia personalis, alia mixta, & harum descriptiones.*
8. *Quomodo legali actionum divisioni assimilentur modi procedendi jure Velavico proditi.*

HOc capite quinque diversi modi procedendi, quibus in judicium itur, proponuntur, idque ex moribus, ut innuitur, Velaviæ antiquissimis. † Olim quidem jure veteri Romano legis sive legitimæ quædam erant actiones certis ac solennibus formulis conceptæ *l. 2. §. Deinde ex his legibus. 6. ff. de orig. jur.* à quibus qui vel syllaba aliqua aberrasset causa cadebat, ut auctores sunt Cicero & Quintilianus, quos cum aliis citant & quo ad hanc materiam latè explicant Andr. Alciat.

ad l. Pecuniæ. 178. ff. de verbor. significat. & Francisc. Pollet. vel potius ejusdem interpolator Philip. Broidæ. *Histor. For. Roman. lib 5. cap. 4.*
2 † Sed posterioribus seculis hujusmodi captiosa juris superstitio sublata est *tot. tit. Cod. de form. & impetrat. sublat. cap. Dilecti. 6. extr. de judic.* tolerabilior tamen (ut utar verbis Cujacii in paratit. *ad d. tit.*) quàm actionum confusio, agendi temeritas & nullus ordo, omnibus actionibus conceptis in factum, non conscriptis formula legeque certa.
3 ‡ Unde rectè mores nostri mediam quandam amplexi sunt viam, ita ut abolita quidem habeatur scrupulosa illa veterum observatio & syllabarum (ut loquitur Cicero) aucupatio: nihilo tamen minus negocio conveniens in judicium sit deducenda actio, & suo quidem nomine
4 designanda, qualiter hoc capite præitur. † Quod inprimis etiam testatur fori nostri usus quotidianus, quando subinde ob errorem in hoc commissum informalitatis, ut loquuntur, exceptione occurri solet. Cui quodammodo convenit id quod tractat Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib. 2. tit 40. definit. 1.* item Jodoc. Damhouder. *prax. civil. cap.*
5 *27. num. 17.* † Et meritò nomen specificum actionis edi vel exprimi requiritur, quia speciem futuræ litis demonstrat *l. 3. C. de edend.* Quò pertinet illud Ulpiani *in l. 1. ff. eod. Qua quisque.* (inquit) *actione agere volet, eam edere debet. nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, edere actionem, ut proinde sciat reus, utrum cedere, an contradicere ultra debeat: & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua*
6 *conveniatur.* ‡ Verbum porrò actionis (quod ait idem Jurisc. in *d. l. Pecuniæ 178. §. 2. ff. de verbor. significat.*) et speciale est & generale. nam omnis actio dicitur, sive in personam sive in rem sit petitio. Sed plerumque actiones personales solemus dicere. Petitionis autem
7 verbo in rem actiones significari videntur. ‡ Quod ad usum fori hoc modo transfertur, ut alia dicatur actio personalis, alia realis, alia verò mixta. Personalis originem ducens ex contractu vel quasi, item ex delicto vel quasi, in personam solùm dirigitur. Realis sequitur rem, in quemcunque illa devenerit possessorem. Ex utraque componitur mixta, cujus exempla sunt *in §. Quædam actiones. 20. Institut.* de

de actionib. De ſingulis hiſce ſpeciebus latè tractant Jodoc. Damhouder. *prax. civil. cap.* 28. & Marant. *ſpecul. aureo, part.* 4. *diſtinct. judic. in perſon. real. & mist.* 3. quorum accuratiſſima diligentia breviorem me hoc loco eſſe cogit^~^. ‡ Ad hæc tamen, reali actioni non ineptè aſſimilatur conſuetudinaria illa immiſſio ſive introductio, quæ primo loco per verbum *Inleidung* deſignatur, ſub qua & mixta aliquando comprehendetur, cum traditum pridem ſit, de mixta in reali prævalente idem judicandum eſſe quod de merè reali Surd. *decis.* 174. *num.* 19. Reliquæ ſpecies ſequentes, ſub verbis, *Badung*, *Beſaet*, *Peindung*, *Tuſchen klacht ende verburging* perſonali actioni conveniunt, ac proinde ad hujus normam determinandæ videntur; ita tamen ut & realem ſubinde admixtam habeant, ſicuti de arreſtatione in rem immobilem facta cuivis ferè conſtat ac probatur *art.* 1. *tit.* 19. *infr.* item ſtatut. Daventr. *part* 2. *tit.* 3. *art.* 12.

Dat VIII. Cap. *Van Inleidung.*	Caput VIII. De Introductione.

Ad rubricam.

SUMMARIA.

1. Inleidung *eſt modus procedndi planè conſuetudinarius*,
2. *Quid ſit* Inleidung *& quando ei locus*,
3. *Comparatur formulæ veterum Romanorum ibi relatæ*,
4. *Majoribus in uſu fuiſſe certas formulas circa Inductionem ac etiam in rem præſentem veniſſe*,
5. *Eadem quæ noſtri etiam Romani juris mutatio notatur.*



Odus procedendi vel inſtituendæ actionis, qui *Inleidung* nuncupatur, conſuetudinarius omninò eſt, uti vel ipſo nominis ſono inſinuatur & probatur ex textu capitis proxi-

mè præcedentis. Ac proinde frustrà nititur, qui à jure Romano ejus originem vel accersit vel naturam interpretari sustinet, utcunque ex instituenda collatione lucem magnam fœnerari quem posse non diffi-
2 teare. † *Inleidung* autem latinè dixeris inductionem sive immissionem, cui contraria est *Wtleidung*, eductio, quando videlicet adversarius impetratæ ab actore inductioni intercedit. Et locum habet solùm in rei immobilis vindicanda vel proprietate vel possessione §. 1. *h. tit.* Reformat. Zutphan. *tit.* 3. §. 1. adde etiam, in asserenda vel neganda rei alicuius immobilis servitute, quam confessoriam & negatoriam actionem appellant, quia utraque in rem esse dicitur §. *Æquè* 2. *In-*
3 *stitut. de act.* † Cui non absimilis formula ista veternm, de qua Cic. *orat. pro Muræn. Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est, eum ego ex jure Quiritium meum esse aio, ibi ego te ex jure manu consertum voco.* Contrà excipiebat intercessor: *Vnde tu me manu consertum vocasti, inde ego te revoco.* vid. eleganter Brisson. *de form. pop. Rom. lib* 5. & Al-
4 ciat. *ad l. Pecuniæ* 178. §. *actionis. num.* 9. *ff. de verb. significat.* † Neque vero dissimile est antiquioribus temporibus majores nostros in hujusmodi inductione & huic contraria intercessione usos fuisse certis quibusdam formulis & conceptis verbis; præsertim cum constet etiam in rem præsentem à judice & partibus itum fuisse, quod tamen postea partim in desuetudinem abiit, partim in quibusdam locis expressè abrogatum est, uti videre est, *infr. tit.* 14. §. 19. cui consonat Statut.
5 Daventr. *part.* 2. *tit.* 5. *art.* 2. † Quomodo similis quædam juris Romani vicissitudo notatur à Gellio *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.* 9. in eo quod Vindicia, id est, correptio manus, in re atque in loco presenti apud prætorem ex duodecim tabulis olim fieri solita, postmodò propagatis finibus & jurisdictionibus, quia molestum erat in longinquas res disceptationis causa proficisci, contrario instituto sit sublata.

ART. 1.

OF yemant op erfgront om die proprieteit, ofte oock om die possessie des

ART. 1.

QUi rei immobilis proprietatem aut possessionem jure vin-

des selven met recht spreeken wolde, die sal sulx met inleidung doen. Vnd of daer wtleidung tegen geschiede, so sal de officier partyen eenen dach van rechten leggen ten naesten gericthsdach aen der bancke daer dat goet ghelegen is, gelyck oock daer tegen besaet ontsaet, und tegen peindung pandtkerung ghe-schiede.

vindicare volet, ab inductione incipiet. Et si huic interceditur præfigetur utrique parti ab officiali dies litigandi ad proximum juridicum coram tribunali ejus loci in quo dicta res sita est. Idem fiet cum arrestationi vel manus injectioni aut etiam pignorationi intercedituR.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes.*
2. *Iudicium aliud possessorium aliud petitorium, & utriusque datur descriptio.*
3. *Una communis utriusque judicii datur actio, quo differunt mores à jure communi, quod separata tum possessorii tum petitorii remedia concedit.*

1 OF *yemant &c.)* † Convenit huic Reformat. Zutphan. *tit.* 3. § 1. Statut. urbis Arnhem. *de mod. procedend. art.* 26. Statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 5. *art.* 1. item Transisulan. *part.* 1. *tit.* 8. *art.* 1. qui tamen
2 art. ibidem possessionis non meminit. † Ad illustrationem autem dico, judicium aliud esse possessorium aliud petitorium *gloss. in l. Momentaneæ. C. Qui legit. person. stand. in judic.* Possessorium est, cum de sola rei possessione controvertitur *l. Is qui destinarit* 24. *ff. de rei vindicat. l. si duo. §. ult. ff. uti possidetis. §. Retinendæ. Institut. de interdict.* Petitorium verò dicitur, cum de rei proprietate disceptatur *d. l. Is qui destinavit. ff. de rei vindicat. gloss. in l.* 1. *verb. vindicante. C. Ubi in rem actio. l. Qui petitorio. cum gloss. ibid. ff. de rei vindicat.* post Panorm. Specul. & Ruin. Petr. Rebuff. *ad constitut. reg. tom* 3. *tractat. de mater. possessor. art.* 7. *gloss.* 1. *num.* 2. & 3. quem sequitur Menoch. *in prælud. recuperand. possession.*

3 *session. num.* 7. 8. 9. *cum seqq.* ‡ Utriusque & petitorii & possessorii hoc loco fit mentio, ac hujus vel illius intentandi causa una communi nomine competit actio, quam *Inleidung*, id est, Inductionem sive Immissionem vocamus. In quo differunt mores à jure communi, quo alia quidem respectu petitorii, ad persequenda rerum dominia vel quasi, prodita sunt juris remedia, de quibus præter alios Joan. Oldendorp. *de actionib. forens. class.* 3. Alia etiam respectu possessorii, quæ propriè interdicta dicuntur, de quibus *dict. tractat.* Oldendorp. *class.* 2. & omnium latissimè Menoch. *in singular. commentar. de adipiscend. retinend. & recuperand. possess.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Sive petitorio sive possessorio judicio agatur litigandum est in loco rei sitæ.*
2. *Illustratur textus latè ab expositione Conradi Rittershus. in Novell.*
3. *Excipitur judicium domus mortuariæ possessorium, agitandum in loco domicilii defuncti,*
4. *Neque moribus relinquitur arbitrio actoris ut conveniat reum alibi quam in loco rei sitæ.*
5. *Iudex loci rei sitæ non tenetur exequi sententiam ab alio latam, sed nova causæ cognitione opus est.*
6. *Ab usu recessere requisitoriales, manente tamen earundem aliquo vestigio respectu sententiarum à suprema Gelriæ curia latarum,*
7. *Quod tamen civitates aliquæ non admittunt.*
8. *Adducitur illustrandi gratia locus ex responsis Ludovic. Charond.*
9. *Idem juris moribus est in arrestationibus & pignorationibus,*
10. *Quod confirmatur à moribus Saxonum.*

1 A*En der bancke daer dat goet gelegen is)* † Quando Inductioni sive Im-

Immissioni interceditur jubentur partes litigantes comparere apud tribunal ejus loci in quo res controversa sita est. Sive igitur petitorio sive possessorio judicio disceptatur, in loco rei sitæ agendum est iuxta hunc text. quem usus fori quotidianus re ipsa confirmat. Eum ex præscripto juris communis illustrare libet per ea quæ eleganter tractat e Conrad. Rittershus. *in exposit. Novellar. part.* 9. *cap.* 10. *num.* 30. † *Ubi sita res est (scil. allodialis) tam mobilis quam immobilis* (inquit ille) *ibi loci actionem proponere debet actor, postulante reo : ibi quoque judicare convenit judicem : sive agatur de possessione rei, aliquo interdicto : sive agatur de proprietate, rei vindicatione, vel Publiciana, vel simili aliqua. Sumitur regula ex l. unica C. ubi de possess. agat. & l. un. ubi de hered. agat. & l. ult. C. ubi in rem act. exerc. deb. & ex l. Quod legatur.* 38. *vers. Si autem per in rem. ff. de judic. denique ex cap.* 3. *Sanè. extr. de foro compet. ubi videatur Cujacius. Ratio regulæ eleganter redditur & explicatur à Donello lib.* 17. *cap.* 17. *nempe quia hoc visum sit commodius & litigantibus & judici ; ut in loco ubi res sita est, vel constituta, potius quam alibi judicium exerceatur : tum quia nonnunquam in rem præsentem venire oporteat ; tum quia res exhibenda sit : tum quia ibi faciliores probationes habentur : quarum fortè inopia laboratur alibi : tum quia ibi judicium faciliorem exitum habeat & judex sententiam à se dictam ibi commodius exequatur, quàm alibi. Nam res ibi præstari debet, ubi est l.* 10. *si res mobilis. & l. seq. ff. de rei vind. Breviter, ratio est, ut judicium suam obtineat commoditatem in lite exercenda & vim suam in sententia exequenda.* Hactenus Rittershusius, cui addendus Bacquet. *traicté des droicts de justice chap.* 8. *num.* 31. † Circa quod tamen scire oportet primùm, sub possessorio nequaquam comprehendi possessorium summariũ domus mortuariæ, de quo *infr. tit.* 33. *art.* 18. quandoquidem hoc agitari solet non in loco rei sitæ, sed ubi defunctus domicilium fovit *dict. tit.* 33. *art.* 1. 2. † deinde illud citati Rittershusii, *postulante reo*, moribus nostris non usque adeò convenire, quatenus alibi in jus vocari nequit nec fori præscriptione quasi opus sit ut ad locũ rei sitæ ablegetur actor, neque etiam ulla ratione, contrà quàm permittit *d. l. ult. C. ubi in rem act. exerc. deb.*, arbitrio ejusdem actoris relinquatur, utrum in loco rei sitæ, an verò domicilii reum conve-

5 nire malit. † Adeò namque nobis divisæ sunt jurisdictiones, ut alterius territorii judex in quo res sita est, illi qui sententiam tulit, ne quidem imploratus ad exequendum, parere teneatur: sed antequam eò devenitur nova inchoanda est lis & denuò causæ cognitio inter-
6 venire debet. † Nec solent ita frequentari, imò ab usu passim in patria recessere literæ, ut vocant, imploratoriæ & requisitoriales, quibus ab alterius jurisdictionis judice sententiæ executio petitur: quamvis harum adhuc videatur superesse aliquod vestigium in suprema Gelriæ curia, cujus sententiæ competenter latæ, ad ejusdem requisitionem, ab inferioribus judicibus pro cujusque loci consuetudine
7 executioni mandantur. † Id quod tamen à quibusdam civitatibus
8 admitti etiam non solet, uti observatum animadverti. † Videndus porrò pro ulteriori morum nostrorū illustratione Ludovic. Charond. *in respons. jur. Gall. lib. 7. cap.* 133. ubi respectu rei in Gallia sitæ malè petitam fuisse executionem asserit cujusdam sententiæ à Senatu Sabaudiæ latæ, utcunque requisitoriales intercessissent: additque præterea ex senatusconsulto Parlamenti novam super eadem re fuisse instituendam actionem, non habita ratione ejus quod in Sabaudia jam judicatum erat.

9 † Notetur demum ex istis art. hujus verbis: *gelyck oock daer tegen &c.* idem quod paulò antè tractavimus obtinere, quando vel arrestationi vel pignorationi intercedituṙ. Res enim ipsa, sive mobilis sive immobilis certo loco constituta vel sita utroque illo juris consuetudinarii agendi modo in judicio impetitur & quasi afficitur, licet ple-
10 rumque ex contractu vel quasi eò deveniatur. † Cui non absimile quod de arresto Saxonico, hypotheca & onere reali afficiente rem debitoris, ac proinde in loco ubi eadem est non tantùm impetrando sed & persequendo tradit Joan. Zanger. *tractat. de except. part. 2. cap. 1. num.* 268 & facit Joan Papon. *lib. 7. tit. 7. arrest.* 31. Anton. Fab. *Cod. Sabaud. lib. 3. tit. 16. definit. un. vers. Sed si rem &c.*

ART. 2.

W*Anneer tusschen partyen questie voor*

ART. 2

MOtâ inter partes controversiâ super

voorviele over die poßessie van eenich erfgoet, und de saeck alsoo doncker und twijffelachtich bevonden worde, dat men niet wel onderscheiden konde by wien die possessie des goets were, ofte soo niemant die poßessie des selven goets hadde, wie die dan sol behooren te hebben, sal de Drost ofte Richter in sulcken gevalle mogen verschriven eenighe naest gesetene Jonckeren und versuecken die magistraet der naester Stede tot deputatie ende by vuigung van eenige wt haeren middel, om in plaets van de sequestratie die saeck door oire onderhandelung (ist doenlick) te vergelycken, ofte over die strydige possessie summarie te erkennen, Allet by provisie ende tot den naest aenstaenden Gerichte. Vnd sal als dan recht in poßeßorio gedaen werden, sonder eenige varsten te neemen, ten waer saeck dat het Gericht noodich achten partyen te remittiren tot beter bewijs.

super possessione rei immobilis, si causa ita sit obscura ac dubia ut vix discerni queat quis possideat, aut nullo possidente quis præcipuè possidere debeat, liberum erit satrapæ aut judici convocatis ad hoc in propinquo habitantibus nobilibus ac à vicinæ urbis magistratu delegatis loco sequestrationis eandem, si fieri possit, amicabiliter componere, aut summariè super litigiosa possessione statuere. Erit autem hoc decretum tantùm temporarium, donec in proximè futuro judicio aliud statuatur, quo tandem super possessorio lis omninò terminabitur sine ulla dilatione, nisi judicantibus visum fuerit remittere partes ad pleniorem probationem.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Hujus art. argumentum esse duplex possessorium.*
2. *Distinctio possessorii summarii & plenarii nulla nititur legis autoritate, attamen juris habet rationem.*
3. *Origo praxeos possessorii summarii.*
4. *Possessorium summarium diversas habet appel-*

lationes apud diversas gentes.
5. *Possessorium summarium esse præparatorium plenarii, ejus finis.*

1 IN hoc art. tractatur de duplici possessorio, summario scilicet & plenario. Et quidem de summario à principio usque ad vers. *Vnd sal als dan &c.* atque hinc porrò usque ad finem de plenario, quod & or-
2 dinarium dicitur. † Fateor equidem cum Francisc. Sarmient. *select. interpretat. lib.* 2. *cap* 13. *num.* 9. *cum seqq.* hanc possessorii judicii distinctionem à Doctoribus esse excogitatam nec ulla legis autoritate niti: attamen certum est non omninò juris aliqua ratione destitui, cum ad arma & rixam procedere pati non debet prætor eos, quos jurisdictione sua componere potest text. *in l. Si cujus rei ususfructus.* 13. §. 3.
3 *aliàs l. Æquissimum. ff. de usufructu.* † Atque hinc derivari dicitur praxis possessorii nostri summarii, cui iungendus text. *in l. liberis.* 7. *ff. de liberali causa,* quod ostendit Didac. Covarruv. *pract. quæst. cap.* 17. *num.*
4 1. † Insignitur autem apud diversas nationes diversis quoque nominibus. nam Germanis & Belgis est *provisionale decretum* sive fiduciaria possessio, Gallis *casus novitatis* & *recredentia*, Hispanis *Interim* & antiquitus, annotante Budæo, *vindiciarum lis*, uti latè videre est apud Didac. Covarruv. *dict. cap.* 17. Andr. Gail. 1. *obs.* 5. *num.* 3. Menoch. *retinend. possessionis remed. ult. num.* 5. *&* 6. *& in prælud. recuperand. possess.*
5 *num.* 28. *cum aliquot seqq.* † Estque summarium hoc possessorium, quasi præparatorium possessorii principalis vel plenarii, in quo summariè, ut loquitur hic textus, absque tela judicii, qualitercunque inspecta facti veritate, definitur, quis posthac in possessorio plenario actoris, quis rei partes sustinere debeat: Idque eo potissimum fine, ne lite in longius tempus protracta contendentes utrimque ad arma veniant, atque inde turbari pax publica contingat Menoch. *retinend. possess. remed. ult. à num.* 1. *usque ad num.* 8. *& prælud. recuperand. possess. num.* 24. 25. 26. *&* 27. Andr. Gail. 1. *obs.* 7. *num.* 5. & ante hos Covaruv. *dict. cap.* 17. *practic. quæst. num. præsertim* 4.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Quis in possessorio summario præferatur,*
2. *Declaratur textus & confirmantur præcedentia.*
3. *Quid judicandum in dubio ubi vix constat apud quem ex litigantibus sit possessio,*
4. *In casu dubio aliquando præfertur qui titulum docet,*
5. *Remittitur ad Menoch.*

UNd de saecke alsoo doncker und twyffelachtich bevonden worde, dat men &c)
1 † Possessorium summarium, de quo diximus, retinendæ possessionis ergo est, in quo is præferri solet, qui (ut inquit Menoch. *dict. retinend. possess. remed. ult. num.* 1.) tempore litis contestatæ in possessione vel potius detentione erat, donec tota possessionis (scil. plenariç) causa & judicium finiatur. cui adde Covarruv. *dict. cap.* 17 *num.* 3.
2 † Atque ideò rectè hic dicunt Reformatores, *dat men niet wel onderscheiden konde, by wyen die possessie des goets were*, id est, *si minus rectè discerni possit penes quem rei istius possessio sit*: quasi tacitè innuant, cum constat penes quem possessio sit, eundem in illa ad tempus (quod provisionaliter vulgò dicunt) tueri oportere, quod incidit in illud quod
3 modò præmisimus. † Sed dubitari potest, quid judicandum sit, quando, ut habet textus, adeò obscura & dubia utrimque est causa, ut vix constet apud quem rei de qua controvertitur possessio resideat? Vide, si casus evenerit, Menoch. *retinend. possess. remed.* 3. *à num.* 739. *usque ad num.* 780. & qui hunc sequitur, Anton. Tesaur. *decis. Pedemont.* 206. *per tot.* ubi diversorum relatis opinionibus latissimè ostendunt, quid statuendũ sit, cum vel dubiæ, vel nullæ, vel pares utrimq; circa possessionem producuntur probationes. adde Covarruv. *d. cap.* 17. *num.* 6. *vers. duodecimò meritò. Decis. curiæ provincial. Vltraject.* 10. *per præsid. Radelant.* quæ post Bart. Bald. & Felin. in pari probatione circa tempus litis contestatæ eum præferri vult qui antiquiorem pos-

sessionem, ac data æquè antiqua possessione, eum qui antiquiorem
4 titulum docuisset. † Cui non dissimile, quod judicatum refert
Tessaur. *dict. decis.* 206. *num.* 15. in casu ibidem dubio prælatum fuisse, qui titulum exhibuerat: *quia*, inquit, *aliquid plus præstiterat quàm adversarius, & titulus inducebat præsumptionem possessionis, etiam antiquio-*
5 *ris & justioris, ex dictis per Alexand. &c.* † Plura non addo, nisi quod in hac materia præ aliis recurrendum esse suaserim ad prudentiss. & laboriosissimum Ictum Jacob. Menoch. *dict. retinend. possess. remed.* 3. *vers. Quaero octuagesimò. num.* 714. *cum mult. seqq.*

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Nemo temerè possessionis suæ commodo privandus est, quod illustratur,*
2. *Aliquando tamen sequestratione uti licet.*

1 IN *plaets van de sequestratie)* † Cum nemo temerè commodo possessionis suæ sit privandus *l.* 1. *& l. Ordo. C. de execut. rei jud. prax. Ferrar. in form. sequestr. tit.* 9. *gloss.* 1. *num.* 2. atque hoc omninò pugnet cum tertio juris præcepto, quod suum cuique vult tribui, Tessaur. *d. decis.* 206. *num.* 6. rectè & ad præscriptum justitiæ hic statuitur, non protenus sequestro rem controversam debere permitti, quod imperitis judicibus tribuit Ferrar. *d.loc.* sed multò magis vel amicabili transactione partes contendentes esse placandas, vel, si hoc fieri nequit,
2 summariè sine ullo litis sufflamine de causa cognoscendum. † Nolo tamen interim repugnare, quin quibusdam casibus subinde ad sequestrationis remedium necessariò sit decurrendum, de quibus videndi Ferrar. *dict. loc. gloss.* 1. *num.* 4. *cum. seqq.* Guid. Papæ *decis. Gratinop. quæst.* 246. & post hos Mynsinger. *cent.* 2. *observat.* 11. *& cent.* 5. *observat.* 35.

Glossa IV.

SUMMARIA.

1. *Summariè cognoſcere quid ſit.*
2. *Celeri reformatione ſuccurrere, ſimpliciter, de plano &c. quid ſignificent.*
3. *Remittitur ad autores.*

1 S*Ummarie te erkennen)* † Quid hic ſit ſummariè cognoſcere plenius explicant ſequentia, *allet by proviſie ende tot den naeſt aenſtaenden Gerichte*, id eſt, *ad tempus & uſque in proximum diem juridicum*. Quaſi in re haud magni præjudicii & cujus datur facilis reparatio nulla plenaria ſed modica ſaltem interveniat cauſæ diſceptatio & cognitio, decernaturque interim, quod dicitur, de plano, donec in futuro poſseſsorio principali diligentius omnia inquirantur, & quis potior
2 in poſseſsione eſse debeat definiatur. † Idem ferè eſt quod in *l. ſi coloni.* 14. *C. de agricol. & cenſit.* dicitur, *celeri reformatione ſuccurri* & in *cap. Sæpe* 2. *Clementin. de verb. ſignificat. ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii procedi.* Quod quidem porrò interpretatur pontifex his verbis: *Hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut judex cui taliter cauſam committimus neceſſariò libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, in tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à jure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem quanto poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias & fruſtratorias repellendo, partium, advocatorum & procuratorum contentiones & jurgia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrenando. Non ſic tamen judex litem abbreviet,*
3 *quin probationes neceſſariæ & defenſiones legitimæ admittantur.* † Videantur ad pleniorem intellectum Joan. Sainſon. ad conſuetud. Turonenſ. *tit.* 15. *art.* 26. *gloſ.* 1. *per tot.* & Marant. *ſpec. aur. part.* 4. *diſtinct. judic.* 9. *num.* 8. *cum ſeqq.*

Gloſſa. V.

SUMMARIA.

1. *Poſſeſorium plenarium quid.*
2. *Idem triplex.*

3. *Quid*

3. *Quid hic sit juris ordinem servare, quod accuratius explicatur.*
4. *Explicatio verborum textus*, ten waer saeck dat het gericht &c.
5. *Utrum in possessorio hoc plenario sufficiant imperfectæ probationes.*
6. *Exitus judicii in possessorio plenario non modici habetur præjudicii, ob rationes ibid. & num. seq. 7.*
8. Varst *quid sit, item* Varsten.
9. Varsten *aliquando etiam appellantur* genechten.
10. Genecht *aliàs propriè est dies juridicus a veteri more Germanorum & Gallorum.*

1 UNd sal als dan recht in possessorio gedaen werden &c.) † Hic tractatur de secundi generis possessorio, quod plenarium itemque ordinariũ dicitur, uti indicavi *suprà gloss.* 1. Estq; autem, cum servato judicii ordine plena causæ possessoriæ cognitio adhibetur, vel, ut ille inquit, juris ordine servato proceditur, principaliter atque absolutè
2 de possessione partium disceptatur Gail. 1 *obs.* 7. *num.* 2. † Solet etiam tripliciter distingui, ut vel adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ possessionis causa intentetur, de quibus singulis luculentissimè
3 commentatus est Jacob. Menoch. quò remisisse suffecerit. † Cæterùm quod dixi juris ordinem servari, ex mente hujus textus accipi debet, ut non eo minus quantum fieri possit, sublatis ordinariis dilationibus, quæ referenti dantur, brevissimè causa definiatur, quò spectant illa: *sonder eenige varsten te nemen.* Atque hujus respectu, vel etiam comparatè ad alia ordinaria judicia, quæ moribus statas dilationes admittunt, summatim quoque causa agitari non ineptè dicetur. Quomodo summarium judicium habetur quo ad solennitates, quando breviores dantur dilationes juxta tradita à *Dd. in l. Judices C. de judic.*
4 † Adjicitur in textu, *ten waer saeck dat het Gericht noodich achten, partyen te remittiren tot beter bewijs*, id est, *nisi judicantibus necessarium visum fuerit pleniores probationes à litigantibus adferri.* Hoc enim casu judicium differri juris ratio postulat, ut nimia festinatione justitiæ novercâ, probandi

bandi facultas, præcipuè favorabilis, non coarctetur vel etiã adimatur, non sine summa partium injuria. † Ex quo commodè decidi posse videtur celebris illa Doctorum controversia, de qua utrimque Mascard. *de probat. vol.* 3. *conclus.* 1205. *num.* 1. *cum seqq. usque ad num.* 11. an in hoc judicio possessorio plenario imperfectæ & semiplenæ probationes sufficiant, vel potius plenæ & omnibus numeris absolutæ requirantur? Siquidem hic textus imperfectis probationibus nequaquam videtur esse contentus, ex eo quod arbitrio judicis permittit remitti partes ad pleniorem probationem, atque ea de causa concedi aliquando dilationes aliàs hic prohibitas. † Confirmatur, quod non modici (ut quidam autumant) sed permagni est præjudicii hujus judicii exitus, idque non solùm propter utilitatem possessionis §. *retinendæ & §. commodum. Institut. de interdict.* quam præ cæteris eleganter prosequitur *Cæs. Vrsill. in annotat. ad Math. de Afflict. decis.* 364. *num.* 11. *&* 12. † Sed etiam quia sententia hîc fertur definitiva, quæ non aliam super possessione expectat, quam post Bartol. gloss. Alexand. & Afflict. communem dicit opinionem Gail. 1. *obs.* 7. *num.* 2. quî cum sentiunt complures alii quos latè congerit Mascard.. *dict. conclus.* 1205. *num.* 10. Menoch. *recuperand possess. remed.* 15. *num.* 408. 409. 410. 411. 412. *&* 413. novissimè Bernard. Grevæ. *ad observat. Gail. lib.* 1. *concl.* 7. *num.* 5.

† Notare denique oportet, quod per vocabulum *Varst*, cujus etiam meminit *tit.* 21. §. 7. *infr.* intelligatur dilatio, quæ plerumque circumscribitur spacio quatuordecim dierũ. Hinc *varsten*, id est, *differre*, & judicium dilatum dici solet, *het gericht is gevarst*, quasi denuò agen-
9 dum supersit. † Et quatenus hæ dilationes, sive *Varsten*, quarum unam diximus esse spacii quatuordecim dierum, conceduntur causæ relatori, vulgò referenti, appellantur etiam nonnunquam *Genechten*, uti usu palam est & probat *tit.* 7. §. 10. Reformat. Zutphan. ubi & *Nootvarst* dicitur, id est, *novissima dilatio*, quæ cæteris consumptis pro
10 causæ necessitate concedi solet. † Aliàs propriè *genecht* dicitur dies juridicus, ab eo quod veteres Germani & Galli omne tempus per

noctes computabant, nec dierum sed noctium vices numerabant, uti ex Cæsare & Tacito pridem observavit Corn. Kilian. *in suo etymologico.*

ART. 3.

Maer indien eener met gewalt ofte anders wt syne possessie gedrongen worde, und t' selve den Drost ende Richter bewust were, so sal de Drost ofte Richter den selven gheturbierden possesseur op syn versueck in syne voorige possessie restituiren und handthaven tot dat hy met recht daer uyt geset were.

ART. 3.

Sin autem quis vi aut quo alio modo possessione sua exuatur, deque eo Satrapæ aut judici constiterit, incumbet iisdem turbatum hunc possessorem hoc postulantem in pristinam possessionem restituere ac in eâdem protegere, donec jure ejiciatur.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Indicatur locus ejusdem hujus juris Velavici huic textui consonans & transactio Gelriæ ac Cliviæ.*
2. *Simile jus commune, de quo remissivè.*
3. *Item similis consuetudo Sabaudiæ.*

1 HIc iubetur restitui ac porrò defendi is qui seu vi seu quo alio modo possessione sua spoliatus vel pulsus est. † Cui convenit §. 8. *tit.* 12. *infr. & art.* 25. *transactionis* initæ inter Carolum & Joannem Duces
2 Gelriæ ac Cliviæ *anno* 1538. 27. *Januar.* ‡ Nec variat illud omnium ore decantatissimum, *Spoliatum ante omnia esse restituendum*, cujus sedes in *l. Si quis ad se fundum.* 7. *C. ad leg. Jul. de vi public. cap. in literis.* 5. *cap. Conquerente.* 7. *extr. de restitut. spoliator. can. Redintegranda.* 3. *quæst.* 1. ac illustratur latissimè cum suis, ut ita dicam, ampliationibus & limitationibus ab Anton. Gabriel. *commun. Conclus. lib.* 5. *conclus* 1. & post hunc à Math. Coler. *decis. German. part.* 2. *decis* 266. quibus utiliter
3 addetur Menoch. *recuperand. possess. remed.* 1. † Extat præterea simile decretum *in antiq. consuetud. Ducat. Sabaud. tit de restitutione Spoliator. decret.*

decret. Præſenti. ubi ad lucem hujus loci inſpiciantur quæ ibidem commentatur Anton. Sola. neque enim vacat eadem hic tranſcribere.

Gloſſa II.

SUMMARIA.

1. *Cui competat interdictum* Unde vi.
2. *Vis alia publica, alia privata, & quæ utraque,*
3. *Utriuſque diſtinctio in quinque ſpecies,*
4. *De expulſiva propriè eſt hic textus.*
5. *Epanorthoſis hujus textus.*

MEt *gewalt*) † Competit interdictum *Unde vi* ei qui ex poſſeſſione fundi vel ædium vi dejectus eſt, §. *Recuperandæ. 6. Inſtitut. de interdict.* † Vis autem apud juris autores duplex eſt, alia publica, alia privata, *tot. tit. ff. ad leg. Iul. de vi public. & tit. ad l. Jul. de vi privata.* Publica vis cum armis, privata ſine armis committi dicitur. † Utraque verò ex mente gloſſæ in *l. Extat.* 13. *ff. Quod metus cauſa.* in quinque ſpecies diſtinguitur, ut alia quidem ſit expulſiva, alia ablativa, alia compulſiva, alia turbativa, alia denique inquietativa. vidend. Menoch. *recuperand. poſſeſſ. remed.* 1. *num.* 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. quem ſequitur Anton. Sola *ad conſuetud. Sabaud. dict. Decret. præſenti. num.* 8. † Sed ex his non alia magis textui noſtro convenit, quàm ea quæ dicitur vis expulſiva, uti innuunt verba, *wt ſyne poſſeſſie gedrongen worde*, id eſt, *ſi poſſeſſione ſua extruderetur*, item, *in ſyne vorige poſſeſſie reſtituiren*, id eſt, *in priorem poſſeſſionem, à qua ſcil. expulſus eſt, reſtituere.* † Unde impropriè hic videtur irrepſiſſe illud, *den ſelven geturbierden poſſeſſeur*, id eſt, *eundem turbatum poſſeſſorem*, ac hujus loco ad mentem Reformatorum ſubſtitui oportere, *den ſelven geſpolieerden poſſeſſeur*, id eſt, *eundem ſpoliatum vel extruſum poſſeſſorem.*

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Clandestinam spoliationem hic comprehendi sub verbis* of anders,
2. *Cui simile statutum Papiæ,*
3. *Item consuetudo Sabaudiæ.*
4. *Vox* Clam *quid denotet, quod latius illustratur;*
5. *Magis tamen ejus significatio arbitrio judicis permittitur.*
6. *An & is restituendus sit qui indebitè à judice possessione sua destituitur, enucleatè tractatur.*

1 O*Fte anders)* † Id est, ut jam expressi, vel quo alio modo, sive aliàs, sub quo & clandestinam spoliationem comprehendere licebit, ut non solùm ante omnia restituendus veniat qui vi, sed etiam qui clam possessione sua spoliatus aut eversus erit. Idem sentit Bart. in *l. si vi me. 2. ff. de vi & vi armat.* & Ripa *in l. Naturaliter. §. nihil commune ff. de acq. poßeß.* cum aliis compluribus communem hanc esse opinionem testantibus, quos adducit Menoch. *recuperand. poßeß. remed. 1. num.* 138. Et quamvis idem dict. loc. num. aliquot seqq. probabiliter in contrarium disputet, ac tandem neget interdictum *Unde vi* competere adversus eum qui clam possessionem aliquam ingressus est: non tamen hic videtur dubitandum propter verba textus, *met*
2 *gewalt ofte anders.* † Quomodo etiam *ibid. num.* 250. sentit de statuto
3 quodam Papiæ, quod de qualitercunque spoliato loquatur. † Cui similis consuetudo Sabaud. *dict. decret. Præsenti.* ubi exprimitur, vi
4 vel clam spoliatus. vidend. Anton. Sola. *in commentar. ibid.* † Clam porrò est idem quod latenter & furtivè *l. Non existimo. 54. ff. de administrat. & peric. tut.* & clam facere is dicitur, qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum se intelligeret: & id existimat aut existimare debet se prohibitum iri: item & is qui existimare debet sibi controversiam futuram *l. 3. §. ult. & l. 4. ff. Quod vi aut clam.* Quibus ferè

ferè convenit illud Ulpiani in *l.* 6. *ff. de acquir. poſseſ. Clam* (inquit) *poſſidere eum dicimus, qui furtivè ingreſſus eſt poſſeſſionem, ignorante eo, quem ſibi controverſiam facturum ſuſpicabatur, &, ne faceret, timebat*. Schard. *in Lexic. juridic.* Anton. Sola. *d. loc. num.* 10. † Sed hoc quicquid ſit arbitrio judicis permittere malim, ut, ſi caſus contingat, pro facti qualitate & circumſtantiis prudenter definiat, quod viſus eſt ſentire Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 194. *num.* 20. † Quæritur verò commodùm horum occaſione verborum, an & is eodem modo reſtituendus ſit qui prævia nulla, vel ſaltem non debita cauſæ cognitione, officio judicis poſſeſſione ſua deſtituitur? Sanè, cum hujuſmodi judex, facti magis quàm juris ordinem ſequutus, pro privato habeatur, adeòque eidem impunè reſiſti poſsit *l. Prohibitum. & ibi Bartol. C. de jure fiſci. lib.* 10. non abſque ratione eſt, taliter ſpoliatum ante omnia reſtitui *per text. in cap. conquerente. extr. de reſtitut. ſpoliator. junct. l. Meminerint. C. Vnde vi.* Ita decidunt & ex profeſſo tractant poſt alios And. Gail. 2. *obs.* 76. Menoch. *recuperand. poſseſ. remed.* 8. *num.* 8. Coler. *decis. German. part.* 2. *decis.* 266. *num.* 5. Anton. Sola *dict. loc. num.* 6. & 7. Quos non ita pridem hoc anno 1643. conſulendo ſequutus ſum, & convenit præcipuè cum *art.* 25. *dict. tranſactionis Gelrienſis & Clivenſis*, qui hoc modo effertur, *of yemant uyt ſyner poſſeſſie of beſit onverwonnen des rechten gedrongen weer*, id eſt, *ſi quis poſseſſione ſua nullo jure convictus ejectus eſſet*. Sive enim ea injuria ab alio, ſive à judice juris ordine non ſervato, alicui inferatur, utrumque prædictis verbis, utpote generalibus & indefinitis, commodiſsimè comprehenditur.

Gloſſa IV.

SVMMARIA.

1. *Veram oportet præcedere poſſeſſionem, ut ſpoliatus juſtè conqueratur.*
2. *Quibus rectè competat recuperandæ poſſeſſionis remedium.*

3. *Quid hic probandum sit actori.*
4. *Quasi possessio incorporalium sufficit,*
5. *Statutum loquens de possessione etiam de quasi possessione intelligitur.*
6. *Quomodo simile statutum Papiæ accipit Menoch. &c.*

1 UT *syne possessie*) † Ut quis de spoliatione justè conqueratur ac officium judicis super restitutione implorare possit, veram non simulatam possessionem præcedere convenit *l.* 1. §. *dejicitur.* 9. *ff. de vi & vi armat. l.* 1. §. *est igitur.* 4. *ff. uti possidetis* Anton. Fab. *in Cod. Sabaud. lib.* 8. *tit.* 3. *definit.* 5. ac proinde verba hæc, *wt syne possessie*,
2 significanter omninò sunt accipienda. † Et scitum est, recuperandæ possessionis remedia iis tantum dari, qui ipsimet possederunt ac eâdem possessione dejecti sunt text. *in l.* 1. §. *Interdictum autem.* 23. *ff.*
3 *de vi & vi armat.* Bald. *in l.* 1. *in princip. C. de appellat.* † Unde probare necesse est, actorem quondam possedisse, itemque allegandum, & eo quidem ipso tempore cum dejiceretur, nisi à possessione excidere velit *d.* §. *Interdictum autem.* Panorm. *in cap. Sæpe. de restitut. Spoliator. cap. consultationibus & ibid. dict.* Panorm. *de offic. delegat.* cum similib. citat. per Jacob. Thoming. *decis* 11. *num.* 11. Anton Fab. *dict. definit.* 5. latè Menoch. *recuperand. possess. remed.* 15. *num.* 383. 384. 385.
4 *&* 386. *cum seqq. aliquot.* † Cæterùm quod dixi veram non simulatam hic requiri possessionem, eo sensu accipi debet, ut tamen quasi possessionem rerum incorporaliū non excludat. Traditum namq; est, spoliato etiam quasi possessione utile saltem interdictum Unde vi non denegari Bart. *in l.*3. §. *Unde vi num.* 3. *ff. de vi & vi armat.* quem
5 cum aliis sequitur Menoch. *recuperand. possess. remed.* 1. *num.* 81. † Nec movet quod hic textus solùm meminerit possessionis, cum statutum loquens de possessione etiam de quasi possessione intelligendum sit per ea quæ tractat Jason. *in l. Sed etsi possessori.* §. *item si juravero. num.*
6 28. *ff. de jurejurand.* † Atque hoc modo simile statutum Papiense interpretatur Menoch. *dict. remed.* 15. *num.* 85. *&* 86. adde Anton. Sol. *in consuetud. antiq. Sabaud. dict. decret. Presenti. num.* 2. *&* 3. quamvis

vis ibidem *in dict. decret.* dubitationis tollendæ causa de quasi possessione etiam nominatim exprimatur.

Glossa V.

SUMMARIA.

1. *Constare debet judici de spolio vel facta ilicò probatione vel teste omni populo,*
2. *Circa quod dominatur arbitrium judicis,*
3. *Adfertur pro expositione hujus locus ex consuetudine Sabaud.*
4. *Spoliatus pro arbitrio vel officialem loci vel supremam Gelriæ curiam implorare potest. Idem tamen notanter restringitur.*

1 UNd *t' selve den Drost ende Richter bewust were)* † Sive illud facta ilicò probatione, quæ alleganti spolium necessaria est *l. 1. §. hoc interdictum. ff. de vi & vi arm. cap. cum ad sedem. de restitut. spoliator.* constiterit, sive ita manifestum sit, ut neminem lateat, vel cujus testis est ipse populus, quod notorium vulgò dicitur *cap. Tua nos. & cap. no-*
2 *stra. de cohabitat. cler. & mulier.* † Circa quod inprimis dominabitur arbitrium judicis, sicuti de notorio statuit Gomez. *resolut. tom. 3. cap. 1. num 42.* quem laudat Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 2. cas. 166. num. 7.* relatis etiam idid. tot. cas. diversorum juris interpretum opinionibus, quæ, si opus sit, utiliter ad hunc locum repeti pos-
3 sunt. † Addo jam, pro illustratione, paraphrasticam magis expositionem ex consuetud. Sabaud. *dict. decret. Præsenti.* quæ habet: *Et in loco spoliationis ipsa spoliatio erit notoria, vel aliàs alteri consiliorum nostrorum, aut judicum locorum, ubi ipsa spoliatio facta esse dicetur, per summariam informationem parte vocata ad videndum jurare testes duntaxat, aut aliàs legitimè apparebit ipsa spoliatio fore notoria, ita quod non possit aliqua tergiversatione celari.* Ubi vid. Anton. Sol. *in gloss. num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 24.*

4 † Ad illud porrò, quod in textu iteratò dicitur, *den Drost ofte Richter,* id est

id est, *Satrapa vel Judex*, quasi ad hos solùm spolii cognitio & restitutio pertineat, notandum venit, pro arbitrio spoliati posse etiam implorari provinciæ Gelriæ supremam curiam. Quod & decretum Ordinum in comitiis *an.* 1580. *item* 1581. & usus fori quotidianus satis apertè probant, cum hoc tamen intellectu ut non extendatur ultra casum violentiæ, juxta text. in prædictis decretis. Ad hoc, excipitur ibidem tetrarchia Noviomagensis & Zutphaniensis & suum cujusque civitatis privilegium, dempto casu denegatæ justitiæ.

Glossa VI.

SVMMARIA.

1. *Spoliatus non restituitur nisi hoc postulet.*
2. *Iudex in privatis negotiis non impertit officium nisi imploratus.*

1 OP *syn versueck*) † *Habet itaque* (quod de damno infecto inquit Ulpianus *in l.* 4. §. 8. *ff. de damn. infect.*) *hoc judicium certam conditionem, si postulatum est.* Neque enim à Satrapa aut judice in pristinam
2 possessionem restituitur spoliatus, nisi hoc petitum fuerit. † Concernit quippe principaliter non publicam sed privatam utilitatem, in cujus generis negotiis judex officium suum non nisi imploratus impertiri solet Bart. in *d. l.* 4. §. 8. *num.* 1. *&* 2. & post mult. citat. Math. Stephan. *tractat. de offic. judic. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1.

Glossa VII.

SVMMARIA.

1. *Verbum* Restituere *plenissimam habere significationem & comprehendere fructus tam perceptos quàm qui percipi potuerunt:*
2. *Moribus Velaviæ exolevisse constitutionem* l. Si quis in tantam. C. Vnde vi,
3. *Item totius Gelriæ, cui similis consuetudo Galliæ,*

4. *Adde & usu totius orbis Christiani eandem l. esse antiquatam.*

1 RE*stituiren*) ‡ Quoniam verbum *Restituere* in jure pleniſſimam habet ſignificationem *l. videamus.* 38. *§. in Faviana.* 4. *ff. de uſur. l.* 81. *ff. de verb.ſignificat. l.* 173. §. 1. *ff. de reg.jur.* Cacheran. *decis. Pedemont.* 160. *num.* 4. plenariam hic intelligere oportet reſtitutionem, qua & fructus percepti & qui à tempore ſpolii percipi potuerunt comprehenduntur text. *in cap. Gravis.* 11. *de reſtitut. ſpoliator.* Andr. Gail. 2. *obs.* 75. *num.* 7. 8. imò ad obolum & quadrantem cum omni damno, ut loquuntur, facienda eſt reſtitutio, antequam ſpolians audiatur Anton. Teſſaur. *decis.* 15. *num.* 2. Menoch. *recuperand. poſſeſſ. remed.* 1. *num.* 329. qui complures utrobique in hanc ſententiam citant, adde
2 Anton. Fabr. *in Cod. Sabaud. lib.* 8. *tit.* 3. *definit.* 23. † Sed haud abs re hic quæritur, an moribus Velaviæ etiam locum habeat *l. Si quis in tantam.* 7. *C. Vnde vi.* qua qui rem ab alio poſſeſſam violenter invadit, ſi dominus ſit, ejuſdem dominio privatur, ſin minus, poſt reſtitutionem ad æſtimationem condemnatur? Ego utrumque ceſſare dixero propter textum *in §.* 1. *&* 10. *tit.* 12. *infr. junct. tit.* 2. *ſupr.* ubi ei cui vis infertur apud Satrapam aut judicem conqueri conceditur, quò poſt factam reſtitutionem hujuſmodi violentus invaſor certa mulcta in uſum principis plectatur. Quod convenit cum jure Saxonico, de quo Zobel. *different. jur. civil. & Saxon. part.* 4. *differ.* 15. *num.* 1. Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 125. & poſt hos noviſſimè Benedict. Carpzov. *ad conſtitut. Saxon. part.* 4. *conſtitut.* 35. *def.* 11. *&* 12.
3 ‡ Et cum hujus quæſtionis aliquando mentio incidiſſet, memini à ſenioribus advocatis teneri, prædictæ legis conſtitutionem à tota Gelria exulare. Sicuti eadem etiam in deſuetudinem abiit in Gallia, quod teſtantur Rebuff. *ad conſtitut. reg. in proem. gloſſ.* 5. *num.* 76. & Bernard. Antomn. *en la conference du droict Franc. avec le Romain. tit. C.*
4 *Vnde vi. circa dict. leg. Si quis in tantam.* ‡ Ad hæc communi totius Chriſtiani orbis uſu & praxi ejuſdem legis rigorem eſſe antiquatum inquit Covarruv. *variar. reſolut. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 7. *vers obſervandum*

tamen est. quem sequitur Francisc. Sarmient. *Select. interpretat. lib. 2. cap. 13. num. 7.*

ART. 4.

ITem wanneer yemant inleidung ofte wtleidung wol laeten doen in eenich erf ofte goet, die welcke niet genouchsaem geerft of gegudet en were ter plaetsen daer het goet, daer in de in of wtleidung te ghescheiden versocht worde, gelegen were, die selve sal schuldich syn eerst voor den Drost ofte Richter und gerichtsluiden syne actie sampt de kosten und schade, die met recht daer om gedaen und geleden mogen worden, alsoo te verburgen, dat syne weder partye daer aen mach geholden syn.

ART. 4.

ITem quicunque rem immobilem Inductione vindicare aut eidem intercedere volet, nec ubi eadem sita est idoneus sit rei immobilis possessor, tenebitur coram Satrapa aut judice & judicialibus respectu actionis movendę ac expensarũ cæterorumque damnorum nomine ita satisdare, ut parti adversæ idoneè cautum sit.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Indicatur sensus art. & à fine satisdationis illustratur.*
2. *Satisdatur tam pignoribus quàm fidejussoribus.*
3. *Quod clarius probatur ex textus ulteriori declaratione.*
4. *Excusatur à satisdatione qui feuda possidet.*
5. *Item qui agrum emphiteuticum,*
6. *Non tamen usufructuarius.*
7. *Quid de eo qui annuos reditus possidet?*
8. *Annuus reditus ex prædio constitutus ejus pars censetur moribus ac realem operatur obligationem.*
9. *Quid de eo qui mobilia pretiosa possidet?*

10. *Ad*

10. *Ad excusandum à satisdatione requiritur ut quis immobilia possideat sub territorio ubi res vindicanda sita est.*
11. *Variat jus tetrarch. Ruremund.*
12. *Tam actor quàm reus hic satisdare cogitur, ac proinde superflua est inquisitio quid vel veteri vel novo jure obtineat.*

QUi in loco rei sitæ nulla, vel quæ non sufficiant, *hoc text. & l. 15. ff. Qui satisd. cog.* immobilia possidet idoneam tenetur præstare cautionem, juxta verba hîc, *alsoo te verburgen dat syne wederpartye daer aen mach geholden syn*, id est, *ita satisdandum esse ut adversario omninò consultum esse queat*. Atque is propriè finis est omnis satisdationis, de quo in *l. 1. ff. d. t. Qui satisdare cogant.* ubi appositè ad hunc locum: *Satisdatio*, inquit, *eodem modo appellata est quo satisfactio. nam ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus: ita satisdare dicimur adversario nostro, quum pro eo quod à nobis petiit ita cavemus ut eum hoc nomine securum faciamus.* ‡ Ea autem, non refragante *d. l. 1.* tam pignoribus quàm fidejussoribus rectè fit *l. 1. §. jubet. 9. ff. de collat. bonor.* maximè cum hic articulus aliud haud pręcisè exigat abundèq; satisfactum innuat quando idonea sit præstita cautio, quæ vel pignoribus vel fidejussoribus acceptis, prout placuerit, impleri solet, ut probat text. *in l. Si mandatu. 59. §. ult. ff. mandati. l. Ergo. 4. §. addici. 8. ff. de fideicom. libert. & §. 1. tit. 23. infr. vers. te stellen suffisante &c. §. 2. tit. 19. part. 1. juris Transisulan.* † Idque optimè animadverteris si hujus loci sensum exprimas per cautionem sufficientem, plenam, rectam, competentem, diligentem aut huic simile aliquod epitheton, latè Thom. Sanchez. *tractat. de matrimon. lib. 10. disp. 18. quæst. 2. num. 35.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 1. tractat. de sentent executor. art. 1. gloss. 16. cum mult. seqq.* ‡ Ad hanc tamen idoneam cautionem non adigitur qui etsi nulla allodia sed feuda modò possidet, cum plus juris habere putetur quàm usufructuarius, uti exactè post citat. Hottoman. Zaz. Borchold. Menoch. & Hartm. Pistor. tractat Ioan. Zanger. *tractat. de except. part.*

5 2. *cap.* 21. *num* 27. 28. 29. 30. † Cui non dissimilis est is qui agrum
vectigalem sive emphyteuticum possidet ex mente jurisc. *in d. l.*
6 *Sciendum.* §. 1. *ff. Qui satisd. cog.* † quamvis ab onere satisdandi ibi-
dem non velit excusari usufructuarium, de quo ad pleniorem inter-
pretationem eleganter Alvar. Valasc. *tom.* 1. *consultat.* 66. *num.* 18.
7 *cum aliquot seqq.* † Sed de eo quæsitum fuit, an qui possidet annuos
reditus à satisdatione hac excusetur? Et crebrioribus calculis eò
itum est, eundem planè excusari, modò eosdem reditus habeat su-
per certo ac designato aliquo fundo constitutos, quandoquidem im-
mobilium possessor habeatur, uti tradidere Anton. Gomez. *ad leg.*
Tauri. 66. *num.* 1. *vers. item etiam adde pro extensione.* Valasc. *dict. consul-*
8 *tat.* 66. *num.* 30. † Quod moribus nostris nullam recipit dubitatio-
nem, cum horum intuitu annuus reditus ex prædio aliquo legitimè
constitutus eatenus illius pars censeatur, nec inde personalis ulla sed
realis contrahatur obligatio, sicut pridem latius tractavi *in Adversar.*
9 *ad consuetud. Gelr. tractat.* 2. *cap.* 3. † Minus verò expeditum est, an is
quoque cavere teneatur qui in loco rei sitæ non quidem immobilia,
sed mobilia pretiosa possidet. Nam ob id quod utraque hæc æquo
jure censeantur *l. lex quæ* 22. *Cod. de administrat. tut.* non teneri hunc
sequutus Bart. & Jason. existimavit Petr. Costal. *in adversar. ad d. l.*
Sciendum. ff. Qui satisd. cog. Quod equidem moribus non convenerit,
tum quia praxis contrarium dictet, tum quod hujus art. textus planè
repugnet in verbis, *geervet of geguedet*, quæ ex communi usu, quem
sequi oporret, Nic. Everard. *in loco ab opinione vulgi*, de immobilium
possessore semper intelliguntur, nec aliter nisi coactè exaudiri pos-
sunt. Ut nihil dicatur, hujusmodi mobilium pretiosorum possesso-
rem fugæ suspicionem non semper vitare.
10 † Additur jam in textu, *ter plaetsen daer het goet daer in de in ofte wtlei-*
dung te geschieden versocht worde gelegen were. quasi ad dictum jam finem
immobilia quis possidere debeat in territorio aut jurisdictione, ubi
res per inductionem vindicanda sita est. Nam quæ extra limites illius
jurisdictionis habet non sufficiunt, etiamsi in eadem sint provincia,
ut

ut nec necessariò arctatur ad locum judicii. Ita quoque sentit & communem esse opinionem asserit Roderic. Suarez. *in declarat. leg. fori* 2. *de comperendinat. sect. Ulterius quæritur de quæstione. num.* 2. & consonat
1 usus fori nostri, † à quo tamen abit jus Ruremund. *part.* 3, *tit.* 2. §. 1, *art.* 37. *in fin.* dum tantùm sufficientem bonorum immobilium possessionem in dicta tetrarchia desiderat, adeòque ad locum territorii
2 vel jurisdictonis non adstringit. ‡ Denique sciendum est ex hoc ipso textu in hac reali actione tam actorem quàm reum satisdationis oneri subjici, ac proinde superfluum esse inquirere quomodo vel vetus vel novum jus circa materiam satisdationis in hoc articulo variaverit, de quo aliàs Doctores communiter *in princip. Institut. de satisdat.* qui, si opus, videndi, ut &, quem post hoc scriptum videre mihi contigit, Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 1. *constitut.* 5. circa quam pro hujus nostri articuli pleniori illustratione practicas aliquot adducit decisiones.

ART. 5.

Und sullen partyen van nu voortaen specificiren und wtdrucken die rechte und eigentlicke bepaelinge vant lant, daer op sy met inleidung voorhebbens syn te procediren, op datter by den Officier in d' executie niet geabusiert worde.

ART. 5.

Vindicaturi post hac Inductione rem aliquam immobilem veros & proprios ejus terminos exprimen ac designabunt, ne quà in executione error ab officiali committatur.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Incertitudo ubique improbata legislatoribus, quos hic sequuntur reformatores.*
2. *Adducuntur similia statuta itemque jus civile & canonicum.*

3. *Designatio confinium necessaria & quare,*
4. *Et quando hoc fallit.*
5. *Error ex incertitudine tardat effectum rei judicatæ.*

1 LEgislatoribus quàm maximè displicere ac improbari omnem incertitudinem cùm in contractibus & ultimis voluntatibus, tùm præcipuè in judiciis, convenientibus ad id allegat. pridem docuit Joan. Oldendorp. *de actionib. class.* 3. *act.* 2. *in practic. num.* 2. *vers. Porrò legislatoribus.* Ex quo optima ratione hic etiam præcipitur, ut rei,
2 in quam inductio petitur, specialiter exprimantur confinia. † Cui convenit jus Ruremund. tetrarch. *part* 3. *tit.* 2. §. 1. *art.* 37. Transisul. *part.* 1. *tit.* 8. §. 1. *l. Si in rem.* 6. *ff. de rei vindicat. cap. Significantibus.* 2.
3 *extr. de libel. oblat. gloss. in l. Forma ff. de censib.* † Omissis namque confinibus atque hinc rei incerta identitate existente corruit quod actum est *dict. cap. Significantibus. de libel. oblat.* & ex confinium diversitate res quoque præsumitur diversa, ut notatur *in l.* 2. *C. de error. advocat.*
4 † Quod tamen fallere, suadente æquitate, scias, si confinibus fortè omissis de iisdem nihilo minus ac corpore rei inter partes constiterit juxta Math. de Afflict. *decis.* 23. *num.* 2. *& in annotat. ibid. Cæs Vrsill.* Quo pertinet inprimis illud quod in textu dicitur, *op datter by den officier in d' executie niet geabusiert worde*, id est, *ne in executione ab officiali erretur.* Hoc si cessaverit meritò temperabitur prædicta limitatione hujus
5 articuli dispositio. † Aliàs prudentissimè cavent Reformatores, quia ejusmodi error multùm solet tardare effectum rei judicatæ, ne dicam in nihilum redigere habitis cognitionibus, ut est *in l. A Divo Pio.* 15. §. *Si rerum.* 4. *& ibi Bart. ff. de re judicat.*

Dat VIIII. Cap.	Caput VIIII.
Van Badinghe.	De Citatione

ART. 1.

ART. 1.

DEsen inganck van recht, te weten met badinghe, sal dienen wanneer d'een d'ander voor schade ende schuldt, die niet peinbaer is, aenspreecken wil.

ART. 1.

HIc juris ingressus, qui citatio, utilis erit, quando alter alterum ratione damni dati ac debiti, cujus nomine non competit pignoratio, convenire vult.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Cujus generis sit & quando concedatur citatio, quæ* Badung.
2. *Quare citatio hic dicatur species actionis,*
3. *Differentia juris civilis & consuetudinarii circa hanc,*
4. *Quomodo eadem de utroque participet.*

MOdus quoque procedendi, vel instituendæ actionis, quo in judicium contra aliquem itur moribus Velaviæ, est Citatio, quæ vulgò dicitur *Badinge*, ut *hic & supr. tit. 7.* † Estque ea species personalis actionis ac conceditur pro damno aut debito, cujus respectu non solet admitti pignoratio, vulgò *peindung*, contra eos qui cum petente aut agente sub eadem jurisdictione domicilium habent, *text. hic & Reformat. Zutphan. tit. 4. §. 1. leg. municipal. civitat. Zutphan. tit. 8. art. 1. leg. municipal civitat. Arnhem. art. 1. Transisulan. part. 1. tit. 4. §. 2.* Statut. Davent. *part 2. tit. 2. art. 2.* † Dixi autem citationem hanc, quæ *Bading* vulgò, esse speciem actionis, quia jus est persequendi in judicio quod sibi debetur, *princip. Institut. de actionib.* † In quo mores longè differunt à jure communi, utpote à cujus regulis hæc traditio omninò abhorreat, sitque potius Citatio omnium actionum instituendarum principium, quàm species aliqua actionis *§. omnium. Institut. de pœna temer. litigant.* Idcircò totum hoc quicquid est consuetudini debetur nec absurdè dici potest de utroque participare. † Quatenus enim actus est judicialis

cialis, quo, is quem judicio sisti opus est, judicis mandato in judicium vocatur juris experiundi causa, de quo, *h. t. §. 2. & seqq.* non malè habebitur solenne judicii sive actionis hujus instituendæ pręparatorium *l. 1. ff. de in jus vocand. & ibi Dd.* Quatenus verò persequitur id quod nobis debetur, vel ratione damni illati abest, *vulgò schade ende schult*, migrabit in nomen actionis.

ART. 2.

UNd wanneer men deser ghestalt yemant in recht betrecken wil, so salmen hem deur den gesworen peinder ten weinichsten drie geheele ofte volcomene dagen voor den aenstaenden gepublicierde recht-dach voor hoofts laeten baden, met vermeldung van de actie, daer om hy voorgebadet wordt, om sich daer op te bedencken ende gevat aen der Bancke te komen, ofte sooveern hem die peinder voor hoofts niet aen treffen kunde, sal de badung, indien hy binnen lants is, aen syne behuising ofte woonplaets geschieden.

ART. 2.

QUemcunque hoc modo in jus vocare volueris, eundē tribus integris minimùm diebus ante promulgationem juridici per juratum pignoratorem in personam citare curabis, addita actione ob quam citatur, quò deliberet ac præparatus ad tribunal accedat, & si coràm non reperitur nec tamen peregrè abest fiet citatio ad ejusdem domicilium.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Quomodo jus civile ab hoc art. variet.*
2. *Consonantes consuetudines.*
3. *Inutilis hic disputatio, an dies à quo & dies in quem pariter computandus sit.*

T*En weinichsten drie geheele ofte volcomene dagen &c.)* Quicunque hoc genere actionis impetitur integro spacio trium dierum ante constitu-

1 constitutum diem juridicum in jus vocari debet: † In quo jus civile variat. nam & tempus invenitur decem dierum, ut in *l. Per intervallum.* 69. *ff. de judic. l. Properandum.* 13. §. *Et si quidem.* 2. *C. eod.* item viginti dierum. *Novell.* 53. *cap. illud.* 3. & demum triginta. *No-*
2 *vell.* 112. *de litigios. cap. Omnem.* 3. † Sed huic textui consonant leg. tetrarch. Ruremund. *part* 5. *tit.* 7. §. 1. *art.* 4. municipal. civitat. Zutphan. *tit.* 8. *art.* 3. civitat. Arnhem. *art.* 1. *&* consuetud. Britan. *tit.* 1. *art.* 25. ubi Argentræus inquit, usu ferè tribunalium legales dila-
3 tiones esse mutatas. † Unde necesse est hodie vadimonium in tertium diem concipi, & propter hunc textum supervacua erit quæstio, an dies à quo & dies in quem pariter computetur, de qua longa Dd. disputatio in *l.* 1. *ff. Si quis cautionib. in judic. sistend. caus. fact.* Neque enim verba hæc, *ten weinichsten drie geheele ofte volcomene dagen voor den aenstaenden gepublicierden rechtsdach*, hoc admittunt neutrumque comprehendi indicant, ita ut absolutè dies tres sint integri. Quomodo etiam ad interpretationem *dict. Consuetud. Britan. art.* 25. *not.* 3. *num.* 2. arresto decisum notat modò citatus Bertrand. Argentræ. quem vide.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Causa ob quam in citatione exprimenda, quæ libellata tunc dicitur,*
2. *Quod contrariatur juri communi,*
3. *Et tamen convenit locus Ulpiani,*
4. *Ut & diversæ consuetudines quæ adducuntur,*
5. *Nec hinc dubitatur moribus an præsens in judicio sit citandus.*
6. *Removentur ea quæ obstare videntur.*

1 M*Et vermeldinge van de actie &c.)* ‡ In ipsa citatione exprimenda est causa ob quam quis citatur, eo scilicet fine ut citatus super ea deliberet ac instructus ad judicium veniat. Et hanc libellatam dici

 citatio-

citationem, quia vicem libelli sustinet, observavit Argentræ. ad consuetud. Britan. *tit.* 1. *art.* 23. *not.* 3. *num.* 2. item Petr. Rebuff. ad
2 constitut. *reg. tom.* 3. *tractat. de citat. art.* 3. *in gloss.* † Quod videtur contrariari juri communi, quo ad petitionem partis à judice ordinario citatus debitor, etsi nulla citationi sit inserta causa, comparere tenetur, ut docet Bart. *in extravag. ad reprimendum. in verbo, dicto cri-*
3 *mine*, quem sequitur Math. de Afflict. *decis* 294. *num.* 2. † Quamvis aliàs huic loco non absimile sit, quod inquit Ulpianus *in l.* 1. *ff. de edend. Qua quisque actione agere volet, eam edere debet. nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, edere actionem, ut proinde sciat reus, utrum cedere an contendere ultra debeat: et si contendendum putat, veniat instructus ad*
4 *agendum, cognita actione qua conveniatur.* † Convenit etiam consuetud. tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 7. §. 1. *art.* 4. leg. municipal. civitat. Arnhem. *art.* 1. & constitut. Francisc. 1. Regis Gall. *an.* 1539. quæ extat in corpore juris Gallici *lib.* 2. *tit.* 2. *l.* 4. §. 1. † Unde tribunalia
5 nostra non exercebit illa juris communis interpretum altercatio, an præsens in judicio adhuc dum citandus sit, an verò absque prævia citatione litem suscipere cogendus, de qua post Bart. & scribent. *in l.* 1. *ff. de in jus vocand.* Argentræ. ad consuetud. Britan. *tit.* 1. *art.* 23. *num.* 3. Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 103. *cum citat. ibid. in addit.* Nam ad hoc inseri jubetur causa, ut citatus prius deliberet & instructus accedat, quod sola fortuita præsentia præstari nequit. † Nec movet
6 in contrarium commune illud Doctorum pronunciatum, per præsentiam alicujus haberi finem & effectum citationis, quod meritò exagitat Argentræ. *dict. loc.* his verbis: *Non tantùm ad hoc reperta est citatio, ut quis adsit, sed ut defensiones comparet, instrumenta & advocationes conquirat & patrocinium instruat adversus paratum & spontaneum actorem. l. Ait. prætor §. ult. gloss. verbo, advocationes. l. Ab hostibus in fin. ff. Ex quib. caus. major. l.* 1. *C. de dilat. &c.*

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Sensus horum verborum.* 2. *Adducun-*

2. *Adducuntur quæ interpretationi serviunt,*
3. *Juri & generali consuetudini convenire asseritur.*
4. *Ordo hic præscriptus servandus.*
5. *Quæ cuique domus existimetur latius declaratur.*
6. *Quid si citandus plura habeat domicilia, ubi citari debeat?*
7. *An sufficiat aliquem citari in officina, taberna &c.*

O*Fte soo veern hem de peinder voor hoofts &c.)* † Huic conjungenda quæ paucis interjectis præcedunt, *voor hoofts laten baden*, ut sensus sit, in jus vocandum coràm vel (ut loquuntur) in persona aut facie esse citandum, & si copia ejus haberi non possit domum esse denunciandum, quomodo ferè loquitur Jurisc. *in l.* 1. §. 1. *ff. de agnoscend. & alend. liber. l. Dies.* 4. §. 5. *& 6. ff. de damn. infect.* † & faciunt ad interpretationem quæ tradidit Anton. Faber in Cod. Sabaud. *lib.* 2. *tit.* 2. *definit.* 1. leg municipal. Zutphan. & Arnhem. *dict. loc.* Statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 2. *art.* 3. ac modò citata constitutio Francisci I. Gall. Regis. † Atque hoc juri & generali consuetudini convenire multis ad hoc allegat. dudum probarunt Rebuff. ad constitut. reg. *tom.* 3. *tractat. de citat. art.* 2. *gloss.* 1. *num.* 2. & Boer. ad consuetud. Bituricens. *tit.* 2. *art.* 19. ‡ Et omninò servandus est ordo qui hic præscribitur, ut primò omnium coràm, *voor hoofts*, & si hoc non concedatur, tum demum in domicilio, *aen syne behuisinge* citetur, neque arbitrii erit utrumlibet facere, uti etiam post Bartol. declarat Rebuff *dict. loc. gloss.* 3. *num.* 1. *&* 2. ‡ *Domum verò unicuique nostrum debere existimari* (inquit Alfenus *in l.* 203. *ff. de verb. Significat.*) *ubi quisque sedes & tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset.* Nec interest utrum quis inhabitet propriam an alienam, sive conductam, precariam, vel gratuitam, modò concurrat illud præcitati Jurisc. *l. lex Cornelia.* 5. §. *Domum.* 2. *ff. de injur. l. Qui domum* 8. *in fin. l. Nec in ea.* 22. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* Forner *ad dict. l.* 203. *ff. de verb. Significat.* Rebuff. *dict. loc. gloss.* 3. *num.* 5. & eleganter complectitur textus noster in verbis: *aen syne behuisinge ofte woonplaetse*, *in domo aut*

habitatione, cui propriè convenit illud Ulpiani *in l.* 1. §. 2. *ff. de aleator. Domum autem*, inquit, *pro habitatione & domicilio nos accipere debere*
6 *certum est.* † Si porrò citandus plura habeat domicilia ibi citari debet ubi tempore citationis cum familia degit, uti per text. suprà passim allegat. post Bart. Angel. Bertach. & Ferrar. definit aliquoties citatus Rebuff. *dict. art.* 2. *gloss.* 3. *num.* 22. Anton. Faber *in Cod. Sabaud. dict.*
7 *definit.* 1. *in allegat. num.* 1. † Sed quæritur, an sufficiat quem in officina, statione vel taberna citari? Et magis est, si ibi non inveniatur, nequaquam sufficere, quia textus de domo aut habitatione tantùm loquitur, per *l. Fulcinius* 7. §. 13. *vers denique. ff. Quib. ex caus. in possess. eat.* nisi fortè, ut plerumque fit, eadem officina habitationi conjungatur ac proinde ibidem dici possit habitare, latè per plures allegat. Rebuff *dict. loc. num.* 14. 15. 16. 17. & 18. quem vide, qui & *num.* 8. *ibid.* rationem adfert quare citando non invento domum denuncietur.

ART. 3.

ITem die genige die alsoo als voorss. aen der Bancke gebadet wort, die sal ter eerste badung aen den Gericht erschienen, of hy sal vellich gewonnen worden, ten were saeck, dat hy sich dede vernootsinnigen, soo moghelick.

ART. 3.

EO quo dictum est modo ad tribunal citatus, prima quaque citatione in judicio comparebit, vel in contumaciam condemnabitur, nisi, quatenus fieri possit, justas excusationes sive exonia adduxerit.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Non comparentes causa cadere moribus Gelriæ ad exemplum juris Saxonici,*
2. *Quod juri civili per omnia non congruit.*
3. *Contumax hic ex forma statuti pro confesso habetur,*
4. *Qui tamen non condemnandus sed absolvendus si apparet eum non debere, & quare,*

5. Con-

5. *Contrarium alicubi in Gelria ac ejus parte Velavia inprimis servatur, contra id tamen quod olim ab Ordinum delegatis judicatum fertur.*
6. *Unica tantùm citatio, de qua hic, abit à jure communi & multorum judiciorum consuetudine.*
7. *Haud sufficit citatum emansisse, nisi ejus contumacia accusetur.*
8. *Neutro litigantium comparente denuò citatur reus.*

ITem die genige &c.) ‡ Quicunque post primam citationem in judicio non comparuerit causa cadet. Hoc ferè est quod dicit Jurisc. *in l. 53. ff. de re judicat. Contumacia eorum qui jus dicenti non obtemperant litis damno coercetur.* Quod usu ac consuetudine totius penè Gelriæ obtineri aliquoties observatum est, ad exemplum scilicet juris Saxonici, de quo cùm alii tum Hartman. Pistor. *Quæstion. juris lib. 1. quæst. 3. num. 2.* & Math. Coler. *part. 1. decis. 104. num 11. & 12.* ‡ Dixi autem ferè convenire illud modò citati jurisc. quia aliàs constat de jure civili non omninò causa cadere contumacem per text. *in l. Properandum. §. & siquidem cum seq. C. de judic.* Hartman. Pistor. *dict. quæst. 3. num. 1. cum addit. ibid.* ‡ Admittitur igitur actor hoc casu ad pignorandum mobilia, vulgò, *peindung aen die gerede goederen*, qui modus est exequendi contra eum qui convictus est *tit. 19. §. 4. infr.* haberturque ex forma statuti vel consuetudinis ejusmodi contumax pro confesso, sicuti de moribus etiam Gallorum testatur Boer. *ad consuetud. Bituricens. tit. 2. §. 18. gloss. 1. vers. Nam licet.* ‡ Quod si tamen apparet contumacem non debere, non videtur ille absens condemnandus, sed potius ex causæ meritis absolvendus, cum absentia ejus Dei præsentia, quo ad conservandum id quod jure competit, suppleatur *d. l. Properandum. 13. §. 4. vers. Cum enim. C. de judic.* Petr. Rat. *ad consuetudines. Pictavens. art. 396.* Boer. *ad consuetud. Bituricens. dict. loc.* ubi complures præter Bald. & Bart. in hanc sententiam citat, adde Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 3. tractat. de contumac. art. 9. in gloss. num. 1. & 2.* Atque hoc est quod Galli dicunt, *il faut justifier sa*

 demande

5 *demande, & la seule contumace ne donne pas gain de cause.* † Quod etsi
in nonnullis Gelriæ partibus, ac inprimis in suprema ejusdem Curia
rectissimè servetur: magis tamen in quibusdam judiciis ac nomi-
natim in agro Velavico optare, quàm asserere ausim; cum extent
alicubi exempla, quibus simpliciter causa ceciderint ii qui justas ab-
sentiæ vel emansionis causas adferre non poterant. Durum equidem
& in quo reformatione opus, imò contra mentem Ordinum Gel-
riæ, uti indicio est sententia in comitiis Noviomagensibus lata *an.*
1538. inter Marcellum de Beest & Theodorum de Haeften, ubi actor
post obtentam contumaciam petitionem suam justificare, quod di-
cunt, jubetur, in verbis: *Ende in geval dan bevonden wort sulx per con-*
tumaciam geschiet te syn, soo sal Derric voorss. gehalden syn syne eerste aen-
6 *spraecke voor de selve bancke te verificiren.* † Pugnat præterea hic textus,
quo ad unicam prædictam citationem, cum jure communi ac gene-
rali quadam multorum judiciorum consuetudine, quibus exigi solent
tria edicta citatoria vel unicum pro omnibus peremptorium, sive,
quod moribus magis consonat, tres diversæ citationes distinctis in-
tervallis quatuordecim dierum reiteratæ. De quo brevitatis gratia
remitto ad Marant. *Spec. aur. part. 6. de contumac. secund. memb. judic.*
Damhouder. *prax. civil. cap.* 78 *& ibi not. Tulden.* Reformat. Zutphan.
tit. 4. §. 2. leg. municipal. urbis Zutphan. *tit.* 8. §. 4. Ord. procedend.
urb. Noviomag. *art.* 6. & quo ad jus Saxon. Hartman. Pistor. *d. quæst.*
7 *num.* 3. & Math. Coler. *d. decis.* 104. *num* 11. *&* 12. † Neque verò so-
lùm suffecerit citatum emansisse, sed necesse est ut ejus quoque con-
tumacia à citante accusetur, quia non solet judex officium suum im-
pertiri nisi ad hoc imploratus *l.* 4. §. *hoc autem judicium. ff. de damno*
infecto & est text. *in d. l. Properandum.* 13. §. *Et si quidem* 2. *C. de judic.*
Marant. *dict. loc. num.* 1. *vers. item debet.* Jacob. Schultes *in addit. ad*
dict. decis. 104. *Math. Coler. num.* 27. *&* 28. Rebuff. *ad constitut. reg.*
8 *tom.* 3. *tractat de contumac. art.* 1. *gloss. un. num.* 2. † Et si neuter liti-
gantium comparet denuò citandus est reus, ac quasi nunquam actum
foret de novo instauranda lis ab actore Dd. *in l. Consentaneum. & au-*
thent.

ebent. Qui semel. C. Quomodo & quando jud. sentent. proferr. Rebuff. *ad constitut. reg. dict. tractat. de contumac. in præfat. num.* 2. Anton. Fab. *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 1. *definit* 30. Cacheran. *decis Pedemont.* 3. *num.* 4.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Contumacem tum demum causa cadere, quando nullas absentiæ justas causas adfert.*
2. *Cui simile jus Saxonicum.*
3. *Ratio ejus redditur.*
4. *Nulla erit sententia si justa absentiæ causa non attenditur.*
5. *Excusatio absentiæ quæ sit.*
6. *Tam ore quàm litteris fit excusatio, per nuncium tamen, si fieri possit.*
7. *An hujusmodi nuncius vel excusator mandato indigeat?*

1 T*En were saeck &c.)* ‡ Hæc præcedentibus ita cohærent, ut citatus non comparens tum demum propter contumaciam causa cadat, si nullas absentiæ suæ justas causas adferre curet, quod hic dicitur, *vernootsinnigen*, de quo vocabulo pluribus postea. Gallis idem est, *s' il ny a cause raisonnable &c.*
2 ‡ Et consonat jus Saxonicum, de quo Hartman. Pistor. *quæst. jur. lib.* 1. *quæst.* 3. *num.* 13. Math. Coler. *dict. part.* 1. *decis.* 104. *num.* 13. quibus adde novissimè complurib. citat. Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon part.* 1. *constitut.* 9. *definit.* 3. 4.
3 5. *& 6.* † Valde enim foret iniquum ac præter omnem juris rationem, condemnari eum qui necessaria aliqua de causa impeditus legitimè excusatur *l. Contumacia.* 53. §. 2. *&* 3. *ff. de re judicat. l. cum non* 10. *C. Quomod. & quand. jud. sentent. profer. deb.* † Adeò quidem ut si judex
4 nulla ejus habita ratione ulterius procedat sententiamque ferat eadem ipso jure nulla habeatur *l. Quæsitum* 60. *ff. de re judicat. ubi Bart. l. Ea quæ.* 7. *C. quomodo & quando judex &c.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat.*

5 *tractat. de excusat. num 21. & 22.* † qui & *eod. tractat. num. 5.* commodè
ad hunc textum dicit, excusationem esse alicujus justæ causæ allega-
tionem, ob quam impeditus vocatus à superiore venire non tenetur.
6 *l. 1. & gloss. in rubr. C. de excusat. mun. lib. 10.* † Sive autem literis sive
ore tenus per excusatorem, quem Budæus *in forensib.* nuncium cau-
sarium appellat, cujusque descriptio apud Rebuff *dict. loc. num. 9, &*
10. fiat, perinde est, modò ejus gratia specialiter ablegetur, si scilicet
fieri possit, ut indicant verba textus, *soo mogelick.* Nam ad id quod
impossibile est neminem teneri natura notius est, quàm ut quæsitis
rationibus aut juris allegationibus indigeat. Facit huc eleganter
text. *in l. cum à matribus 8. C. Qui pet. tut. vel curat.* & quod post alios
notat Rebuff. *d. loc. num. 23.* Paul. Montan. *tractat. de jure tutel. cap.*
7 *32. reg. 2. num. 50. cum sequentib.* † Sed dubitari possit, an ejusmodi
excusator mandato indigeat? In quo æquius putò non indigere,
dummodò specialiter ad hoc mittatur, cum non rarò contingat, ut
excusandus penitus impediatur mandatum aliquod judiciale expedire,
quale tamen mores nostri plerumque exigunt. Atque hæc est com-
munis opinio juxta Socin. *in C. veniens. de accusat. in 2. quæst.* quò
inclinat Rebuff. *ad constitut. reg. d. tractat. de excusat. num. 24. vers.*
Tamen sufficit.

ART. 4.

WElcke nootsinninge by ten naesten gehalden sal syn te bewysen tot erkenteniße des Gerichts, ende als dan antwoort te geven, of sal anders der aenspraecke vellich syn.

ART. 4.

QUæ exonia proximo die juridico probabit, quatenus judicio æquum visum fuerit, ac tum demum respondebit, nisi in id quod petitur condemnari velit.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Probandæ etiamsunt causæ absentiæ.*
2. *Consonat jus Saxonicum.*

3. *Dicta*

3. *Dicta probatio arbitrio judicis fit nec præcisè testibus aut instrumentis adstringitur.*
4. *Congruit cum hoc art. opinio Menoch.*
5. *Item statutum tetrarch. Ruremund.*

W*Elcke nootsinninge &c.)* † Non sufficit absentiæ causas allegasse aut proposuisse, nisi quis postea in proximo juridico easdem legitimè probaverit, consonat text. *in l. In exceptionibus.* 19. §. 1. *in fin. ff. de probat.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat. de excusat. num.* 67. † Similiterque statuit jus Saxonicum de quo Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 1. *constitut.* 9. *def.* 10. † Et signanter inquit textus, *tot erkenteniße des Gerichts*, quatenus judicantium arbitrio stabitur quænam hic legitima sit censenda probatio. Unde cessabit conflictus opinionum, quarum aliæ ad probandum legitimum impedimentum omninò exigunt testes aut instrumenta, aliæ rursum ipsius impediti committunt juramento, de quibus latè Menoch. *de arbitrar. judic. quest. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 118. *num.* 1. & 2. † Ubi etiam *num.* 3. post mult. citat. eandem cum Reformatoribus hujus consuetudinis amplectitur sententiam, dicendo, hanc probationem arbitrio judicis fieri, qui rectè ac diligenter considerabit personæ, loci ac facti qualitatem, & interdum plenam requiret probationem, aliquando semiplenam, aliquando solùm juramentum probationis loco. † Hoc videntur quodammodo sequuti compilatores legum tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 7. §. 2. *art.* 12. & 13.

ART. 5.

U*Nd werden voor rechte nootsinnen gheholden, Lijfs noot, Waters noot, Heeren gebot.*

ART. 5.

ET censentur justa exonia: vitæ periculum, aquarum magnitudo, præceptum superioris.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Quid significent vocabula* Nootsinnen & Ver-

nootsinnigen, *ubi locus ex capitul. Caroli Magni.*
2. Nootsunnen *legitima impedimenta &c.*
3. *Quid Saxonibus* ehehaften.

1 QUæ sint justæ impedimenti causæ hic articulus exequitur. † Quas antequam prosequamur præmittere operæ pretium existimo quid sibi velit vocabulum *Nootsinnen*, item *vernootsinnigen*, de quo tum hic tum in duobus præcedentibus articulis. Indicavit olim mihi bon. memor. parens meus Martinus Goris, Gelriæ, dum viveret, Cancellarius, sibi magis legendum videri *Nootsunnen* per *u*, quàm *Nootsinnen*, citabatque tum ex capitular. Carol. Magn. *lib.* 3. *cap.* 45. ubi dicitur: *Si quis ad mallum legibus manitus fuerit & non venerit, si eum Sunnis non detinuerit* XV. *solid. culp. judicetur. Vet. gloss.* (inquit ibi Petr. Pitheus in Glossario) *Sunnis, impeditio, Sonnis, impedimentum. Alamannis, Saumnuz. nobis, esoine, exonia. Hincmar. Karolo Regi: Quo mittens ad dominationem vestram excusationem impossibilitatis illuc veniendi, requisita est, quam patriotica lingua nominamus exonia, quia venire nequiverit, quod hactenus est inauditum*. Addo ego Marculf. Monach. *lib.* 1. *form.* 37. ubi inquit: *ipse nec venisset ad placitum, nec ulla sunnia nunciasset*, & not. ibid. Hieronym. Bignon. qui præter alia adducit leg. Sal. *tit.* 1. *leg.* Ribuar.
2 *tit.* 34. † Ex quo *Nootsunnen* hoc loco erunt legitima impedimenta, justæ excusationis causæ, exonia, item causæ sonticæ, unde etiam Sunnis originem petere mavult Hieron. Bignon. *dict. loc.* & *Nootsunnigen* vel si mavis *Nootsinnigen*, excusare, impedimentum legitimum alle-
3 gare, exoniare. † Saxonibus idem sonat, *Ehehaften, ehehaftenoth, echtennoth*, & vulgatum apud illos est condemnari in *ehehaft*, id est, ad docendum legitimum impedimentum, post alios latè Wehner. *in practic. observat. verb. Ehehaften.* & Besold. *thesaur. practic. eod. verb.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Justas impedimenti causas tres esse jure Velav.*
2. *Consuetud. consonantes.*

3. Sta-

3. *Statutum tetrarch. Ruremund. propius ad jus commune.*
4. *Apud Saxones quatuor causæ justi impedimenti & quæ,*
5. *Quibus tamen positis cateræ legitimæ ibidem non excluduntur, cui accedit Ruremund & Transisul.*
6. *Moribus Velaviæ non convenit, & unde jactetur Gelrica contumacia.*
7. *Quænam ad primum justæ excusationis impedimentum, quod* lijfsnoot, *referri debeant.*
8. *Sub adversa valetudine nec febriculam nec veterem quartanam contineri.*
9. *Neque ad hoc primum pertinet infirmitas suorum.*
10. *Recensentur alia plura ad hoc genus impedimenti pertinentia.*
11. *Adjicitur & inimicitia capitalis.*
12. *Ad secundum justæ excusationis impedimentum, quod* Watersnoot, *quæ referenda:*
13. *Quorum omnium datur aliquod temperamentum,*
14. *Additur impedimentum nivium.*
15. *Ad tertium impedimentum justæ excusationis, quod* heeren ghebodt, *quæ referenda,*
16. *Eadem similiter temperantur.*
17. *Enumeratis exemplis similia aliquando posse addere arbitrium judicantium.*

1 ‡SUnt autem justæ impedimenti causæ, quibus quis à contumacia excusatur, in hoc textu omninò tres, veluti *lyfsnoot*, id est, *corporis discrimen vel periculum: watersnoot*, id est, *aquarum magnitudo:* & deni-
2 que *heeren gebodt*, id est, *jussus superioris.* † Cui conveniunt Reformat.
3 Zutphan. *tit.* 8. §. 1. leg. municipal. civitat. Zutphan. *tit.* 8. §. 6. † Aliquantò largius & propius ad præscriptum juris communis leg. tetrarch. Ruremund. *part* 5. *tit.* 7. §. 2. *art.* 14. & 15. Transisulan. *part.*
4 1. *tit.* 12. §. 9. † Apud Saxones verò quatuor enumerantur, quales sunt, captivitas, adversa valetudo, peregrinatio, & expeditio publica:

blica : lingua illorum vernacula , *Gefängnuß*, *Leibes kranckheit*, *Walfar-*
te außer landes, *Heeren dienst oder Reichsdienst* Landtr. *lib.* 2. *art* 7. Math.
Wehner. & Besold. *suprà citat.* Jacob. Schultes *in addit. ad decis.* 104.
Math. Coler. *num.* 33. & id. Coler. *de processib. executiv. part.* 1. *cap.*
2. *num* 16. novissimè post hos Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon.*
5 *part.* 1. *constitut.* 9. *definit.* 7. † Quorum tamen ea est sententia, ut po-
sito quadruplici hoc genere impedimentorum , nolint in foro Saxo-
nico excludi cætera æquè legitima, quamvis nec expressa nec sub iis-
dem propriè comprehensa : quibus cum facit jus Ruremund. & Tran-
sisulan. *loc. jam citat.* Indignum quippe esse , ut quis propter absenti-
am non dolosam , cum bonam causam habeat , quamvis non omninò
extra culpam sit , eandem amittat, dictante præsertim juris ratione,
subveniri ei qui non voluntate sed necessitate aliqua abfuit *l. Sed etsi.*
26. *in fin. ff. Ex quib. caus. major. l. Cum non voluntatis.* 10. *C. Quomod.*
6 *& quand. jud. sentent. profer. deb.* Jacob. Scultes *dict. loc. num.* 34. † Quod
equidem moribus Velaviæ servari quoque debere magis ipse judico,
quàm aliis persuaderi posse confido, utpote quod nisi tres suprà me-
moratas justæ excusationis causas , & quæ sub iis rectè intelligi que-
unt, juxta antiquum juris Gelrici rigorem admittere soleant. Un-
de in proverbium abiisse Gelricam contumaciam verisimile habeo.
7 † Superest igitur ut videamus quid de illis ipsis statuendum sit & qua-
tenus quod jure proditum est subservire queat. Et quidem ad pri-
mum justæ excusationis impedimentum , nostro idiomate , *lyfsnoot*,
quod interpretatus sum, periculum sive discrimen corporis , referri
posse puto quod tradit Ulpianus *in l. Non exigimus.* 2. §. 3. 4. & 5. *ff.*
Si quis cautionib. in judic. sistend. &c. junct. l. Contumacia. 53. §. 2. & *l.*
Quæsitum 60. *ff. de re judicat.* Videlicet furorem , adversam valetudi-
nem , sub qua & furor comprehenditur : mulierem à multis men-
sibus gravidam , eamque quæ paulò antè peperit , disertè Marant.
Spec. aur. sive prax. part. 6. *de contumac. num.* 2. Rebuff. *ad constitut. reg.*
8 *tom.* 3. *tractat. de excusat num.* 30. 41. & 42. † Sed dum adversam
valetudinem dicimus excipitur levis febricula , vel vetus quartana
9 *d. l. quæsitum.* † Nec, quod juris communis interpretibus placuit,
com-

commodè hoc numero censebitur infirmitas suorum, quia textus hic solùm loquitur de proprii non alterius corporis discrimine. quod similiter cæteris contrarius sentit Damhouder. *in practic. Criminal.*
10 *cap.* 25. *num.* 18. † Captivitas quoque, quamvis eadem ad præceptum sive jussum superioris pertinere possit, bellum metusve hostium, nisi alio itinere pergere aut liberi transitus literas habere possit, item pestilentia, si qua multùm grassatur, cum in his non minimum corporis vel vitæ periculum aditur, eòdem referentur. Videndi ad hoc, præter alios, Boer. *ad consuetud. Bituricens. tit.* 2. §. 18. *gloß.* 2. *junct. ejusdem decis.* 41. Andr. Gail. 1. *obs.* 52. *num.* 11. Rebuff. *ad con-*
11 *stitut. reg. dict. loc. num.* 34. 35. 36. *&* 37. † Quid de inimicitia capitali? Et quia ab ea periculum corporis imminere potest, non sine ratione sub hoc primo capite comprehendetur. Faciunt notat. per Math. de Afflict. *decis.* 289. *num.* 19. *cum addit. ibid. Cas. Vrsilli num.* 20. 21. 22. 23. 24. 25. *&* 26.

12 † Alterum justæ excusationis impedimentum est, *Waters noot*, quod interpretatus sum aquarum magnitudinem. Quò refero *d. l. Non exigimus.* 2. §. 3. 6. 7. *&* 8. *ff. Si quis cautionib. in judic. sistend. &c.* Quando scilicet tempestas sive maritima sive terrestris: vis fluminis, etiam sine tempestate, ex quo vel pons solutus sit vel navigium non stet: item si flumen ita abundans, ut impleat omnem locum in quo
13 sisti oportet, aliquem venire prohibuerit. † Ita tamen ut citato nihil nec negligentiæ nec alterius culpæ imputari queat, de quo jurisconsultus causa cognita statuendum esse dicit *d. l.* 2. §. 8. Boer. *dict. decis.* 41. *num.* 4. *&* 5. Rebuff. *dict. loc. num.* 45. *&* 47. addens ibidem
14 post alios *num.* 46. impedimentum nivium. † Quod prætereundum non existimo, cum certum sit tantam vim nivium aliquando in Velavia decidisse ut viatorem suffocaverit.

15 † Tertium est, *heeren gebodt*, jussus sive mandatum superioris. Ut si quis municipalis muneris causa impeditus, Reipublicæ causa absens, vel à magistratu retentus est, & quidem sine dolo ipsius malo, item si rei capitalis antè condemnatus judici se sistere non potuit, quod fidejussoribus sistendi causa datis solùm utile erit, vel etiam ipsi ci-

tato, si forte in exilium salva civitate missus sit *dict. l. Non exigimus 2. §. 1. & 9. & l. 4. princip. ff. si quis cautionib. in judic. &c. l. Absentia. 140. ff. de reg. jur. junct. l. 1. ff. Ex quib. caus. majores. &c.* Rebuff. *ad constitut. reg. dict. loc. num.* 38. & 43. Boer. *ad consuetud. Bituricens. loc. supr. citat.*

16 ‡ Sed cum omne (ut cum poëta loquar) sub regno graviore regnum sit, ipsos humanarum rerum (quæ verba sunt Augustini *in c. Qui resistit.* 11. *q.* 3.) gradus hic adverte: si aliquid jusserit curator, faciendum: non tamen si contra proconsul jubeat: aut si consul aliquid jubeat, & aliud imperator. non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire: nec hinc debet minor irasci si major prælatus est. Et hactenus huic articulo declarando ostensum est quatenus à jure communi & ejusdem interpretibus tradita respondeant tribus modò relatis juris Velavici exoniis sive legitimis impedimentis, vulgò *Nootsinnen*, quibus quis à contumacia excusari solet. Idque ea potissimùm de causa ut juniores in promptu habeant quò casu eveniente recurrendum sit.

17 ‡ Cæterùm præmemoratis exemplis non adeò inhærendum puto, ut nulla alia simili ratione eòdem referri possint ac arbitrio judicantium aliquando suppleri debeant, quod in hac materia inprimis dominari convenit, juxta tradita à Rebuff. *ad dict. constitut. reg. dict. loc. num.* 50. Jacob. Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 153.

Dat X. Cap.	Caput X.
Van Besatinghe.	De manus injectione sive arrestatione.

Ad rubricam.

SUMMARIA.

1. *Synonima vocis* Besaet,
2. *Quomodo appelletur Germanis.*

3. *Manus injectio.*
4. *Arrestum nostrum simile ritui veterum de in jus vocando,*
5. *Remittitur ad tractatum Peckii de arresto, ubi ejusdem definitio,*
6. *Adferuntur alii de eadem materia tractantes.*



† FOri nostri usu vulgatissimo synonima sunt *Besaetinge, Besaet*, *Besettinge*, *Arrest*, *Bekummeringe*, item *Commerrecht*. Ideòque rectè in legibus tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. in rubrica ejusdem tit. conjunguntur *van Commer, beset ofte arrest recht.* † Germanis superioribus, *arrest, kummer, zuslach, verbot*, post Gail. & al. Paul Math. Wehner *practic. observat. lit. A.* ‡ Veteribus autem jurisconsultis manus injectio, quod ex Servio Grammatico notavit Budæus *ad l. ult. ff. de senatorib.* quem passim
4 alii sunt sequuti. † Quo eleganter respexit Petr. Gudelin. *tractat. de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 5. dum inquit, *Similitudinem qnandam cum vocandi in jus ritu vetusto (quando scilicet advocatis testibus ducere, trahere, imò manu injecta in jus rapere adversarium licebat) habere, quod moribus nostris comparatum est, videlicet ut peregrinos debitores nostros, remve eorum possimus per apparitorem curare prehendi, nec non detineri, donec illi judicio, ubi reperiuntur, sisti caverint, imò etiam* (ut idem addit) *judicatum solvi*,
5 quod similiter exprimitur *art.* 10. *h. tit.* † De quo injiciendi manum sive sistendi & arrestandi jure omnium plenissimè tractavit Petr. Peckius, qui tractatus sui *cap.* 1. *num.* 4. illud appellat *impedimentum sive interdictum, ne res aut persona loco aut statu suo moveatur* ac mox definit, *quod sit cum alicui à magistratu interdicitur, ne excedat ex eo loco, in quo inventus est, nisi rebus cum eo compositis qui de illo apud judicem questus est:* vel etiam *cum res alicujus quacunque ex causa pro securitate nostra, autoritate publica detinetur, ita ut nobis invitis ex loco illo, negotio nondum*
6 *sopito, auferri non possit.* † Atque huc usque Peckius cui pro hujus tituli declaratione addendi Andr. Gail. *tractat. de arrest. imperii*, Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de liter. obligat. art.* 6. *gloss.* 3. Berlich. *practic. conclus. part.* 1. *conclus* 74. & 75. qui complures alios citat.

ART. 1.

Alle die gene die in Veluwe und Veluwen-soom woonachtich syn, en mogen des anderen persone, noch gerede guederen, voor schade ende schult niet besetten, dan moeten den anderen aenspreecken ter Bancke daerse geseten syn.

ART. 1.

Quicunque in Velavia ac ora Velaviæ habitant nec suas invicem personas nec earundem bona mobilia ratione damni dati & debiti sistere queunt, sed alter alterum convenire tenetur apud tribunal sub quo degunt.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Arresta ut odiosa non extendenda.*
2. *Consuetud. huic art. consonantes, ubi de privileg. aureæ Bullæ Brabantis concesso in Gelria non admisso.*
3. *Cessat hujus art. dispositio in debitore fugitivo.*
4. *Singularis consuetudo Noviomag. qua impetratur arrestum in bona ejus qui non solvendo moritur, ejusque effectus.*
5. *Citantes tamen anteriores judicando ibidem prælati sunt posterioribus arrestantibus.*
6. *An civis cum mercimoniis castra sequens eoque nomine ibi contrahens concivem ejusdem urbis arrestare queat.*

1 † Arrestationes sive manuum injectiones pugnare cum jure communi ac sua natura esse odiosas nec idcircò extendendas aut temerè admittendas pridem tradidere Dd. *arg. t. t. C. de probib. sequestrat. pecun. l. ult. C. de execut. rei judic. l. 9. C. de obligat. & act.* Peck. *tractat. de jure sistendi cap. 2. num. 5. & 7.* Hieron. Schurf. *cent. 3. consil. 15.* Unde hoc loco rectissimè constituitur, incolis Velaviæ non permitti, ut alter alterum ejusve bona mobilia, ratione damni illati aut debiti

debiti contracti arrestare aut sistere faciat. † Cui convenit jus municipale urbis Noviomag. *art.* 9. Zutphan. *tit.* 9. *art.* 1. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. §. 1. *art.* 7. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 5. §. 1. statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 1. *art.* 1. consuetud. Mechlin. *tit* 5. *art.* 11. ac denique jus speciale Ducatui Brabantiæ à Carolo quarto Imp. quondam concessum Peck. *dict. tractat. cap.* 8. de quo notandum, quod Brabantis nullo modo in Ducatu Gelriæ & comitatu Zutphaniæ prosit, uti apud consilium status provinciarum Belgicarum sustinuere Delegati ordinum Gelriæ contra curiam Brabantiæ *an.* 1576. † Credo tamen cessare hujus articuli dispositionem in debitore fugitivo, sicuti nominatim exprimitur in suprà citatis consuetudinibus & legibus municipalibus. Neque enim talis gaudere solet privilegiis à jure aut consuetudine concessis, uti abundè ostendit Peckius *dict. cap.* 8. *num.* 7. quò remitto. † Singulare autem est in urbe Noviomagensi, quod, dum quis non solvendo moritur, in bona ejus hereditaria impetrari soleat arrestum. Cujus effectus est ut tacitam inducat hypothecam ac post anteriores hypothecarios & privilegiatos creditores jus prælationis operetur, quomodo generaliter de arresto consuetudinario Saxoniæ tradidit Math. Wesenbec. *paratit. ff. de privileg. creditor. num.* 9. quem sequitur Math. Coler. *de process. execut. part.* 1 *cap.* 2. *num.* 162. adde Peck *dict. tractat. cap.* 35. *num.* 5. † quamvis ab ejusdem urbis Scabinis anteriores citantes prælatos aliquando memini posterioribus arrestantibus, lata sententia inter *Wilhelmum Lepin actorem & pupillos defuncti Arnoldi Worms ejusque alios creditores reos an.* 1622. 1. *februar.* quam postea in simili casu sequutus est ejusdem urbis Senatus 11. *octobr. an.* 1643. à quo non abit statutum civitatis Lubecensis *lib.* 5. *tit.* 12. *art.* 8. † Quid autem sentias de lixis, suffarraneis & cauponibus militaribus, si fortè in castris de suis mercimoniis cum concive contrahentes eundem hoc respectu sistere curent, an non videntur peccare in prædictum statutum, prohibens ne civis civem ejusdem urbis alibi arrestare faciat? Et non videri, me referente, in certa facti specie *an.* 1643. judicavit Senatus Noviomagensis *arg. art* 80. *leg. militar.*

Ordin. general. confœderati Belgii. l. ult. C. de jurisd. omnium judic. l. viros. 12. *C. lib.* 12. *de palatin. sacrar. largit.* & facit Marant. *Spec. aur. part.* 4. *distinct. judic.* 9. *num.* 82. *&* 83.

ART. 2.

WAnneer yemant eenich gereet goet wil laeten besettten, die sal sulcken besaet maer een reis derven doen laeten, eñ sal daer van binnen verthien dagen, nae date van dien eene scriftelicke weete doen verveerdigen, ende die syne wederpartye door eenen gesworen (die daer van syne gichte sal doen) ten handen laeten stellen, welcke weder partye binnen gelycke veertien dagen, nae ontfanck des weetbriefs, daer tegens ontsaet sal doen, ende syn goet verburgen, alsoo veern hy binnen lants, te weten in desen Furstendumb ende Graeffschap were, Andersins sal de tyt verlengt ende gestelt worden op ses weecken, ofte alsoo dat hem doenlick sy daer en tusschen by der handt te komen ende syn recht waer te neemen.

ART. 2.

QUandocunque quis rem aliquam mobilem sistere vult, unica arresti interpositione defungetur, ac mox intra quatuordecim dierum spacium adversario suo per nuncium juratum, cui de hoc relatio incumbit, scripto significabit. Qui quidem adversarius post acceptam significationem pari dierum spacio prædicto arresto intercedet ac rem suam sub cautione tollet, modò in ipsa provincia, hoc est, in hoc Ducatu ac Comitatu sit: Sin secus, prorogabitur tempus ad sex hebdomades, aut eousque donec accedere jurisque sui rationem habere queat.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Forma interponendi arresti, ubi consuetud. consonantes,*
2. *Eadem forma omninò servanda, ubi rationes.*
3. *Repetitio arresti, quæ olim hic & jure Saxonico, non necessaria.*
4. *Similis abrogatio juris veteris in urbe Noviomag. ubi illustratur.*

For-

FOrma interponendi arresti hoc loco traditur, cui convenit Reformat. Zutphan. *tit.* 4. §. 3. leg. municipal. urbis Zutphan. *tit.* 9. §. 3. & partim ord. procedend. Noviomag. *art.* 13. † Ne autem suo effectu destituatur arrestatio oportet singula, quæ hic pro formæ constitutione exiguntur, intervenire, quia ea non accidentalis sed substantialis censenda, qua non observata actum omnẽ corruere necessè est *l. cum hi.* 8. §. *Si prætor.* 17. *ff. de transact. authent. Hoc jus porrectum. C. de Sacrosanct. eccles. cum aliis vulgat.* Gail. 1. *obs.* 124. *&* 2. *obs.* 19. *num.* 15. 16. *&* 17. † Nec absque causa est, quod Reformatores innuunt semel tantùm arrestandum esse, cum credibile sit antehac repetitum aliquoties arrestationis actum usu obtinuisse, ad exemplum scilicet juris Saxonici, quo hujusmodi repetitio tribus juridicis quatuordecim dierum terminis præscribi solet ac in tertio demum termino libellus judici porrigi, *Lantr. lib.* 1. *art.* 70 post alios Andr. Rauchbar. *quæst. jur. civil. & Saxon. part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 1. † Eadem quæ hic juris antiqui mutatio facta est in urbe Noviomagensi, ut videre licet in *ord. procedend. art.* 15. Et facit utrobique ad declarationem quod dicit Pyrrh. Angelberm. *ad consuetud Aurelian. tit.* 21. §. 12. *arrestum non esse geminandum* (quæ ipsius verba sunt) *aut repetendum, nisi prius sit determinatum aut evacuatum, cum aliàs contra præceptum juris bis videatur idem exigi.*

ART. 3.

UNd sulcke weete sal eenen yederen voor hoofts geschieden, ten ware dat sich yemant absentierden ende niet en wol vinden laeten, als dan mach die weet aen syne woonstede gedaen ende gelevert worden.

ART. 3.

Atque hujusmodi denunciatio cuique in personam facienda est, nisi absit aut latitet, quo casu ad domicilium eandem fieri ac tradi permissum est.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Nuncius tenetur referre de factâ denunciatione*

2. *Quare hic Reformatores usi sint verbo* Weete.
3. *Denunciatio scripta quare exigatur.*

1 ‡ ADde huic articulo ex proximè præcedenti, pertinere ad officium latoris sive nuncij ad hoc requisiti de facta hujusmodi denunciatione referre. Cui consimiles sunt consuetud. supr. citat. & facit
2 *text. cum gloss. ibid. in cap. causam.* 3. *extr. de dolo & contumac.* ‡ Notanter autem usi sunt verbo, *Weete*, quod interpretor denunciationem, cujus quoque usus frequens in jure, ut notat Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat. de citat. num.* 8. quia ex eo quod commorantes in Velavia alter alterum arrestare non possunt, negotium hic agi putandum est cum extraneo extra districtum Velaviæ habitante, qui proprie citari non potest. Arguere siquidem dicitur citatio in citante superioritatem in citando autem subjectionem Nic. Boer. *decis.* 8. *num.* 5. atque hinc in alieno territorio citanti impunè non paretur *l. ult. ff. de jurisdict. omn. judic. cum simil.* vide latè & eleganter Peck. *de*
3 *jure sistendi cap.* 39. *num* 1. *&* 2. † Nec abs re est quod eadem denunciatio scripta exigitur, uti vult *art.* 2. *præcedens*, cum ex quorundam opinione de nullitate accusari possit citatio extra territorium absque scriptura facta, notat post Bart. Bapt. Asin. *prax. Florent.* §. 6. *cap.* 7. *vers. quando citatio.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Ubi præsens non reperitur, subsidiaria demum denunciatio ad domum fit.*
2. *Ex usu sufficit familiares admonere & exemplum denunciationis apud eos relinquere.*
3. *Conveniunt mores Galliæ.*
4. *Quis hic absens sit intelligendus.*
5. *Quod cujusque domicilium,*
6. *Duobus locis quem posse habere domicilium.*
7. *Hoc casu denunciandum esse ubi degit tempore denunciationis.*

8. *Re-*

8. *Requiritur tamen nuncii relatio,*
9. *Huic quo ad officium habetur fides.*

1 V*Oor hoofts geschieden, ten ware &c.*) ‡ Ad exemplum citationis denunciatio hæc ad domum non aliter fit, quàm si quis præsens, vel (ut loquuntur) personaliter, alicubi reperiri non possit *d. gloss. in cap. causam. de dolo & contumacia.* Perquisito igitur primùm opus est antequam ad subsidiariam denunciationem deveniatur, quod indicant verba textus, *ten ware dat sich yemant absentierden ende niet en wol vinden laeten,* Confirmat Bart. *in l. Dies. 3. §. Prætor ait. ff. de damn. infect.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 3. tractat. de citat. art. 2. gloss. 3. num.*
2 *1. & 2.* † Usus tamen servat, ut si quis domi suæ non reperiatur, satis sit familiares ejus admonere & exemplum denunciationis apud eosdem relinquere, quod exigere videntur ista, *gelevert worden.* quia tunc præsumitur ad ejus notitiam venisse, adeò ut contra emanen-
3 tem in contumaciam procedi possit. † Idem de moribus Galliæ notant Rebuff. *dict. loc. ad constitut. reg. num. 3. & 4. item 7. & 8.* Guid.
4 Papæ *decis. Gratianop. quæst. 445. num. 1. in fin.* ‡ Sic abesse videbitur hoc loco qui in ædibus vel domicilio suo, quod textus appellat *woonstede,* quæsitus non invenitur. Cui non dissimile illud Ulpiani *in l. 199. ff. de verb. significat.* dum inquit: *absentem debemus accipere eum, qui non est eo loci, in quo petitur.* adde Felin. *in cap. Quoniam frequenter. num. 9. extr. Ut lite non contestat* † Domicilium verò cujusque intellige non respectu originis sed habitationis juxta communem, de qua Math. de Afflict. *decis. 384. num. 7. ubi citat Anton. de But.* Rebuff. *dict. loc. num. 5.* id est (ut loquitur *l. Senatores 2. C. Ubi senator vel clariss.*) *ubi quis larem fovet, aut ubi majorem bonorum partem possidet & assiduè versatur, vel etiam ubi vendit, emit, contrahit & festos dies celebrat* Gloss. notab. *in cap. Dilectus filius Jo. Sarracenus. 29. verb. domicilium. extr. de rescript.* Joan. Sainson. *ad consuetud. Turonens. tit. 1. §. 17 gloss. 1.* ‡ Quamvis etiam, notante jurisconsulto, viris prudentibus placuerit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideò minus apud alteros se collocasse videatur. *l. As-*

7 *Assumptio. 6. §. 2. ff. ad municipal.* † Quo casu denunciandum ei erit ubi degit tempore denunciationis cum familia *d. l. 3. §. Prætor. verb. sed domum in qua degit. ff. de damno infect. cum similib.* Rebuff. *dict. loc.*
8 *num.* 22. quem sequitur Peck. *de jure sist. cap.* 39. *num.* 4. ‡ Cæterùm non sufficiet denunciationem, qualem diximus, factam esse, nisi nuncius sive apparitor publicus, cui id negotii datum, rettulerit §. 2. *supr. h. tit.* Reformat. Zutphan. *tit.* 4. §. 3. Rebuff. *dict. loc. num.* 9.
9 *&* 23. *cum seqq.* Panorm. *in d. cap. causam.* 3. *de dol. & contumac.* ‡ Huic etiam, quatenus officii fines non excedit, plena omninò adhibetur fides, quod usus comprobat & confirmat gloss. *in cap. cum parati. de appellat.* Math. Coler *tractat. de processib. executiv. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 14. Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.* 4. *tit.* 14. *definit* 18. adde Peck. *de jure sistendi cap.* 26.

ART. 4.

WAert saecke dat een scholt ofte bade versocht wesende eenighe persoon ofte goet present ende voor oogen synde te besetten, t' selve niet doen en wolde, ofte nae dien het besaet gedaen ware, die persoon ofte het goet liet gaen, verbrenghen ofte versteecken, sonder dat die geene die de besating had laeten doen, met behoorlicke burchtocht ofte anders eerst versien ende verseeckert were, die sal geholden wesen daer voor in te staen und te verantwoorden ofte te betaelen de schuldt daer voor de besatung gedaen sal syn.

ART. 4.

QUicunque prætor (Scultetus vulgò) aut apparitor rogatus hominem aliquem, aut rem præsentem sistere, sive negaverit sive post detentionem evadere, auferri aut celare permiserit, antequam arrestanti debita cautione aut quovis alio modo prospectum sit, is hoc nomine judicium accipiet aut solvet debitum cujus causa arrestum interpositum est.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Consuetudines consonantes, item loci similes juris civilis.*
2. *Illustratur ex adducto textu consuetudinis Mechliniensis.*

1 † HUic art. per omnia similis est consuetudo Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. §. 2. *art.* 4. urbis Zutphan. *tit.* 10. *art.* 7. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 5. *art.* 6. statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 3. *art.* 18. urb. Mechlin. *tit.* 3. *art.* 3. & facit *arg. l. ult. C. de pœna judic. qui malè judic. l. Ad commentariensem.* 4. *C. de custod. reor.* ac, propter similitudinem argumenti, quod tractat Oldendorp. *in progymnasm. action. forens. class.* 4. *act.* 37. *de subsidiaria actione adversus magistratum ob non exactam satisdationem à tutoribus*, post alios Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 1. *constitut.* 29. *definit.* 24. ubi in simili ferè cum nostro textu judicatum refert. ‡ Cum autem hujus articuli sensum dilucidè exprimit prædicta consuetudo Mechliniensis operæ pretium fuerit ejusdem articulum tertium tit. 3. hic adjicere, qualem olim latinè transtulit Petr. Nannius: *Apparitor* (inquit) *requisitus ut peregrinum hominem ejusve bona, quę præsentia sunt, detineri jubeat, idque se facturum abneget, post detentionem semel jussam hominem dimittat, aut bona ejus asportari sinat, non acceptis fidejussoribus ac legitima cautione, litem eam suam facit, tenebiturq; vel ad defensionem, vel ad debiti persolutionem.* Vide ibid. Paul. Christinæ. cum citat. &, quem ille sequitur, elegantius multò ac latius tractantem P. Peck *de jure sistend cap.* 24.

ART. 5.

DIe huisluiden ofte nabuiren, daer toe versocht wesende, sullen den Scholtis ofte bade schuldich und ghehalden syn tot versekerung van syne gedaene besaet de hand te bieden, by vier pondt.

ART. 5.

RUstici vicinive ad hoc interpellati tenebuntur pro securitate facti arresti prætori aut apparitori opem ferre, sub pœna quatuor librarum.

ART. 6.

ART. 6.

SOo vern de Scholt ofte bade niet by der handt noch te bekomen weren, soo salmen de besaedt met twee nabuiren mogen doen, als van olts gebruickelick is, die daer toe versocht synde niet en sullen weigeren by peen als voorss.

ART. 7.

UNd sullen de Scholten alle peindingen, besaetingen und badingen in saecken hunluiden competirende in eygener persoonen doen, und soo sy sulx te doen weygerich weren of sich sunst niet wollen vinden laeten, soo vern t' selve bewyslick, daer van een yeder gebreuckt hebben veertich ponden, partye haere actie van schade eñ interesse voorbehouden. Edoch sullen de scholten in geval van kentlicke noot, te weeten by kranckheit, heerendienst, wtlendicheit, eenen onbesaemden dienstman voor eenen onderscholt by den Drost ofte Richter be-edet synde, in oiren dienst mogen gebruycken, doch soo mogelick, sulcke die selfs lesen ende schriven kunnen, die dan binnen twee dagen van haere peindingen ende besaeten aen den Overscholten gichten sullen.

ART. 6.

ABsente prætore aut apparitore, dum eorum copia haberi non poteſt, liberum erit cum duobus vicinis arreſtare, juxta id quod antiquitus uſitatum fuit: Atque hi requiſiti non detrectabunt ſub pœna prædicta.

ART. 7.

OMnes etiam pignorationes, arreſtationes & citationes ad officium prætorum pertinentes ab iiſmet ipſis peragentur. Quod ſi recuſaverint aut aliàs latitaverint, modò illud probetur, mulctabuntur ſinguli quadraginta libris, ſervata parti læſæ adverſus eoſdem actione ſua de damno ac omni eo quod interſit. Caſu tamen evidentis neceſſitatis, ut puta morbo, ſervitio dominico aut peregrinatione detenti conſtituent loco ſuo ſubprætorem, miniſterialem aliquem honeſtum & quidem ſacramento obligatum apud Satrapam Iudicemve: Eritque is, ſi fieri poſſit, literarum non ignarus ac de ſua pignoratione & arreſtatione intra biduum ad ipſum prætorem referet.

ART. 8.

ART. 8.

ALs een persoon ofte eenich goet met recht besettet worde ende de persoon sonder burgstellinge ontginge, ofte dat goet sonder verburginge verbrochte, die sal den Heer gebreuckt hebben over een actie bedragende hondert daler ofte daer onder thien ponden, und boven de hondert daler, twintich ponden, und sullen die daders in geval van notoire moetwil ende verachtinge van de justitie neffens de voorss. boete noch staen tot erkentenisse des Gerichts, Vnd die dat ander werf dede sal daer aen openbaer gewalt bedreven hebben, partyen oir recht ende actie onbenomen.

ART. 8.

QVicunque arresto legitimè detentus excesserit, aut rem suam arrestatã nulla præstita cautione asportaverit, si centum daleris aut minoris lis æstimatur, mulctabitur ad usum principis decem libris: Sin prædictam summam superat, viginti libris damnas erit, & si constiterit de evidenti protervia ac contemptu justitiæ, præter dictam mulctam, arbitrio judicantium relinquentur ejusmodi violatores. qui iteratò hoc designaverit publicam vim commisisse putabitur, salvo jure & actione parti læsæ.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Consuetudo similis Ruremund. cum remissione ad ea quæ alibi huic illustrando tractantur.*
2. *Supervacua per hunc text. est quæstio an violans arrestum in carcerem conjiciendus an arbitrariè puniendus sit.*
3. *Vis arresti & hac ratione defensio jurisdictionis.*
4. *An à mulcta excusandus qui justam habuit discedendi causam.*

1 † ARticulo sexto geminus est *art.* 5. §. 2. *tit.* 4. *part.* 5. *consuetud. Ruremund.* Quintus & septimus non eget commentario, ideòque progrediendo ad art. 8. repeto quæ dixi suprà *cap.* 3. §. 6. *gloss.* 3. quatenus

nus arrestanti, quousque suâ interest, non præjudicatur pœnâ violanti
2 aut contemnenti arrestum illatâ. † Ea cum hic certa exprimitur evanescit quæstio, utrum is in carcerem conjiciendus an arbitrio judicis puniendus sit, de qua Peck. *tractat. de jure sistendi cap.* 28. *num.* 1. *vers. Porrò.* Math. Coler. *de processib. executiv. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 49. &
3 50. † Pertinet autem hoc ad vim arresti, *quod* (ut inquit Argentræ. ad consuetud. Britan. *art.* 127. *gloss.* 1.) *rem quantumlibet alienam veluti sydere ictam sistit eodem loco injecta apparitoris manu*, idque cum fiat mandato judicis, mirum non est ut hic jurisdictionem suam pœnali judicio defendat *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp.* Consonat ferè Reformat. Zutphan. *tit.* 4. §. 6. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. §. 3. *art.* 4. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 5. §. 10. 11. leg. municipal. urb. Zutphan. *tit.* 9.
4 *art.* 9. Arnhem. *art.* 11. † Sed quid si justam aliquam discedendi causam, quæ varia esse potest, habuerit, an non à mulcta indicta excusabitur? Etenim, cum ille nec verè contumax nec contemptor superioris sit, habita diligenti causæ cognitione excusari posse puto *arg. l. Non exiguus.* 2. §. *si quis municipalis* 1. *cum seqq. l. si is qui fidejussorem.* 6. *ff. si quis caut. in judic. sistend. caus. fact.* Coler. *dict. cap.* 11. *num.* 50. *in fin.* Peck. *dict. cap.* 28. *num.* 3. 4. 5. & 6.

Glossa II.

SVMMARIVM.

Quomodo post solutam mulctam violans arrestum arbitrariè quoque sit puniendus, & vera hujus art. interpretatio ac conciliatio cum jure civili.

1 *UNd sullen die daders &c.* †) Si constiterit de contumacia & contemptu justitiæ non liberabitur violans arrestum persolutâ prædictâ mulctâ, sed hoc quicquid erit ad arbitrium jus dicentium remittetur, qui ex facti circumstantiis vel majorem indicere vel qua alia ratione corrigere poterunt. Ita enim malo interpretari, quàm, quod primo intuitu textus innuit, asserere hujusmodi delinquentem

ſupra conſtitutam mulctam etiam arbitrio judicis puniri. Siquidem juris ratio non patitur ut unum delictum eadem lege variis pœnis coerceatur *l. Senatus. 14. ff. de accuſat. l. Sanctio. 41. ff. de pœnis.* ac pugnare videtur ejuſdem criminis & certam & arbitrariam ſimul ſtatuere pœnam, uti latius oſtendi ſupr. *cap.* 3. §. 2. *gloſ.* 5.

ART. 9.

ALle beſaetingen op yemants perſone ofte goet gedaen ſullen ontſlagen ſyn onder behoorlick ontſaet ende burgtocht, ende by gebreck van dien ſullen de perſonen ende goederen in arreſt bliven.

ART. 9.

ARreſta quæcunque ſive in perſonam ſive in rem, poſtquam debitè interceſſum cautumq; eſt, diſſolventur. Abſque hoc autem & perſonæ & res uſque detinebuntur.

Gloſſa.

SVMMARIA

1. *Similes conſuetudines,*
2. *Item loci juris communis, qui tam de fidejuſſoria quàm pignoratitia cautione.*
3. *Nec ſufficit juratoria cautio,*
4. *Quod confirmatur ab autoritate diverſorum.*
5. *Singulare jus apud Arnhemienſes de relinquendis mobilibus arreſtatis apud debitorem.*
6. *Unde hoc rectè illuſtretur.*

1 † SImilis eſt huic Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 8. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. §. 5. *art.* 1. Tranſiſulan. *part.* 1. *tit.* 5. *art.* 8. leg. municipal. urb. Zutphan. *tit.* 9. *art.* 10. & conſonant paſſim complures totius Gelriæ conſuetudines, quæ non niſi præſtita idonea cautione, ſive ea fidejuſſoria ſive pignoratitia, ut tractatum ſupr. *cap.* 8. §. 4. *in princip. gloſ.* interpoſitum arreſtum relaxari permittunt. † Ad quod ci-
2 tari ſolet text. *in l. Si fidejuſſor.* 7. §. *fin. ubi communiter Dd. ff. Qui ſatisd. cog.* cui jungantur poſt multos alios Peck. *de jure ſiſtendi cap.* 45. Gail.

tractat. de arrest. Jmp. cap. 4. *num.* 11. Math. Coler. *de processib. executiv. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 87. 88. Joan. Köppen. *in decis. quæst.* 35. *num.* 19.
3 Modestin. Pistor. *quæst.* 110. *cum addit. Jacob. Schult.* † Quoniam autem textus hujus art. disertè vult ob defectum idoneæ cautionis rem personamve arrestatam detineri, supervacuum est quærere, an juratoriæ cautioni relinquendus sit, qui fortè eandem, ut exigitur, idoneam præstare non poterit, de quo in utramque partem probabiliter à Doctoribus controvertitur, ut videre est apud autores jam citatos. Quod quidem ratione non caret, cum ubicunque petitori alio modo consuli potest, quàm per juratoriam cautionem, ut hic, detentione personæ reive arrestatæ, cui incumbere tutius est *l. plus cautionis ff. de reg. jur.* nunquam eidem committitur qui satisdare nequit. Facit text. *in l. Filiusfamilias.* 114. §. *iidem principes.* 12. *ff. de legat.* 1. Bald.
4 & Ang. *ibid.* † Atque hoc rectè animadvertit Roderic. Suarez. *in lectur. l.* 2. *for. lib.* 2. *tit. de comperendinationib.* §. *Sed attende. num.* 8. *&* 9. quem sequitur Peck. *dict. cap.* 45. *num.* 8. adde Anton. Sol. *ad consuetud. Sabaud. tit. de conclus. in caus. Decret. Vt nihil. gloss.* 1. *tert. part. num.*
5 16. Decis. Ultrajectin. 66. *num* 2. † Singulare porrò est apud Arnhemienses *art.* 9. quod bona mobilia arrestata relinquantur apud debitorem, acceptâ solùm fide de iisdem non avertendis, modò ne is recu-
6 set aut suspectus sit: quo casu sequestrantur, uti latius ibidem. † Cui illustrando facit eorum opinio, qui juratoriæ cautioni locum concedunt, quando arrestatus ejus famæ & dignitatis est ut ei credi debeat. Andr. Gail. 1. *obs.* 148. *num.* 6. *&* 2. *obs.* 47. *num* 13. Mynsing. *cent.* 2. *obs.* 11. Coler. *de processib. executiv. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 95. *cum aliis.*

ART. 10.

Hier is te weeten, waer gespraecken wort van cautie te stellen, dat t' selve te verstaen is niet alleen van ten rechten te staen, maer oock vant ghewijsde te voldoen.

ART. 10.

Scire hic interest, ubicunque sermo fit de præstanda cautione, intelligi debere non solùm de judicio sisti sed etiam de judicato solvi.

Glossa.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Admissa cautione de judicio sistendo & judicato solvendo obviam itur dubio quod ex jure moveri queat.*
2. *In iis quæ ad ordinationem litis spectant cujusque loci consuetudo servanda,*
3. *Adducitur decisio consilii Neopolitani & res judicata judicii Velavici.*

† QVoniam ex textu §. *Sed hodie.* 2. *Institut. de satisdat.* aliisque juris rationibus, de quibus post alios Peck. *dict. tractat. de jure sistendi cap.* 45. *num.* 7. & Modestin. Pistor. *dict. quæst.* 10. non absurdè argui posset, ad effectum relaxandi arresti sufficere cautionem de judicio sisti, non inconvenienter huic dubio prospiciunt hoc loco Reformatores, dum definiunt per cautionem intelligi debere utramque pariter & de judicio sistendo & de judicato solvendo. † Quod sequi oportet, cum in his quæ ad ordinationem litis spectant cujusque loci consuetudo inspicienda veniat juxta Bart. *in l. testium.* 3. §. *testes. fin. num.* 1. *ff. de testib.* Idem monent Peck. *dict cap.* 45. *num.* 7. *in fin.* & Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 5. *vers. Quædam leges municipales.* † Et convenit res judicata consilii Neapolitani quo ad eum qui de fuga erat suspectus, qualis plerumque præsumitur extraneus consuetudinario nostro arresto detentus, Math. de Afflict. *decis.* 170. *num.* 4. *& ibi addit. Cæs. Vrsill.* ac memini observatum à bon. mem. parente meo Gelriæ Cancellar. quod juxta ipsissimum tenorem hujus art. de utraque hac præstanda cautione in Velavico aliquo tribunali pronunciatum sit. vid. infr. *cap.* 12. §. 2. *in fin.*

ART. II.

ITem die eenich goet in synen huyse ofte bewaernisse besedt worde, ende den

ART. II.

QVi rem aliquam penes se, in vel ædibus suis arrestatam custodiendam

den last van t' selve te bewaeren voor den officier aen-neemt, ende het daer en boven ewech laete brengen of versteecken, die is schuldicht te verantwoorden ende in te staen voor de schuldt ofte actie, daer voor t' selve goet beset was.

diendam coram officiali suscipit, eâdem ablatâ aut interversâ, litẽ quoque, cujus causa arrestatio facta est, suscipere tenebitur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Similis consuetudo Mechliniensis,*
2. *Aliæ consuetudines contrariæ, ex quibus tum hæc tum Mechliniensis explicanda ostenditur,*
3. *Cujus videtur opinionis P. Nannius.*
4. *Illustratur porrò ab aliis consuetudinibus & jure communi.*

1 †IDem est in consuetud. Mechliniensi *tit.* 3. *art.* 5. quem ita latinè transfert Petr. Nannius: *In cujus ædibus aliquid detineri jussum est, aut qui ut sequester ejus rei custodiam susceperit, si eam asportari vel abscondi sinat*
2 *litem suam facit, & ad debitum aut actionem tenebitur.* † Utraque & Mechliniensis & nostra Velavica conjunctim exigere videtur, ut & res arrestata apud aliquem existat & ejus custodiam idem in se suscipiat, quò de eâdem asportatâ aut absconditâ teneatur. A quo non sine ratione paulùm divertunt Reformat. Zutphan. *tit.* 4. §. 7. Transisulan. *part.* 1. *tit* 5. §. 4. leg. municipal. urb. Zutphan. *tit.* 9. *art.* 12. statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 3. *art.* 10. dum alterutrum sufficere volunt, ut sive quis custodiam susceperit sive non, nihilominus teneatur, modò factæ arrestationis cognitionem habuerit. Oportuit enim plus hoc casu constitui, siquidem naturaliter aliàs ad restituendum obligatur cujus fidei aliquid committitur *l.* 1. *& tot. tit. ff. Depositi vel contr.* Itaque in verbis textus, *besedt worde ende den last van t' selve te bewaeren &c.*

particula

particula *Ende* ſive copulativa *Et* reſolvenda erit in diſjunctivam *Vel, Ofte*, quod in jure novum non eſſe conſtat & tradit Teſaur. *decis*. 189. Alexand. *conſil*. 48. *ſuper extractione. num*. 3. *vers. & licet interdum. lib*. 1. quem ſequitur Cardinal. Tuſc. *pract. conclus. tom*. 2. *lit. D. conclus*. 274.
3 *num* 58. † Atque hoc animadvertiſſe veriſimile eſt dict. Nannium, cum in ſua Mechlinienſi tranſlatione, pro eo quod in vernaculo textu eſt, *Die eenich goet binnen ſynen huyſe ofte bewaerniſſe gearreſteert ende den laſt van t' ſelve te bewaeren aenveert*, inquit: *In cujus ædibus aliquid detineri juſſum eſt, aut qui ut ſequeſter ejus rei cuſtodiam ſuſceperit &c.* ſubſtituendo
4 ita pro *Ende, Et*, particulã *Aut*. ‡ Adde conſuetud. Rurem. *part*. 5. *tit*. 4. §. 3. *art* 2. 3. Arnhem. *art*. 10. & facit huic articulo illuſtrando, quod ex traditis Baldi *in l. addictos. C. de epiſcop. aud.* eripiens aliquem, qui juſſu judicis capitur, non ſecus teneatur quàm ſi pro reo fidejuſſiſſet in omnem caſum *text. in l. Quoties*. 3. *C. de exact. tribut. lib*. 10. Joan. Sainſon. *ad conſuetud. Turonens. tit*. 36, §. 4. *vers. Sed quæro*. vide præterea Peck. *de jure ſiſtendi. cap*. 44.

ART. 12.

WAnneer een beſaetinge geſchiedt ter inſtantie eener perſoone die niet geerſt und geguedet is ter plaetſe daer de beſaetinge geſchiede, ſoo ſal de perſoone, welcke de beſaetinge heeft laeten doen, voor de ontkoſten burg ſtellen, ſoo wel als die ofte des goet beſedt is, Vnd by aldien d' aenlegger in den onrechten bevonden worde, ſal hy den verweeder allen ſchade und intereſſe ſoo gherichtelick als ongerichtelick tot taxatie und moderatie des Gerichts erſtaden.

ART. 12.

QVicunque arreſtare curat, nec tamen in loco arreſti immobilia poſſidet, non minus cavebit pro expenſis, quàm is qui cujuſve bona arreſtata ſunt. Et ſi actor injuria arreſtaſſe deprehenditur refundet reo omne damnum ac id quod vel judicialiter vel extra-judicialiter ejus intereſt, prævia tamen judicii taxatione & moderatione.

Gloſſa.

Gloſſa.

SUMMARIA.

1. *Quatenus injuſtè arreſtans teneatur.*
2. *Verba* geerſt ende geguedet *de immobilium poſſeſſore accipienda.*
3. *Quare idonea cautione ſupplendum quod in immobilium poſſeſſione deficit.*
4. *Similis conſuetudo Mechlinienſis, quamvis diverſa ratione.*

1 †QUi injuſtè aliquem arreſtavit ad damni illati reparationem & ejus quod intereſt tenetur juxta *text. hunc. in fin.* cui ſimilis conſuetudo Noviomag. *art.* 12. urb. Zutphan. *tit.* 9. *art.* 13. *in fin.* Dd. *in l. Quod te.* 5. *ff. ſi cert. pet. & in l.* 1. *C. de his quæ vi met. caus.* Prax. Ferrar. *form. ſequeſtr. gloſ.* 2. *num.* 4. Math. Coler. *de proceſſib. executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 38. quibus adde Gail. *tractat. de arreſt. Jmper. cap.* 13. Ideoque non abs re eſt quod arreſtare curans idoneè cavere debet, quando in loco arreſti nulla immobilia poſſidet, uti indicat di-
2 ſertè hujus art. pars prior. † Ad cujus interpretationem repetenda ea quæ dicta ſunt ſuprà *cap.* 8. *art.* 4. ubi ſimiliter verba illa, *geerſt ende geguedet*, de immobilium poſſeſſore accipiuntur. Idem exigit Reformat. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 4. §. 5. *art.* 2. *vers. der ſal der arreſtant.* conſuetud. Noviomag. & Zutphan. *locis jam citatis.* Coler. *dict. loc.*
3 *num.* 39. † Et quid enim ſecurus eſſe poteſt injuſtè fortè arreſtatus de eo quod ſua intereſt non ita fuiſſe detentum, niſi arreſtans idonea cautione ſuppleat quod in immobilium poſſeſſione deficit *l.* 1. *ff.*
4 *Qui ſatiſdar. cog.* † Mechlinienſis præterea conſuetudo idem ſtatuit *tit.* 3. *art.* 7. quamvis non tam reſpectu arreſtati quàm judicii, ut videlicet ea arreſtatio nec civitati, nec civibus aut inquilinis aliquando fraudi aut damno ſit, prout ibidem text. quem declarat Paul. Chriſtin. *in commentar. ſuis.*

Caput XI.

Dat XI. Cap.	Caput XI.
Van Peinbaer schuldt.	De debito pignorabili.

Ad rubricam.

SUMMARIA.

1. *Continuatio ordinis & quæ pigneratio ac quod debitum pignerabile.*
2. *Quomodo hæc pigneratio differat à pigneratione Imperii,*
3. *Pertinet hæc ad lites diminuendas, eoque nomine ex juris locis illustratur.*
4. *Quid propriè sit dicta pigneratio.*

1 † 

EX quinque modis procedendi, quibus jure consuetudinario Velaviæ in judicium itur, quartus in ordine est Pignoratio, quæ vernaculè effertur *Peindung*, uti constat ex *cap. 7. supr.* & iis quæ ibidem tractantur. A pignoratione autem procedit, ut id quod hac ratione petitur sit debitum, ut ita dicam, pignorabile, quod hoc loco appellatur *peinbaer schuldt*, ac quodnam sit hujus generis in ipsius tituli articulis declaratur.
2 † Differt verò hæc à pignoratione, quæ ex constitutione imperii permittitur, de qua Gail. *tractat. singular. de pignorat.* & post hunc Math. Coler. *de process. executiv. part 1. cap. 2. num. 253. cum seqq.* & quam jure communi adductis ejusdem locis omninò prohibitam esse rectè asserunt. Unde nequaquam exinde, quod perperam nonnulli judicarunt, petenda erit hujus capitis declaratio, sed potius ab eo quod singulariter in Ducatu Gelriæ ac Comitatu Zutphaniæ finitimaque provincia Transisulaniæ usurpatur & scripta alicubi consuetudine comprehensum est. Cujusmodi sunt Reformat. Zutphan. *tit. 2.* tetrarch. Ruremund. *part. 5. tit. 5.* Transisulan. *part. 1. tit. 6.* consuetud. urb.

Zutphan. *tit.* 10. Arnhem. *art.* 17. *cum seqq.* statut. urb. Daventr. *part.*
3 2. *tit.* 4. ‡ Pertinet tamen ad litium & forensium altercationum diminutionem, quod innuit *art.* 5. *hujus cap.* Cui similis Reformat. Zutphan. *tit.* 2. *art.* 3. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 4. & 7. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 6. §. 4. consuetud. urb. Zutphan. *tit.* 10. *art.* 5. dum volunt facta pignoratione opponentem, durante judicum consessu, aut solvere aut solutum probare. Cui assidet illud juris scripti, litium compendia esse quærenda & comperendinationes fugiendas *l. Cum & judices.* 2. §. *Sed prædictum.* 9. *C. de jurejur. propt. calumn. dand.* item quod dicitur, ad officium judicis pertinere, quasi Reipubl. intersit, lites diminuere *l. Quidam existimaverunt.* 21. *ff. de reb. cred.* & *ibid. Bald. num.* 11. *Ludovic. Rom. cons.* 38. quos citat Jacob. Schult. *in addit. ad Modest. Pistor. quæst.* 1. *num.* 11. *part.* 1. adde Grammatic. *decis. Nea-*
4 *pol.* 9. *num.* 1. † Nec aliud est pignoratio hæc quàm prodromus quidam executionis, sive potius præceptum quoddam executivum præparatorium. A quo cum ordinariè non sit incipiendum *l. Si cum.* 58. *ff. de re judic. l.* 1. *C. de execut. rei judic.* haud immeritò ad certos casus hoc capite enumeratos arctatur, de quibus mox dicendum restat.

ART. 1.

IN den eersten sal van nu voortaen in Veluwe und Veluwen-soom voor peinbaer geholden worden, schuldt und rent bekent in gherichtlicke brief und segel, die gegeven und gepasseert syn als recht is, sonder onderscheidt van binnen jaersche ofte verjaerde renten, Item gerichtelicke bekentenisse.

ART. 1.

PRimò in Velavia ac ora Velaviæ pignorabile habebitur, debitum & reditus judicialiter constitutus ac subsignatus, prout de jure convenit; sive is præsenti sive præteritis aliquot annis cesserit. Sed & in eadem causa erunt judiciales confessiones.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Pignerationem admitti ob reditus annuos, quod confirmatur ex consuetud. consonantibus*,
2. *Et quidem tam unius quàm plurium annorum, licet Zutphan. & Ruremund. consuetudo variet*,
3. *Modò sint legitimè constituti, & quare.*
4. *Quomodo annui reditus legitimè constituantur, remissivè, & ibi ex formula declaratio hujus art.*
5. *Exemplis declaratur novum non esse in praxi ut ex conventione partium ab executione incipiatur*,
6. *Quamvis moribus etiam absque conventione à pigneratione incipi queat, quibus quasi similis lex Toletana.*

1 PRimùm quidem admittitur pignoratio ob reditus annuos legitimè atque ex præscripto consuetudinis judicialiter constitutos. Cui convenit *art.* 23. *cap.* 14. *infr.* Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 3. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 6. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 6. §. 1. item consuetud. urb. Zutphan. *tit.* 10. *art.* 2. Arnhem. *art.* 18. quæ illustrari possunt ab iis quæ tradit Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de liter.*
2 *obligat. art.* 6. *gloss.* 3. *num.* 31. ‡ Nec refert unius aut plurium annorum pensiones cesserint, quia æquè earum nomine hæc pignoratio competit, ut habet text. In quo variant Reformat. Zutphan. & Ruremund. *loc. jam citat.* quæ hoc solùm pignorabile debitum reputant,
3 quod intra annum cessit. ‡ Dico autem reditus legitimè constitutos, cum prius de viribus cujusque instrumenti constare debet, antequam juris aliquid ex eo deduci queat *text. in l. Divus.* 24. *ff. de testament. milit.* Cæs. Ursill. *in addit. ad Math. de Afflict. decis.* 283. *num.*
4 3. ‡ Quomodo verò annui reditus legitimè constituantur patet ex *cap.* 24. *art.* 1. *infr.* juncto tractatu de effestucatione, quem non ita pridē post Frederic. Sand. additionibus & supplemento auxi. Ex quo ad declarationem hujus loci nota quod dicitur in formula *cap.* 2. *num.* 4. *Si verò in dicta Warandia aut prægravaminis depositione vel annali solutione dicto Fabio defectus fuerit, hunc defectum judex pro tempore dicto Fabio seu*

conservatori præsentium ex omnibus dicti prædii Semproniani mobilibus atque etiam ex ipso prædio expandabit tanquam debitum judicio recognitum ac con-
5 *victum*. † Unde novum non fit in praxi, ex conventione partium ab executione ordiri, sicuti paratam executionem tribuunt instrumenta guarentigiata, de quibus præter alios Anton. Tessaur. *decis.* 26. *num.* 12. Joan. Parlador. *rer. quotidianar. lib.* 2. *cap. fin part.* 1. §. 11. & Jacob. Cancer. *variar. resolut. part.* 2. *cap.* 3. item ea quæ ad formulam cameralis obligationis sunt composita, de quibus integer extat tractatus Anton. Massæ Galles. quò ad hujus capitis pleniorem intellectum
6 recurrere non inutile erit. † Neque tamen putandum est absque dicta conventione pignorari non posse, quandoquidem textus noster cum similib. consuetudinib. passim adductis aliud innuit & fori usus comprobat. Quod item ex mente legis Toletanæ de instrumento publico, cui nominatim clausula guarentigii non est inserta, ita accipit Parlador. *dict.* §. 11. *ampliat.* 1.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *A judiciali constitutione annui reditus alia judicialis confessio pignerationem quoque tribuit & quare,*
2. *Sive ea manaverit per modum contentiosæ sive voluntariæ jurisdictionis.*
3. *Adde voluntarias condemnationes.*
4. *Quid si eadem judicialis confessio nullam debiti contineat causam?*
5. *An ex dictis instrumentis pigneratio concedatur in heredes?*
6. *Quod ulterius confirmatur.*
7. *Pigneratio magis preparatorium præceptum executionis quàm ipsa executio.*

1 I*Tem gerichtlicke bekenteniße*) † Annui reditus constitutio, de qua suprà.

prà, etsi judicialis quædam sit confessio, alia tamen & separata planè est, quæ nunc intenditur. Et ob eam *hic ac citat. supr. consuetud.* pignoratio, quæ *peindung*, admittitur. Cui favet juris communis ratio, quod in jure, hoc est, judicio confessi pro judicatis habentur *l. post rem judicatam.* 56. *ff. de re judicat. l. Proinde* 25. §. 2. *ff. ad leg. Aquil. l. un. C. de confessis.* Joan. Parlador. *rer. quotid. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 4. item quod confessio admittitur contra præsumptionem juris & de jure, ac quod rem, ut dicitur, notoriam faciat Menoch. *post mult. citat. Recuperand. possess. remed.* 1. *num.* 221. *&* 222. Apposite etiam ad hunc textum Roderic. Suar. *in d. l. post rem judicatam. notab.* 3. *num.* 1. *& ibi addit. J. Valdes.* Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 1. *vers. Attamen sunt nonnulla negotia.* † Nec refert utrum istiusmodi confessio emanet per modum contentiosæ vel voluntariæ jurisdictionis juxta notata Roderic. Suar. *dict. loc. num* 4. ubi post Angel. & Joan. Andr. adducit *text. in l. Cum fideicommissum.* 7 *ff. de confess.* quod moribus nostris omni dubio caret, adeòque non attenditur opinio Joan. Parladori *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 1. asserentis à fori calore & autoritate instrumentum in jure sive apud officium celebratum paratam executionem non aliter habere, quàm si in vim contentiosæ jurisdictionis factum sit. † Huc pertinent quoque spontaneæ sive voluntariæ nostræ condemnationes, quæ & paratam habere executionem dicuntur Petr. Gudelin. *de jure noviss. dict. lib.* 4. *cap.* 1. latè Tessaur. *decis.* 26. *num.* 13. † Quid autem, si judicialis hæc confessio sit indiscreta, hoc est, sine causa, vel, ut loquuntur, informis? Et cum moribus, juri communi hac in parte quidem contrariis, efficacem eandem probarim *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat.* 4. §. 19. nullus ambigo quin ad effectum quoque pignorationis prosit, Roderic. Suar. *dict. loc. num.* 8. *text. in l. Sicut.* 4. *& ibi Bald. C. de repud. vel abstinend. hered.* Dan. Moller. *Semestr. lib.* 2. *cap.* 23. *num* 9. *&* 10. & post hunc Andr. Scheffer. *part.* 1. *quæst. practicab.* 5. ubi in hanc sententiam adducit res judicatas Lipsiensium, Wittebergensium & Jenensium. adde Cancer. *variar. resolut. d. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 53.

 † Cæterùm

5 † Cæterùm cum utramque & annui reditus legitimam constitutionem & judicialem confessionem quodammodo assimilaverimus instrumento gaurentigiato, non absque ratione dubitari potest, an ex his etiam pignoratio admittatur contra heredem. Traditum namque alicubi extat hujusmodi instrumentum non habere paratam executionem adversus heredem, ob id quod tertium non afficiat, post *Bald. consil.* 140. *vol.* 3. Marant. Specul. aur. *part.* 6. *de execut. num.* 32. quos sequitur & refert Cancer. *dict. cap.* 3. *num.* 58. *&* 59. Contrarium tamen usus servat in hodierna pignoratione & indefinitè loquitur præsens textus, cui confirmando facit, quod heres eadem censeatur persona cum defuncto *text. in Novell.* 48. *princip.* & post alios citat. Dan. Moller. *Semestr. lib.* 2. *cap.* 21. ubi prædicta limitat in eo cui non nominato actio tamen ex instrumento competit. Id quod de herede rectè prædicari certum est *dict. cap.* 21, *num.* 2. Mich. Grass. *recept.*
6 *sentent. vol.* 1. §. *hereditas. quæst.* 12. *num.* 4. *&* 5. † Libet itaque invertere conclusionem, quam tradit Roderic. Suar. *in d. l. post rem judicatam. circa declarat. leg. regni. secund. limitat. num.* 2. Et activè & passivè jus executivum instrumenti pignorabilis competere non solùm inter eos, cum quibus est confectum, sed etiam quo ad tertium heredem in illo non nominatum, modò de ista qualitate constiterit. Faciunt quàm maximè tradita per d. Roderic. *d. loc. declarat. l. regni*,
7 *extensione prima. per tot.* Anton. Gomez. *ad leg. Tauri* 64. *num.* 5. † Estq; eo magis vera hæc sententia, quod consuetudinaria nostra pignoratio non tam sit ipsa executio, quàm eam proximè præcedens præparatio, sive præceptum quoddam præparatorium executionis, uti præ cæteris patet ab exceptione quæ datur in art. fin. h. tit.

ART. 2.

DEsgelycken pacht und huiring in cedullen gemaeckt, soo wel buiten jaersche als binnen jaersche.

ART. 2.

SImiliter contractus locationis & conductionis in scriptis celebratus, sive unius sive plurium annorum.

Glossa.

Gloſſa.

SUMMARIA.

1. *Pignerationem admitti ex contractu locationis, ubi conſonantes & diſſonantes conſuetudines patriæ.*
2. *Galliæ aliquot quaſi ſimiles conſuetudines.*
3. *Confirmatur pluribus à jure communi.*
4. *Ad effectum pignerationis requiri contractum in ſcriptis, ubi pugnantes conſuetud.*
5. *Ratio ejus illuſtrandi gratia adfertur.*
6. *Non datur pigneratio ex tacita continuatione locationis.*
7. *Locatio non cenſetur contracta ſi merces generaliter ſit promiſſa alieno arbitrio definienda.*
8. *Ut nec pignoratio datur in eum qui à primo conductore conduxit.*
9. *Quid ſi locationis ſchedula ſit amiſſa?*
10. *Removetur objectio.*

1 †PIgneratio præterea admittitur ex contractu locationis & conductionis, *ut hic* & Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 3. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 6. Tranſiſulan. *part.* 1. *tit.* 6. §. 3. item *art.* 24. tranſact. inter Duces Gelr. & Cliviæ *an.* 1538. Quæ tamen differunt in eo quatenus textus noſter loquitur de penſione tam intra quàm extra annum ceſſa, exceptâ ſolùm Tranſiſulanicâ huic per omnia conſonante.
2 † Addo declarandi gratia Pariſienſem *art.* 161. quæ habet: *Il eſt loiſible a un proprietaire d' aucune maiſon par luy baillée a titre de loyer, de faire proceder par voye de gagerie en la dicte maiſon pour les termes a luy deus pour le louage, ſur les biens eſtant en icelle.* Cui non diſſimilis Aurelianenſis *tit.* 19. *cap.* 1. ubi Pyrrh. Angelberm. & Joan. Duret. Bituricenſis *tit.* 9.
3 *art.* 37. ubi Franciſc. Ragueau † Nec deſtituitur juris communis rationibus, cum circa res invectas & illatas in prædium urbanum tacita attribuatur hypotheca locatori *l. licet. 6. ff. in quib. caus. pign. vel hypothec. tac. contrah.* cui & conceſſum eaſdem pignoris loco retinere

l. utique

l. utique 34. ff. de damn. infect. quod etiam extenditur ad fructus natos in prædio rustico *l. in prædiis, 7. ff. d. tit. in quib. caus. pign.* Unde haud mirum arbitrantur si pignori incumbat, Pyrrh. Angelberm. *dict. loc.* vel etiam parata executione utatur Roderic. Suar. *in l. post rem judicatam ff. de re judic. Notab. 8. vers. Item est alius casus in locatore.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 1. tractat. de liter. obligat. art. 4. gloss. 2.* Et pertinet eòdem, quod inquilinus ob non solutam mercedem domo locata expelli possit *l. Æde. 3. & ibi commun. Dd. C. de locat. & conduct.* Anton. Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 3. num. 6.* item quod hoc casu olim moris fuerit ædes aperiri ac à publicis officiis describi res omnes & mancipia quæ in eas intulisset *l. Cum domini. 56. ff. locat.* ac deinde obsignari *l. Si injuriæ 20. ff. de injur. l. ult. C. Theodos. de administrat. tut.* Imò & ædium ostium adhibito claustro vel consepto præcludi *l. penult. ff. In quib. caus. pign. vel hypothec. tac. cont.* Cujac.
4 *obs. lib. 17. cap. 39.* † Attamen non aliter ad hanc pignorationem deveniri, quàm si contractus locationis & conductionis scripto sit comprehensus, indicio sunt verba textus, *in cedullen gemaeckt.* A quo rursus abeunt jam adductæ consuetudines Zutphan. & Transisulan.
5 quibus favet *l. Pactum quod bona fide. 17. C. de pact.* † Sed verò servari quod hic disponitur rationis est, non solùm quod ultra statutum ipsum sapere non debeamus, sed & ob id quod pignoratio hæc, quasi executivum quid, exorbitet à jure communi ideòque strictè sit accipienda & ad casus non expressos haud extendenda Grammatic. *decis. Neapolit. 47. num. 5. & decis. 101. num. 4.* quem sequitur in casu huic nostro non omninò dissimili Dan. Moller. *Semestr. lib. 2.*
6 *cap. 21. num. 1. & 2.* † Atque hinc rectè infertur debitum non induci pignorabile, si juxta text. *l. Item queritur. 13. §. 11. ubi Dd. ff. locat. conduct.* tacitè per continuationem in pristinam locationem consensum sit. Siquidem vix dici potest eadem locatio scripto aut schedu-
7 la comprehensa, prout consuetudo hic exigit. † Nam & jure definitum extat, eandem non contractam videri, si merces generaliter sit promissa alieno arbitrio definienda *text. in l. Si merces. 25. ff. locat. & con-*

& conduct. convenit Bald. *in l. legem. C. locat.* quem refert Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de liter. obligat. art.* 2. *in gloss. num.* 91. 92.
8 ‡ Multò verò minus ex iisdem rationibus dabitur hoc remedii adversus eum qui à primo conductore conduxit, utcunque aliàs ejusdem invecta & illata pro ea parte qua conduxit pignoris nexu obstringi certum sit *per l. Solutum.* 11. §. *Solutam.* 5. *ff. de pignoratit. act. ubi. Costal.*
9 *in Adversar.* Statut. Daventr. *part.* 3. *tit.* 11. *art.* 8. ‡ Quid autem sentiendum sit, si schedula locationis & conductionis fortè deperdita sit, non abs re quæritur? Ego non obstantibus hactenus dictis existimarem nihilo minus pignorationem admitti, modò deperditi contractus tenor legitimè atque ut præcipit Math. de Afflict. *decis.* 274. itemq; Mascard. *de probat. conclus.* 910. probetur, quod me consulente olim etiam probavit bon. memor. parens meus. Et faciunt ea quæ tractat Angel. *in l. fin. C. de edict. D. Hadr. tollend.* de instrumento guarentigii amisso, ex eo quod per testes tamen probatur, executioni paratæ
10 ratæ mandando. ‡ Cui licet cum multis aliis contrarius sit Bartolus *in l.* 1. *ff. de his quæ in testament. delent.* non malè tamen moribus congruit, vel ea solùm ratione, quod hæc nostra pignoratio magis sit præparatorium executionis quàm ipsa executio, adeòque non tam strictè limitanda quàm parata illa executio, quæ vi instrumenti gaurentigiati conceditur, ut tetigi supr. §. 1. *gloss.* 2.

ART. 3.

DEs ghelycken schult of rent bekent in hylixbrieven, maechgescheiden, ende moetsoen brieven, die van de hylixvrunden, dedingsluydẽ ofte scheidtsvrunden aen beide syden te meerendeel ofte over de helft besegelt ofte onderteickent syn.

ART. 3.

ITem debitum reditusve constitutus in pactis antenuptialibus, dividundæ hereditatis, & transactionis de cæde perpetrata, quibus accessit amicorum utrimque ad id convocatorum aut majoris eorum partis subsignatio aut subscriptio.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Datur item pigneratio ex pactis antenuptialibus & dividundæ hereditatis.*
2. *Consuetud. consonantes.*
3. *Ratio redditur prædictorum.*
4. *Valere statuta quibus parata executio conceditur ex instrumentis dotalibus.*
5. *Quid ad effectum pignorationis in pactis antenuptialibus matrimonii putativi?*

1 ‡ DEbitum similiter pignorabile (ut hoc verbo porrò utar) habetur quod quis agnovit in pactis antenuptialibus & dividundæ hereditatis, item in literis compositionis de commissa cæde humana, quas tangit *art.* 6. *cap.* 3. *supr.* modò singula legitimè sint absoluta.
2 † Atque hoc quoque statuit Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 5. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 6. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 6. *art.* 3. consuetud. urb.
3 Zutphan. *tit.* 10. *art.* 3. Arnhem. *art.* 18. ‡ Ratio esse potest, quod hoc genus instrumenta æquipollent judicialibus, de quibus suprà *art.* 1. vel, ut modo nobis usitato efferam, eandem cum literis Scabinalibus vim habent, uti vulgò constat, & probatur insuper *art.* 1. *tit.* 27. *infr.* Reformat. Zutphan. *tit.* 18. §. 9. Ruremund. *part.* 1. *tit.* 2. §. 1. *art.* 8. 9. 10. 11. & 12. *item part.* 3. *tit.* 1. §. 1. *art.* 10. Transisulan. *part.* 2. *tit.*
4 2. §. 1. consuetud. urb. Zutphan. *tit.* 26. *art.* 1. † Nec movet propterea quorundam opinio existimantium non valere statuta tanquam juri communi repugnantia, quæ paratam executionem tribuunt instrumentis dotalibus, à quibus etiam propter privilegium dotium in terminis statuti seorsim sentit Anton. Tessaur. *decis.* 26. *num.* 3. *vers. quam-*
5 *vis ego &c.* † Sed quid si respectu matrimonii non justi sed putativi pactum aliquod antenuptiale sit interpositum, anne eundem pignorationis effectum habebit? Et quia contra jus commune singulariter re-

receptum volunt, ut vi consuetudinis instrumentum dotale in vero tantùm matrimonio executionem mereatur paratam juxta Alexandr. *in l. si cum dotem. §. si mulier. ff. solut. matrimon.* quem sequitur Roderic. Suar. *in lectur. l. for. de bon. acquisit. viri & uxor. num.* 3. verisimiliter argui potest ex prædicto pacto nullo modo rectè pignorari. At contrà, cum putativum, quod aiunt, matrimonium nec dotis privilegia *l. si cum dotem.* 22. *§. fin. ff. solut. matrimon.* nec lucri communionem ex forma statuti respuat, ut latè tradidit Roderic. Suar. *dict. loc. num.* 1. & hunc cum aliis sequutus Joan. à Sande *decis. Fris. lib. 2. tit. 5. definit.* 2. non malè quis partem affirmantium tenuerit: præsertim cum non desint qui contra Alexand. opinionem tam in putativo quàm in vero matrimonio ex instrumentis dotalibus paratam concedunt executionem Bald. *in l.* 1. *C. de condict. ob caus.* Salicet. *ibid.* quos refert *dict. loc.* Roderic. Accedit, quod sæpe monuimus, pignorationem nostram, sive *peindung*, magis esse præparatorium executionis, quàm ipsam realem, ut ita dicam, executionem.

ART. 4.

ITem verdient loon, maegenaes, verteerde kosten, geleent gelt, schuldt by suivere obligatie bekendt, of anders liquid.

ART. 4.

AD hæc merces debita, esculenta & potulenta, impensæ victus ergo, pecunia mutuò data, debitum chirographarium purum aut aliàs liquidum.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Consuetud. huic art. consonantes.*
2. *Quid intelligatur per verbum* verdient loon.
3. *Favor mercedis famulorum, operariorum &c.*
4. *Eos præferri jure Saxon. omnibus aliis creditoribus.*
5. *Ratio præcipua quare hinc detur pigneratio,*
6. *Summariam requiri tantùm cognitionem.*

7. *Famulis ægrotantibus non esse diminuendam mercedem.*
8. *Confirmatur rebus judicatis & autoribus contra Bartol. & Canonist.*
9. *An propter salarium advocatorum detur pigneratio,*
10. *Quod plenius illustratur.*

1 I*Tem verdient loon)* † Cætera debita pignorationem admittentia jam sequuntur, de quibus convenienter ad hunc art. post citat. modò consuetud. Zutphan. Ruremund. & Transisulan. *art.* 20. leg. Insularum Bommel. & Tiel. *an.* 1579. † Ubi primùm per verba, *verdient loon*, rectè intelliges mercedem famulorum domesticorum & ancillarum, item operariorum & mercenariorum qui nobis quacunque in re inservire solent, estque, ut breviter dicam, autoramentum cujuscunque servitii quod personaliter, ut ita dicam, nobis præstatur, superioris Germaniæ populis *lidlohn*, de quo vidend. Paul. Math. Wehner. *practic. observat. lit. L.* † Cujus causa quàm sit favorabilis non solùm docent nos sacræ literæ Levit. *cap.* 19 *vers.* 13. Deuteronom. *cap.* 24. *vers.* 14. 15. Tob. 4. *vers.* 15. Sed & ipsum jus positivum civile, quo secundum aliquos hujus respectu inducitur jus tacitæ hypothecæ & hinc jure Saxonico privilegium prælationis inter creditores personales sive chirographarios Math. Wesenbec. *in paratit. ff. de privileg. creditor. num.* 5. *in fin.* † Imò eodem jure Saxonico eosdem mercenarios cujuscunque conditionis creditoribus aliis præferri non paucis placuit Hartman. Pistor. *quæst. jur. Rom. & Saxon. part.* 1. *quæst* 8. quem compluribus aliis citatis sequitur Math. Berlich. *pract. conclus. part.* 1. *conclus.* 64. *num.* 65. † Ex quo justissimè hic pignoratio datur, dum æquum sit ut hujusmodi operæ in vita hominis necessariæ quàm celerrimè mercedem consequantur, ut in simili ferè ait Pyrrh. Angelberm. *ad consuetud. Aurelian. tit.* 21. *cap.* 10. *in gloss.* † Et pertinet eòdem quod generaliter quodammodo receptum sit, in hujusmodi causis summariè & executivè procedi nec ullam moratoriam exceptionem admitti, Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 2. *tractat. de liter. dilator. art.* 1. *gloss.*

gloſſ. 1. *num.* 26. Moller. Semeſtr. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. *in fin.* quos ſe-
quitur Joan. Herman. Stam. *tractat. de ſervitute perſonali lib.* 2. *cap.* 7.
7 *num.* 1. † Cujus etiam favoris intuitu hac occaſione definiri poteſt,
famulis ægrotantibus pro ea parte anni qua ægrotaverint non eſſe di-
minuendam ſed integram ſolvendam mercedem. Quod eleganter
tangit juriſc. *in l. Cum hæres.* 4. §. *Stichus.* 5. *ff. de ſtatulib. Sed etſi* (in-
quit) *quibuſdam diebus aut valetudo aut alia juſta cauſa impedimento fuerit,
quò minus ſerviat: & hi anno imputandi ſunt. Servire enim nobis intelligun-
tur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes ſervire propter adverſam vale-*
8 *tudinem impediuntur.* † Atque hoc judicando ſecuta eſt utraque curia
ſuprema Pariſienſis & Tholoſana, uti tradunt Ludovic. Charond.
in reſpons. jur. Gall. lib. 9. *cap.* 24. & Gerard. Maynard. *in quæſt. notabil.
lib.* 3. *cap.* 13. idque contra opinionem Bartoli & Canoniſtarum, adde
9 Joan. Herman. Stam. *dict. tractat. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 8. † De ſalario
porrò advocatorum an in eadem cauſa ſit ut propter hoc pignorare
poſſint quæſitum fuit? Et quamvis civilis ſapientia ſit ſanctiſſima
nec pretio nummario æſtimanda vel dehoneſtanda juxta Ulpian. *in
l.* 1. §. 5. *ff. de var. & extraordinar. cognition.* ac propterea hujuſmodi ſa-
larium potius honorarium quàm merces dicatur, neque idcircò cum
autoramento illo ſervitii rectè comparetur: quia tamen ejus cauſa
non minus quàm illius eſt favorabilis *arg. l. Advocati.* 14. *C. de advo-
cat. divers. judic.* putarem & hic pignorationem rectè admitti. Quod
poſt habitam taxationem vel ex capite debiti liquidi, de quo *in fin.*
10 *hujus art.* non immeritò quoque obtinebit. † Facit præterea quod in
Camera Imperiali pro debito ſalario Monitoria contra clientes olim
decernebantur & adhuc dum executoriales expediuntur Gail. 1. *obs.*
44. *num.* 5. & 6. Rudinger. *ſing. obſervat. cent.* 2. *obs.* 3. Ut omittam
non nemini placuiſſe honorarium advocatorum non minori gaudere
privilegio ac ipſam dotem Mart. Mont. *regn. Arragon. decis* 14. *num.*
19. *vers. Sunt æquè.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Verbum* magenaes *quid denotet.*
2. *Illustratur à loco Ulpiani.*
3. *Verbum* Victus *latiorem habere significationem.*
4. Verteerde kosten *quid.*

1 M*Aegenaes &c.)* † Hoc verbo ex communi usu loquendi, quem sequi oportet juxta Everard. *in loc. legal. ab opinione vulgi*, ea solùm continebuntur quibus homines victitant, id est, esculenta & potulenta, quæ propriè sunt esca stomachi, qua corpora nostra aluntur & sustentantur. Vulgò victualia, quorum similiter appellatione veniunt ea quæ esui ac potui sunt necessaria, non secus ac si cibaria essent legata. Sim. de Prættis *de interpretat. ult. volunt. lib.* 4. *interp.* 1. *dub.* 11. *num.* 43. Anton. Sola *ad consuetud. Sabaud. decret. Census. part.*
2 1. *gloss.* 2. *num* 5. † Et convenit illud Ulpiani *in l.* 21. *ff. de aliment. vel cibar. legat.* dum inquit: *Diariis vel cibariis relictis, neque habitationem, neque vestiarium, neque calcearium deberi palam est. quoniam de cibo tantùm*
3 *testator sensit.* † Unde haud rectè explicaveris per verbum Victus, quod latiorem multò recipit significationem, ut videre est *in l. verbo*
4 *victus.* 43. *&* 44. *ff. de verb. significat.* † Quarum tamen legum bonus omninò est usus respectu ejus quod continuò sequitur in verbis, *verteerde kosten*, id est, *sumptus & impensæ victus ergo factæ ac consumptæ*, quales homini ad vivendum sunt necessariæ, itemque ea omnia quibus tuendi curandive corporis nostri gratia utimur. Facit optimè quod tractat Andr. Alciat. *ad d. l.* 43. *num.* 3. *vers. Sed quid si alicui.*

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Ratio quare ob pecuniam mutuò datam concedatur pignoratio.*
2. *Agitur de mutuò data pecunia, cujus ratione non est confecta scriptura.*

1 GEleent gelt.) † Cum mutuum sui natura sit gratuitum, ut præter alios docet Mozz. *tractat. de mutuo. cap. de substantial. formal. num.* 11. *& cap. de natural. mutui. num.* 18. 19. atque hinc ferè commodo magis accipientis quàm dantis cedat, non immeritò hoc favore prosequimur dantem, ut pecuniam suam alicui mutuò datam per pignorationem, sive via executiva, repetere possit. † Intellige autem hic
2 pecuniam mutuò datam, de qua scriptura non est confecta, quandoquidem aliàs sub iis quæ mox sequuntur comprehendi queat.

Glossa IV.

SVMMARIA.

1. *Pignoratur ob debitum chirographarium agnitum & quare.*
2. *Parata executio jure Saxon. datur ex instrumento privato sigillo debitoris munito.*
3. *Statuta similia.*
4. *Adducitur ratio ex Rebuffo confirmans dispositionem hujus art.*
5. *Deciditur quæstio, an idem sit quo ad effectum pignerationis, si sine debitore cautioni tantùm subscripserint testes præsentes.*

SChuldt by suivere obligatie bekent) ‡ Confessionem in jure factam vim habere rei judicatæ nec aliud post se expectare quàm executionem docemur *l. Post rem judicatam* 56. *ff. de re judicat.* Pari ratione pignoratio hic conceditur ob debitum liquidum in chirographo sive cautione à debitore agnitum. Facit text. *in l. cum fidem* 4. *l. Generaliter.* 13. *C. de non numerat. pecun. arg. l. cum de indebito.* 25. *princip. vers. Sin verò ab initio. ff. de probat.* ‡ Sic etiam jure Saxonico instrumenta
2 privata sigillo debitoris munita & ab eodem recognita, hoc est, ut loquitur Colerus, *non negata sed confessata*, executionem habent paratam, idque non sine ratione à jure communi, ut latè tractat idem

Coler.

3 Coler. *de proceſſib. executiv. part. 1. cap. 3. num. 57. 58. 59. cum ſeqq.* ‡ Si-
milis eſt conſuetudo Aurelianenſis *tit. 21. art. penult.* ubi Pyrrh. An-
gelberm. *in gloſ.* adducendo ex Angel. non diſſimile ſtatutum Italiæ
4 & ſpecialiter Florentiæ. ‡ Sed notabile eſt tum hic tum toto hoc ca-
pite illud Rebuffi, dum inquit: *Ratio eſt cur ab executione incipitur, ne
debitor proceſſu pendente bona conſumat ſua, vel donet, vendat, vel alio diſ-
ponat modo, occultet, etiam ne interim multas ſibi emendicet exceptiones & eas
perperam opponat &c.* tom. 1. ad conſtitut. reg. *tractat. de liter. obligat.
art. 2. gloſ. 1. num. 2.* ubi loquitur de literis obligatoriis ex uſu regni
Galliæ ſigillo regio firmatis. adde eund. *d. tom. 1. tractat. de chirograph.
5 & cedul. recognit.* † Cæterùm quæri poteſt, ubi non ipſe debitor, ſed
teſtes tantùm cautioni ſubſcripſerunt, uti in facto vidi, an quo ad
effectum pignorationis idem valeat? Dubium facit, quod iidem te-
ſtes, utcunque non minus credendi quàm ipſa debitoris ſubſcriptio
Math. de Afflict. *decis.* 104. *num.* 3. non eo minus producendi ſint ac
per hoc judex de veritate cautionis interpoſitæ plenè inſtruendus,
atque id quidem judicii ordine ſervato, antequam ad hoc præpara-
torium executionis deveniatur. Quamobrem conſultiſſimum erit
hoc caſu ipſum debitorem ad debiti in prædicta cautione comprehen-
ſi agnitionem ſive confeſſionem adigere, cujus vi contra illum via
executiva rectè procedetur, uti antè diximus. Quod eleganter con-
firmatur ex iis quæ tractat Math. Coler. *dict. tractat. de proceſſib. execu-
tiv. part. 3. cap. 1. num. 92. cum. ſeqq.* Anton. Maſſa Gales. *tractat. ad
formul. cameral. obligat. part. 3. quæſt. 2. per tot.* adde Joan. Parlador.
rer. quotid. lib. 2. cap. fin. part. 1. §. 5. num. 5.

Gloſſa V.

SVMMARIA.

1. *De duobus quæ hic tractantur.*
2. *Datur pigneratio ſi ex epiſtola, libro rationum utroque tamen à debitore agnito, itemque rationibus putatis, de debito conſtiterit.*

3. *Li-*

3. *Liquidum quid sit,*
4. *Et quomodo hic accipiendum.*
5. *Ex debito conditionali non dari pignerationem.*

1 OF *anders liquid.)* ‡ Duo hinc elicio. Primùm, non solùm ex iis, quas hactenus tractavimus, causis admitti pignorationem, sed & ex aliis non dissimilibus modò liquidis. Alterùm est non sufficere ad hoc, debitum aliquod præcedere, nisi idem sit liquidum. † Igitur, quod ad primum attinet, si ex epistola vel libro rationum, utroque scilicet à debitore recognito, multò magis si ex rationibus utrimque putatis & conclusis de debito constiterit, dabitur similiter ut ex aliis enumeratis pignoratio. Faciunt inprimis ea quæ tractat Joan. Parlador. *rer. quotid. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 5. *num.* 17. 18. 19. 20. *&* §. 6.
3 *num.* 1. † Liquidum porrò oportet esse debitum, hoc est, nullam in se continere incertitudinem *text. in l. Hoc jure.* 10. *ff. de verb. obligat.* sive de quo judici omninò liquet, Andr. Alciat. *ad l. Talam.* 33. *num.*
4 5. *ff. de verb. significat.* † Neque suffecerit hoc casu vulgatum illud, liquidum esse quod sine morosa dilatione probari potest *l. Qui de inofficioso. ff. de inoffic. testamento.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de liter. obligat. art.* 1. *gloss.* 9. *num.* 8. Perinde namque erit sive non sit, sive continuò non liqueat. *l. Duo sunt Titii.* 30. *ff. de testament. tut.* quod egregiè post Bartol. docet Roderic. Suar. *ad leg. post rem judicatam. ff. de re judicat. in declarat. leg. regni* §. *Quartò limita. cum addit. ibid. J. Valdes* Rebuff. *ad constitut. reg. dict. gloss.* 9. *num* 7. Anton. Tessaur. *decis* 26. *num.* 5. Parlador. *dict. cap. fin. part.* 1. §. 12. *limitat.* 4. *cum aliis quàm*
5 *mult.* † Unde nec pignorationi locus erit si debitum sit conditionale, sive tacita sive expressa insit conditio, antequam ea purè extiterit Roderic. Suar. *dict. loc.* §. *Quinto limita ex dictis.* Rebuff. *dict. tractat. de liter. obligat. art.* 2. *gloss.* 1. *num.* 71. *&* 72. Joan. Parlador. *dict cap. fin. part.* 1. §. 12. *limitat.* 5. Illustra denique ex iis quæ tractat Gomez. *resolut. tom.* 2. *cap.* 11. *num.* 30.

ART. 5.

UNd of tegen allet geene voorß. is pandkerung geschiede, sal de verweerder by sittende Gherichte betaeling doen of betaeling bewijsen.

ART. 5.

SIn in prædictis pignorationi interceditur, solvet debitor aut solutionem probabit dum pro tribunali sedent judices.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Intercedens pignerationi aut solvere aut solutum probare debet, & quatenus appellare aut condicere indebitè solutum queat.*
2. *Emphatica esse verba* by sittende gerichte.
3. *Quare hic factæ solutionis prompta probatio admittatur.*
4. *Solutum quid intelligatur,*
5. *Variæ solutionis species inferuntur.*
6. *Moribus de compensatione dubitatur contra juris rationes,*
7. *Iisdem moribus cessat Reconventio,*
8. *Singulare jus Arnhemiensium circa Reconventionem.*
9. *Nihil refert à quo aut cui solutum sit.*
10. *An præter exceptionem solutionis cæteræ omnes à jure Velavico removeantur, quod per distinctionem deciditur,*
11. *Ad cujus normam de similibus tractandum.*
12. *Remittitur pro illustratione hujus art. ad autores aliquot.*

1 ¹QVando pignorationi, quæ ex causis hoc capite memoratis permittitur, interceditur, quod est vulgò, *tegens peindung pantkerung doen*, cogitur is qui intercedit vel se opponit, durante judicum consessu, id est, dum pro tribunali sedent, nihilo minus solvere vel solutum

ſolutum probare: Non denegata interim appellatione, quoad effe-
ctum ſcil. (ut loquuntur) devolutivum non ſuſpenſivum, de qua *infr. cap.* 23. *art.* 2. vel etiam poſtmodum condictione ejus quod indebitè ſolutum conſtiterit, uti ſupplemus ex Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 1. *in fin.* Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 5. *l. Hæc condictio.* 66. *& tot. tit. ff. de condict. indeb.* ‡ Neque otioſa hæc ſunt verba, *by ſittende Gerichte*, quia his ipſis amputatur longa Doctorum altercatio ſuper intellectu verborum, *in continenti, mox, illicò, ſtatim, confeſtim*, de quibus poſt alios Math. Coler. *de proceſſib. executiv. part.* 4. *cap.* 2. ‡ Ratio autem quare factæ ſolutionis prompta probatio hic admittitur, eſt, quod bona fides non patitur ut bis idem exigatur *l. Bona fides. ff. de reg. jur.* ac contra naturalem æquitatem ſit ſolutionis hanc exceptionem removere, cum nemo cum alterius jactura locupletari debeat *l. Nam hoc natura.* 14. *ff. de condict. indeb.* Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom.* 1. *tractat. de liter. obligat. art.* 1. *gloſ.* 9. *num.* 18. Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib.*
4 7. *tit.* 20. *definit* 31. ‡ Cæterùm ſolutum intellige ſi quoquo modo ſatisfactum probatur, habito ſcilicet reſpectu ad ſubſtantiam obligationis *text. in l. Solutionis.* 54. *ff. de ſolut. l. Solutionis.* 176. *ff. de verb. ſignificat. & l. liberationis.* 47. *ff. eod.* Ubi omninò vidend. Gulielm. Forner. &
5 poſt hunc Joan. Goedd. *in commentar.* ‡ Igitur & permutatio. *l.* 19. *ff. de liberal. cauſa.* & Novatio. *l. Liberto.* 21. §. *Lucius.* 3. *ff. de annuis legat.* & delegatio *l. Quamvis.* 8. §. *Interdum.* 3. *ff. ad Senatuſc. Vellejan.* & Compenſatio debitè probata *l. ſi. debitor.* 4. *ff. Qui pot. in pign. l.* 2. *C. de compenſat.* contra pignorationem admittentur. Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 5. §. 11. *num.* 30. Jacob. Cancer. *variar.*
6 *reſolut. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 33. *cum ſeqq.* ‡ Vidi tamen quoad compenſationem moribus noſtris aliquando fuiſſe addubitatum, etiamſi ma-
7 ximè faveant juris rationes. ‡ quibus præterea moribus certum eſt non haberi rationem Reconventionis, ut quæ vel abolita, ut de Saxonum conſuetudine tradit Weſenbec. *paratit. ff. de compenſat. num* 9. *cum aliis*, vel valde reſtricta ſit: ut nihil dicam, quod eadem in cauſis ſummariis & executivis locum non inveniat juxta Bald. *in authent.*

& consequenter. *C. Quomodo & quand. judex. &c.* cum al. citat. à Parla-
8 dor. *dict. loc.* † Unde tanquam singulare notandum est, quod statutum Arnhemiense *art.* 41. reconventione uti permittat adversus peregrinum pignorantem vel eum qui extra istius civitatis territorium de-
9 git. † Nec refert porrò à quo aut cui facta sit solutio, dummodò ex juris præscripto vinculum obligationis tollatur, quod multis modis contingere posse docet *l. Solutam.* 49. *l. dispensatori* 51. *l. solvere.* 53. *ff. de solut.* latè Barnab. Brisson. *tractat. de solut. lib.* 1. Parlador. *dict. loc. part.* 5. §. 17. adde Carol. de Grassis *tractat. de except. ad mater. statuti*
10 *&c. except.* 25. † Sed non inutiliter quæritur, an, præter exceptionem solutionis, & quæ sub ea commode comprehenditur, cæteræ omnes exceptiones contra pignorationem opponendæ hoc statuto penitus removeantur? Placet inprimis Doctorum distinctio, aut hujusmodi exceptiones esse dilatorias adeòque modici præjudicii: aut peremptorias quæ pignorantis intentionem planè elidunt. Priori casu omnes tales exceptiones excludi, altero verò admitti, modò sedente pro tribunali judice legitimè probentur, non secus ac de allegata solutione statuitur. Evincit hoc *art.* 1. 3. *&* 4. *hujus capit.* ubi pignoratio non admittitur nisi instrumenta judicialia jure debito sint confecta, pacta antenuptialia & his similia ritè subsignata aut subscripta, debitaque alia pura & liquida præcesserint. unde consequens fit exceptiones inde proficiscentes, etiamsi sub solutione probata non com-
11 prehendantur, nequaquam removeri. † Juxta quod de cæteris his similibus judicium sumetur, ad quod optimè facit Anton. Sola *ad consuetud. Saband. tit. de ordin. process. caus. instrum. decret. Ad causarum. gloss.* 3. *per tot.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de lit. obligat. art.* 1. *gloss.*
12 9. † Compendio hic studeo, pro instituto, præsertim quod ab aliis felicius præoccupata peti possunt, quæ huic statuto illustrando conducere quis judicabit. Vide igitur, si casus evenerit, tractatum singularem Caroli de Grassis *de exceptionib. ad materiam statuti excludentis omnes exceptiones*, Andr. Rauchbar. *quæst. jur. part.* 2. *quæst.* 25. *num.* 102. Math. Coler. *de processib. executiv. part.* 4. *cap.* 1. Joan. Zanger.
tractat.

tractat. de exceptionib. part. 3. cap. 26. num. 61. cum mult. seqq. & Math. Berlich. *practic. conclus. part. 1. conclus. 84. per tot.*

ART. 6.

MAer Heeren breucken gherichtlick gekent of met recht verwonnen, Heeren guldens, schattingen und andere heeren-penningen worden by den Overpeinder met parate executie ghe-innet.

ART. 6.

VErùm mulctæ dominicæ jure judiciove adjudicatæ, aurei dominici, exactiones publicæ aliique denarii dominici per supremum pignoratorem parata executione exiguntur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Pignerationem differre à parata executione.*
2. *Mulcta fisco adjudicata itemque agnita paratam habet executionem.*
3. *Verba textus*, gerichtlick gekent, *quomodo aliter exaudiri queant.*
4. *Prædictam mulctam de patrimonio principis esse,*
5. *Ea nec agnita nec adjudicata solùm citationem tribuit, quamvis alibi in patria non malè hinc pignoretur.*
6. Heeren guldens *qui.*
7. *Verba textus*, Schattingen ende andere heeren penningen, *quomodo accipienda.*
8. *De tributis, quæ* schattingen, *ubi locus Taciti & Augustini,*
9. *Eorundem varias esse species.*
10. *Plerumque tamen tributum aliud ordinarium aliud extraordinarium,*
11. *Vtrumque parata executione exigitur, ubi diversa consuetud.*
12. *Quid si solutio allegetur, aut aliàs illiquidum ostendatur? quod deciditur.*

13 *Datur tributi indebitè soluti repetitio, de qua nile fuerit in tempore protestari.*
14. *Differentia juris Velavici, Zutphan. & Ruremund. indicatur.*

1 † NOtabis ex hoc articulo, quod suprà quoque §. 1. *gloss.* 2. *in fin.* monere cæpi, consuetudinariam pignorationem, de qua hactenus egimus, differre à parata executione, utcumque quæ de hac tractarunt prudentes ad illius illustrationem rectè subinde traducantur. Hæc namque, parata scilicet executio, sine ullo litis sufflamine, vel, ut loquuntur, absque prævio judicii aliquo introitu realem adfert executionem, non admissa quasi ulla intercessione *art.* 24. *cap.* 14. *infr.* Illa verò (pignoratio scil.) consuetus dicitur judicii ingressus *cap.* 7. *supr.* nec omnem removet intercessionem *tot. hoc cap. passim*, ac proinde est, quod aliquoties antè indicavi, præparatorium potius realis istius exe-
2 cutionis, quàm ipsa executio. † Et subjacet primò paratæ huic executioni mulcta fisco vel officiali, nomine principis, adjudicata juxta ordinem qui traditur suprà *cap.* 2. Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tract.*
3 *de sentent. executor. art. ult. gloss. ult. num.* 3. *vers. Etiam mulctæ.* † Quod si quis verba textus *gerichtlick gekent* intelligere velit de mulcta quam quis se debere confessus est juvabitur *art.* 10. *dict. cap.* 2. qui tam con-
4 fessum quàm judicatum executione comminatur. † Estque hæc mulcta de patrimonio principis ac ob id rectè appellatur *Heeren breucke*, & recensetur à politicis scriptoribus inter minores Reipublicæ reditus
5 Philipp. Hoenon. *disp. polit.* 5. *thes.* 91. † Sin verò nec agnita nec adjudicata fuerit videbitur hujus respectu solùm competere citatio, vulgò *baeding art.* 1. *cap.* 9. *& art.* 2. *&* 3. *cap.* 2. *supr.* etiamsi non absque ratione fuerit, pignorationem potius, vulgò *peindung*, concedere, quò tantò celerius justitiæ publicæ, cujus interest delicta statim puniri, satisfiat; prout hanc isto casu generali quadam consuetudine receptam esse in regno Noviomagensi, superiori ac inferiori Batavia, item inter Mosam ac Vahalim asserunt pragmatici ac attestari vidi, quoad dictũ regnum Noviomagense ac Bataviam superiorem, eorundem locorum

præ-

præfectos *sub annum* 1639. 4. *Maij.* † Deinde in eadem causa sunt aurei dominici, *heeren guldens*, quales intelligo census, pensitationes annuas, aliosque seu specierum seu nummarios principalis domanii reditus à quæstoribus illius quotannis recipiendos, quod largius aliquanto exprimunt Consuetud. Transisul. *part.* 1. *tit.* 6. §. 8. leg. municipal urb. Zutphan. *tit.* 10. §. 7. adde Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 2. Hos Rebuffus *dict. loc.* appellat debitum regium velo levato exigendum, Roderic. Suares *ad l. post rem judicatam. ff. de re judicat notabil.* 3. §. *Addas alium casum contra fiscales debitores &c.* ‡ Denique etiam exactiones publicæ aliiq; denarii dominici nulla præcedente pignoratione paratam habent executionem, quomodo transfero illa verba, *Schattingē ende andere Heeren penningen.* Quorum hoc postremum rectè confertur aureis illis dominicis, de quibus modò dictum, ut ita & aurei & denarii dominici idem ferè denotent ac sub utrisque debitum quodcunque fiscale, vel, ut ita loquar, domaniale non ineptè comprehendatur. † Illud autem (*Schattingen*) propriè spectat tributum, quod cum cæteris fœderatis provincialibus belli contra Hispanos sustinendi vel alterius necessitatis causa bono publico exigitur. De quo apposité usurpaveris illud Taciti *lib.* 4. *hist. Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* & geminum Augustini *lib.* 22. *cap.* 74. contr. Faustum: *Ad hoc*
9 *tributa præstamus, ut propter necessaria militi stipendium præbeatur.* ‡ Hoc tributum, sive hæc exactio publica, non est unius generis ac crescentibus oneribus aliis atque aliis multiplicatur nominibus, sicuti etiam dudum factum est in Gallia & Germania, de quo testatur Pier. Mathieu *lib.* 2. *narrat.* 3. Waremund. ab Eerenberg. *de regni subsid. cap.* 4. *&* 5. & post hos Christoph. Besold. *discurs. de ærar. public. cap.* 4. *con-*
10 *clus* 1. *num.* 2. Phil. Hoenon. *dict disp. polit.* 5. *thes.* 88. ‡ Interim dicere libet, aliud esse ordinarium, quod quotannis si non eadem quantitate, saltem eodem nomine & qualitate recurrit: alterum extraordinarium, quod singularis necessitatis causa superindicitur, veluti nostratibus plus quàm notum est, & faciunt quæ tractat Phil. Hoenon.

dict-

11 *dict. disputat. 5. thes. 90.* † Sive autem sit ordinarium sive extraordinarium, ut ad propositum revertar, utrumque boni publici causa ex hoc text. nullo servato judicii ordine parata executione exigitur, cui similis Reformat. Transisulan. & leg. municipal. urb. Zutphan. *locis supr. citat.* vide decretum Ordinum in comitiis Arnhem. *an.* 1577. Idem obtinet ex edicto Ordinum Hollandiæ, de quo Paul. Merula *in prax. Holland. tit.* 110. *cap.* 1. *num.* 12. *cum. seqq.* probat etiam Bald. *consil.* 434. *incip. licet. vol.* 3. quem sequitur & citat Marant. *Spec. aur. part.* 6. *de citat. num.* 6. Cacheran. *decis. Pedemont.* 86. Flores Diez de
12 Mena *Practic. quæst. lib.* 2. *quæst.* 21. §. 3. *num.* 154. 155. *& seqq.* † Quid autem, ubi solutio allegatur, vel qua alia ratione illiquidum esse docetur, quod ex tributi causa petitur, anne eo non obstante parata tamen executio locum habebit? Et quamvis Cacheran. *dict. decis.* 86. *num.* 6. *&* 7. post alios velit, prætendentem se gravari ejusque causam allegantem oportere audiri ac sic præcæptum, uti aliàs in executione fieri consuevit, resolvi in simplicem citationem, idque æquum videatur: moribus tamen non convenerit, habita ratione ejus quod juxta hunc textum parata hæc executio pertineat ad officium illius qui dicitur *Overpander*, cujusque partes solùm sunt in exequendo absq; ulla causæ cognitione, facit text. *in l. si ut proponis.* 6. *& l. Executorem.* 8. *C. de execut. rei judicat.* Accedente præsertim eo quod semper præsumatur pro Republica & hujusmodi publicis exactionibus, ad exemplum ejus quod de usu regni Hispaniæ notat Flores Diez de Mena *dict.*
13 *quæst.* 21. *num.* 155. *vers. in hoc tamen regno.* † Attamen soluto eo quod petitur non denegabitur ejusdem, si indebitum probetur, repetitio judicialis, de qua in tempore protestari utile omninò fuerit, quod admittit quoque prædictum Ordin. Holland. decretum, Paul. Merula
14 *dict. loc. num.* 25. † Observa demum ab hoc art. videri differre Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 1. *&* 2. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 5. *art.* 1. *&* 2. quæ in hujus generis debitis non paratam executionem, sed pignorationem solùm admittunt.

Cap. XII.

Dat XII. Cap.

Van clacht verburging ende contraverburging der selver.

ART. 1.

EEn yeder dien int syne gewaldt geschiet, of die met woorden ofte wercken aen syn eere, goedē naem und faem te kort gespraecken of gedaen worde, sal daer over voor den Drost ofte Richter gerichtlick mogen clagen, doch alsoo dat hy die clacht verburghe nae behoor.

Caput XII.

De querela ejusque nomine satisdatione directa & contraria

ART. 1.

QVicunque in re sua vis fit, aut verbis factove injuria infertur, eidem liberum erit de hoc judicialiter apud Satrapam aut judicem conqueri, modò querelæ nomine debitè satisdet.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Continuatur tractatus de modo procedendi ex jure Velavico.*
2. *Vis quotuplex itemque injuria.*
3. *Remittitur ad alios qui ex professo materiam injuriarum tractarunt.*

1 † SUccedit jam quintus ac postremus procedendi modus, quo jure Velavico in judicium itur, qui dicitur querela ejusque nomine satisdatio directa & contraria, *Clacht verburging ende contraverburging*, ac locum sibi vendicat quando alicui vis facta aut injuria illata est, *text. hic.* cui non absimilis Reformat. Zutphan. *tit.* 11. §. 11. statut.
2 Arnhem. *art.* 39. † Vis autem (quæ etiam committitur quoties quis

per judicem non repoſcit quod ſibi deberi putat *l. Extat.* 13. *ff. Quod met. caus. l. Non eſt ſingulis. ff. de reg. jur.*) apud juris autores duplex eſt, aut publica aut privata, de qua ſupr. *cap.* 8. *art.* 3. *gloſſ.* 2. & injuria
3 alia realis, alia verbalis *text. hic. & l.* 1. §. *injuriam.* 1. *ff. de injur.* † Cujus materia cum latiſſimè pateat ac à multis magni nominis juriſconſultis ſatis luculenter ſit tractata, malo ad eoſdem remittere, quàm præter inſtitutum brevibus noſtris commentariis ſemel dicta repetere, laureolam, quod dicitur, in muſtaceo quærendo. Videndi tamen poſt alios Math. Coler. *part.* 1. *decis.* 161. Modeſtin. Piſtor. *part.* 3. *quæſt.* 107. cum primis verò *ibid. addit.* Jacob. Schultes, item Matth. Berlich. *practicar. conclus. part.* 5. *conclus.* 59. 60. 61. 62. 63. 64. & 65. qui præcitatos ac alios huc pertinentes magno ſtudio compilavit.

ART. 2.

WElcke clacht by den Lantſchriver ſal worden geregiſtreert, und ſal de Lantſchriver daer wt eene weete maecken, die de Droſt ofte Richter beſegelen ſal, om den geenen, daer over geclaecht is, door eenen gheſworen ghebracht te worden, inholdende mede dat d' injuriant of beclachten binnen de tyt van veertien daghen nae ontfanck des ſelves kome, und van ſynder ſyde oock burge ſtelle, van ten rechten te ſtaen und t' gewijſde te voldoen.

ART. 2.

QUæ querela ab actuario rurali in acta redigetur ac inde ab eodem deſcripta & à Satrapa Iudiceve ſubſignata per juratum inſinuabitur ei de quo quis conqueſtus eſt; cum hoc additamento, ut idem intra ſpacium quatuordecim dierum poſt acceptam prædictam ſignificationem compareat ac ſimiliter à ſua parte ſatiſdet de judicio ſiſti & judicato ſolvi.

ART. 3.

WElverſtaende, dat die geenige ſoo genouchſaem ter plaetſen gheerft und geguedet ſyn die veertiē dagen ſullen genieten und dat anderen voor die clacht

ART. 3.

INtellige tamen iis ſolùm utile fore ſpacium illud quatuordecim dierum, qui eo loci quantū ſatis eſt immobilium poſſident: cæteri

claecht niet genouchſaem gheervet und geguedet weſende van ſtonden aen burge ſtellen moeten.

cæteri autem minus prædiati pro ratione querelæ ſine mora ſatisdabunt.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. Singulariter ex naturâ actionis hic requiritur ſatisdatio ab immobilium poſſeßore.
2. Confirmatur ab exemplo.
3. Specificè hic implenda ſatiſdatio, quia pro forma exigitur.

†TRactatum fuit ſuprà *cap.* 8. *art.* 4. eum ſolùm ad præſtationem idoneæ cautionis teneri, qui in loco ubi convenitur nulla immobilia poſſidet. Hic autem ſingulariter ſtatuitur & immobilium poſſeſſorem oportere ſatiſdare, cum hoc tamen temperamento, ut ille ſtatim, hic verò ſpacio quatuordecim dierum ad hoc obligetur. Quod ex natura actionis, quam querelam nominavimus, manare puto, quæ ad ſui ſubſiſtentiam, ut ita loquar, mutuam requirit ſatiſdationem. † Ita namque *anno* 1599. quidam manifeſtè locuples immobilium poſſeſſor in carcere fuit detentus, donec juxta præceptum hujus ſtatuti idoneè ſatiſdediſſet. id quod obſervavi à bon. memor.
3 parente meo Martino Goris Gelriæ quondam Cancellario. ‡ Accedit quod dicta ſatiſdatio pro forma hic exigatur, adeòque ſpecificè ſit implenda, etiamſi aliquo modo ſupervacua videri poſſet. Facit text. *in l. Ad teſtium* 22. §. *ſi quis* 4. *ff. Qui teſtam. fac. poß.* Bart. & Dd. *in l.* 1. *ff. de liber. & poſthum.* adde Dan. Moller. *Semeſtr. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 1. *vers. Et videbatur. item num.* 5. ubi de ſervanda forma ejuſque effectu ad alios remittit.

ART. 4.

ITem dat een vreemt man met arreſt aengeholden tot burgſtelling ſal mogen worden geconſtringiert.

ART. 4.

ITem quod peregrinus arreſto detentus ad ſatiſdationem adigi poſſit.

ART. 5.

NAe gedaene contreverburging, sal hem by den Drost oft Richter eenen dach van rechten geleit worden tegen den aenstaende gherichte, sonder dat des vals nieuwe citatie gedaen ofte eenigen anderen inganck van recht ghenomen sal derven worden.

ART. 5.

POstquam contrà satisdatum fuerit præfigetur à Satrapa aut judice dies juridicus ad proximè futurum judicium, nec opus erit nova citatione aut quo alio litis ingressu.

ART. 6.

UNd sal als dan in der saecke ghe-procediert und volgens recht ghedaen worden, gelyck nae den teneur vā dese Reformatie eigt und gebeurt.

ART. 6.

AC tum procedetur in causa & jus feretur juxta id quod tenor hujus Reformationis præscribit.

ART. 7.

BY aldien die beclaechde die voorbestemde veerthien dagen moetwillichlick liet voor by gaen, und daer en tusschen niet en compareerde und contra verburging dede, sal die Drost ofte Richter gheholden syn den cleger op syn versuick vorder recht aen te dienen.

ART. 7.

REo præfixum quatuordecim dierum terminum contumaciter negligente, neque interim contrariam satisdationē offerendo sese præsentante, tenebitur Satrapa Judexve actori petenti ulteriorem justitiam administrare.

ART. 8.

THo verstaen, dat den voorß. officier den cleger wederom datelick sal stellen int besit und gebruick van't gene daer van hy met gewelt was ontset, und hem daer in te holden te styven und te stercken ter tyt toe hy met gheboerlick lantrecht daer wtgesleten sy.

ART. 8.

SCilicet, quod prædictus officialis eundem actorem protenus in pristinam possessionem, qua vi ejectus erat, restituet ac in eadem conservabit & tuebitur, donec ex præscripto juris ruralis rursus inde exigatur.

ART. 9.

DAn daer geclaegt sal sijn over injurie met woorden, schrivens, of anders aen gedaen, und dat die belaechde moetwillich als boven uytbleef, sal de Drost of Richter den uytblivenden injuriant nae trachten und hem ter requisitie van den geinjurieerden strengen die gedaene injurie te verbeteren.

ART. 10.

IN welcke beide vallen die geene daer over geclaecht is die gerichtelicke kosten, ter noot by den gerichte te taxieren und te moderiren, geholden sal sijn op te legghen, und daer toe den Heere die breuck te betaelen.

ART. 9.

SIn autem conquestus quis fuerit de injuria verbis, scripto aut qua alia ratione sibi illata, incumbet Satrapæ Judicive reum, si contumaciter emaneat, persequi ac petente læso ad reparandam objectam injuriam adigere.

ART. 10.

UTroque casu is qui accusatur dependet judiciales expensas, à judicio, si opus, taxandas & moderandas, ac præterea fisco debitam mulctam.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Remittitur pro declaratione ad alibi dicta.*
2. *Quid agendum officiali si adversarius citatus nec se sistat nec contrariam satisdationem præstet.*
3. *In causis injuriarum & vis illatæ non servatur processus juris communis,*
4. *Idem fit in Galliis quoad verbales injurias,*
5. *Estque in eo laudabile institutum Reformatorum.*
6. *Eadem cura Noviomagensium, quæ illustratur à textu juris & moribus Atheniensium.*
7. *An ut jure ita moribus injuriarum condemnatus fiat infamis? deciditur.*

 8. Tutius

8. *Tutius est, ne hæc quæstio moveri queat, in ipsa sententia injurianti præservare illæsam existimationem.*

9 *Non cessare petitionem cujusque detrimenti ex L. Aquilia ob mulctam art. hoc statutam in usum fisci.*

1 † NOlo his articulis particulatim immorari, quia alibi tractata sunt quæ iisdem illustrandis faciunt, ac præcipuè declaratur *art.* 8. per
2 ea quæ latè dixi suprà *ad art.* 3. *cap.* 8. † Cuicunque porrò vis facta injuriave illata est, si conqueritur ac eo nomine, prout ex natura actionis oportet, satisdat, nec adversarius facta denunciatione tempore constituto se sistat contrariam satisdationem præstando, pertinet ad officium satrapæ judicisve Veluani vi dejectum restituere ac defendere, donec jure convenienti rursus eiiciatur, injuriarum autem reum persequi & ad illatæ injuriæ reparationem cogere. Utroque præterea & vim & injuriam inferente obligato ad expensas judiciales, mulctamque fisco
3 persolvendam. † Hæc est, ni fallor, mens *art.* 7. 8. 9. & 10. ex qua, ut hoc toto passim titulo, patescit nullo juris communis litigandi ordine servato, abque ullo circuitu ac summariè quodammodo secundum tenorem tantùm Reformationis in hujusmodi causis procedi.
4 † Quod in Galliæ tribunalibus quoad verbales injurias quoque servari testatur Ludovic. Charond. *in pandect. juris Gall. lib.* 4. *cap.* 13. *vers. Quant aux injures verbales &c.* ubi in hanc sententiam recitat res judica-
5 tas diversorum Parlamentorum. † Estque omninò laudabile hoc institutum Reformatorum nostrorum. Nam ut interest societatis humanæ licentiam conviciandi refrenare, ne ex natis dissensionibus seditiones porrò in perniciem Reipublicæ nascantur: ita politicæ prudentiæ est curare, ut, quàm celerrimè fieri possit, judicium super his
6 terminetur ne lites tam perniciosæ fiant immortales. † Eadem fuit cura Noviomagensium in statuto *an.* 1614. super processibus injuriarum. Quò etiam referri potest illud, quod facillimè vel dissimulatione injuriarum actio tollatur *l. Non solum.* 11. §. 1. *ff. de injur.* & mos Athe-
niensium,

nienſium, quo injuria affectus continuò queri tenebatur; poſt temporis
7 alicujus lapſum nequaquam audiendus. † Dignum porrò inquiſitu eſt, an ut jure Romano ſcripto *l.* 1. §. 5. *l. Athletas.* 4. §. *fin. ff. de his qui notant infam. cum ſimilib. Marquard Freher tractat. de exiſtimat acquir. conſerv. & amittend. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 13. ita etiam moribus, infamis fiat injuriarum condemnatus? Et quidem ex verbis iſtis *art.* 10. *und daer toe den heere die breuck te betalen*, quæ poſt reparatam injuriam perſolutaſque judiciales expenſas fiſco etiam mulctam dependi volunt, argui commodè poteſt, auctâ pœnâ, ſcilicet additâ prædictâ mulctâ, infamiæ notam videri remiſſam *arg. l. Quid ergo.* 13. §. *Pœna gravior.* 7. *ff. de his qui notant infam.* Qualiter de moribus Saxonum in ſimili decidit Math. Weſenbec. *paratit. ff. de injur. num.* 18. *vers. An autem ſequatur damnatum infamia*, quem ſequitur Iacob. Schultes *in addit. ad*
8 *Modeſtin. Piſtor. quæſt.* 107. *num.* 17. † Videtur autem tutius, ne hujuſmodi quæſtio moveatur, in ipſa, qua condemnatur, ſententia, ſi res poſtulat, injurianti ſuam præſervare exiſtimationem. Cui licet non ſine ratione, *per text. in l. Non poterit.* 63. *ff. de furt.* obloquatur Zazius *in l. Acta.* §. *de amplianda ff. de re judic.* judiciorum tamen uſui ita placuiſſe tradidere pridem Andr. Gail. 1. *obs.* 65. *num.* 6. 7. & 8. Barthol. Blarer. *in repetit l. Diffamari. in argumento legis num.* 3. Weſenbec. *dict. num.* 18. & complures alii, quos ſequitur, adducta item re judicata Scabinorum Lipſienſium, Math. Berlich. *practic. conclus. part.* 5. *conclus.* 63. *num.* 34.
9 Quos aliquoties reſpondendo de jure ſequutus ſum. † Addo jam, ſtatutâ dictâ mulctâ fiſco perſolvendâ, caſu quo quis ab injuriante debilitatus aut aliter in corpore læſus ſit, non ceſſare ex lege Aquilia petitionem cujuſcunque detrimenti hoc reſpectu illati *per text. art* 3. *cap.* 5. *ſuprà*, uti non diſſimiliter de Saxonum moribus docuere Schneiduin. *tit. Inſtitut. de injur.* §. *In ſumma. num.* 4. & 5. Math. Coler. *de proceſſib. executiv. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 50. *vers. At ſi civiliter.* quos refert & ſequitur Jacob. Schultes *ad dict. quæſt. Modeſt. Piſtor.* 107. *num.* 29. & 30. Et hujus etiam opinionis fuiſſe bon. memor. parentem meum rectè memini.

ART.

ART. II.

Hier is te weeten, of yemant den anderen aen syner eeren ghescholden hadde, und daer by niet en bleve, und men hem nochtans die schelding overwysen konde, dat sulcx sal staen tot erkentenisse des Gerichts.

ART. II.

Scire hic oportet, quando quis honorem alterius læsisse convictus erit nec tamen in eo perseverat, judicantium arbitrio stari.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Non perseverans in prolata injuria arbitrio judicis permittitur,*
2. *Quod in eo versatur, ut pœnitudine ductus ab honoraria & pecuniaria conclusione liberetur, attamen in litis expensas condemnetur.*
3. *Ita aliquoties consului, ubi etiam autores consonantes.*
4. *Additur temperamentum utile.*

1 † QUicunque convictus fuerit alterius existimationem læsisse verbis, quam verbalem dicimus injuriam, de qua præ cæteris Covarruv. *variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 11. *cum not. Vffelii ibid.* etiamsi culpam agnoscat nec in prolata injuria perseveret, non statim erit absolvendus, sed arbitrio judicantium permittetur, quid potissimùm statui debeat.
2 † Quod ut rectè dirigatur, scire interest, injuriarum conventum, si vice omnium exceptionum dicat, nolle à se prolatam injuriam ac actorem pro homine honesto habere, tam ab honoraria quàm à pecuniaria conclusione liberari, condemnato tamen eodem in expensas litis; ne videlicet lubricum linguæ facile ad pœnam trahatur *l. Famosi.* 7. §. 3. *ff. ad leg. Jul. Majestat.* juxta id quod judicatum refert Joan. Papon. *lib.* 8. *tit.* 3. *arrest.* 15. & 16. Quod secuti sunt scabini Mechlinienses, itemque Curia Brabantiæ, uti tradidit Paul. Christinæ. *ad consue-*

consuetud. Mechlin. tit. 2. art. 4. num. 17. † Horum vestigiis bis terve consulendo institi ac pronunciando laudarunt diversa patriæ tribunalia. Convenit Anton. Faber *in Cod. Sabaud. lib. 9. tit. 20. definit. 11.* Iacob. Schultes *in addit. ad loc. commun. Brunor. à Sole verb. injuria. num. 4.* & novissimè, quem post hæc scripta vidi, Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 4. constitut. 42 definit. 11.* † Oportunè tamen monet P. Christinæ. *dict. loc.* habendam esse rationem ejus, quando vilioris conditionis homo virum spectatæ probitatis petulanter injuria aliqua affecit.

ART. 12.

UNd of dat gheschiedt were uyt haestigen moede, of dat die schelder door die weder partije daer toe beweget were worden, daer nae sal t'Gericht dat kennen und richten.

ART. 12.

ET statuet judicium variè prout vel calore iracundiæ hoc acciderit, vel quis ab adversario provocatus huc usque efferbuerit.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Ad arbitrium judicis quoque pertinet, si quis iratus alicui convicium fecerit.*
2. *Quod à juris rationibus varie illustratur, itemque adductis autoribus.*
3. *In eo qui provocatus injuriam intulit magis dominabitur arbitrium judicis, ubi variæ considerationes.*

† SImiliter arbitrio judicantium permittitur, si quis vel calore iracundiæ vel provocatus alicui convicium fecerit, *text. hic.* Quorum eatenus par est conditio, nullâ jure aut consuetudine certâ expressa pœna. † Et si enim iratum delinquentem non omninò excusent *l. si non convicii. 5. C. de injur. l. Lex Julia. 7. §. ult. ff. de leg. Jul. repetund.* ejus tamen in mitiganda condemnatione aliquando haberi rationem

tionem jura non abnuunt *l. si adulterium.* 38. §. 8. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* Quod magis recipitur in casu de quo *text. hic junct. art. præcedent.* quando ex pœnitentia apparet non fuisse animi judicium taliter injuriam intulisse. *l. Quicquid calore.* 48. *ff. de reg. jur. & ibi Dec. num.* 7. & 8. Jul. Clar. §. *Injuria. num.* 16. *vers. licet quandoque.* Anton. Faber *dict. definit.* 11. Stephan. Gratian. *Rot. provinc. March. decis.* 58. quem sequitur & refert Bernard. Grævæ. *pract. conclus.* 106. *considerat.* 1. *num.* 4. *lib.* 2. dicendo convenienter ad hunc locum, in hoc pro personarum qualitate & casuum circumstantiis multùm versari discreti judicis arbitrium. adde
3 Tessaur. *decis. Pedemont.* 178. *num.* 5. *cum seqq.* † De provocato autem (circa quem utrimque Doctores controvertunt, de quo post alios Grivell. *decis. Dolan.* 43. *num.* 13. *cum seqq.*) minor est dubitatio, ut casu eveniente prædominetur arbitrium judicantium. Quorum præcipua potest esse inspectio, an provocatus verbis injuriosis injuriam reposuerit non animo ulciscendi, sed se à crimine objecto purgandi: item, an inter æqualis conditionis homines paria hinc inde convicia in continenti sint prolata: & denique, prodesse quidem præcedentem provocationem ad excusandum atque hinc ad minuendam condemnationem, nequaquam tamen ad absolvendum, quomodo latè & eleganter pro conciliandis discrepantium opinionibus tractat Grivell. *dict. decis.* 43. *à num.* 25. *usque ad fin.* vide Andr. Gail. 2. *obs.* 100. & Bernard. Grævæ. *practic. conclus. lib.* 2. *conclus.* 100. à quo huic illustrando complures peti possunt autores.

Dat

Dat XIII. Cap.	Caput XIII.
Hoe men gereet goet verwinnen undslijten sal.	Quibus modis executioni ac venditioni subjicientur bona mobilia.

Ad rubricam Glossa.

SUMMARIA.

1. *De utilitate & necessitate executionis,*
2. *Cujus materia justo ordine sequitur, ut tamen diversa sit in mobilibus & immobilibus, ubi consuetud. consonantes.*

1 † Xecutionem esse nervum Reipublicæ dixit olim Demosthenes, uti recitat Joan. Bodin. de republ. *lib.* 3. *cap.* 5. & eleganter Joan. Calvin. jurisc. *tractat. de imper. cap.* 8. *tmem.* 2. *num.* 26. *executio.* (inquit) *nihil aliud est, quàm finis, scopus & effectus judiciorum, quem si non assequantur nihil aliud sunt judicia, quàm inania, frivola, ludicra exercitia, & ineptæ σκιομαχίαι ab omni juris fundamento alienissimæ: quippe sine ea, principalia illa juris præcepta & firmamenta, quæ sunt, honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere, planè frigent ac negliguntur.* adde vetus Glossarium, ubi *ex ecutio* dicitur *judicii perfectio & impletio, per quam, quod judex definit, consummationem accipit.*
2 † Ideòque exactis iis remediis, vel actionum generibus, quibus quis adversarium ad judicium experiundi juris gratia trahit, rectissimè *hoc & seq. cap.* aggrediuntur Reformatores materiam executionis, quæ alia est circa res mobiles, alia circa immobiles. Cui non dissimilis Reformat. Zutphan. *tit.* 2. *art.* 7. & 10. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 17. Statut. Noviomag. *art.* 66. *cum seqq.* urb. Zutphan. *tit.* 12. & 13. Arnhem. *art.* 84. *cum seqq.*

ART. 1.

ALs eener heeft doen peinden aen gereedt goet, welcke peindung den gesworen Scholtis ofte peinder toestaet, so sal de eischer de gepeinde panden des anderen daechs voor den Scholt und twe gerichtsluyden opbaeden, und een oordeel vraghen, hoe hy met die panden voort varen sal, aen eenen gerichtsman, die daer op sal wijsen voor recht, dat hy die panden voor drie herbergen ofte by ghebreck van herberghen voor anderer goede luiden huyser veilen sal und den luiden den coop bieden. Vnd sal de Scholt met den gerichtsluiden tuiven tot dat d' anleggher wederom kompt und heeft die panden geveilt: Wien volgens de aenlegger van stonden aen gaen sal, und doen die veylung in maete voorverhaelt: Twelck gheschiedende seggen de herbergiers ofte luiden, neen, sy begeren die panden niet te koopen, dan gestaen der veylung, soo gaet d' anlegger wederom by den scholt und de gerichtsluiden, und segt ick heb de panden gheveilt voor drie herberghen ofte huiseren, dan daer was niemant diese koopen wolde, daerom biede ick u, in stat des Heeren, den koop. De Scholt antwoort: De Heer en wil geen panden koopen, ick geve u den koop van wegen des heeren wederom over. Voort sal

ART. 1.

POst rei mobilis pignorationem, quæ competit prætori aut pignoratori jurato, evocabit actor postridie pignora capta coram eodem prætore & duobus judicialibus rogabitque sententiam, quomodo porrò cum iisdem processurus sit. Ad quod ex jure decernet judicialis, prædicta pignora apud tria diversoria, aut his non existentibus, aliorum honestorum hominum ædes venum esse exponenda ac cuilibet offerenda. Quod ipsum absque mora curabit actor, expectabuntque interim prætor & judiciales donec idem post auctionem habitam revertatur. His peractis, si dixerint pandochei aliive se nolle eadem pignora emere sed paratos esse hujus auctionis testimonium perhibere, redit actor ad prætorem & judiciales, dicendo, apud tria diversoria aut ædes venum exposui pignora neque tamen eorum ullus inventus est emptor, idcircò tibi, vice principis, eadem offero. Prætor respondet, pignora nulla emit princeps, ego verò tibi eadem nomine illius addico. Petet porrò actor à prætore, ut & alteram

sal d' aenlegger aen den scholt begeren, dat hy noch een oordeel bestaede aen eenen gerichtsman, hoe hy met syn gepeinde und ghesleten goet voort varen sal, die daer op wijsen sal voor recht, dat hy den verweerder die weet und loese daer van sal laeten doen und aenbieden. Als dan die weet und loese den verweerder gedaen und also aengebaden is, und hy binnen veertien dagen nae ontfanck der weete niet en queme und beschudden syn ghepeinde goet met gelt of met recht, sal de scholt den aenlegger als dan op syn versueck daer aen heeren und gueden, und sal volgents de selve geslete panden op twee sonnen opgeng und een sonnen onderganck in der herberge of aende kerckhof veilen, und die a'daer ten hoochsten prijse verkoopen: Daer den aenlegger af neemen sal sijne bewijslicke schult und den schade met recht daer by, tot taxatie und moderatie des Gerichts. Liepe daer over dat sal den verweerder te rugge gegeven werden, und ghebraecke daer aen, mach hy voort soecken daer und soo ydt nae recht behoort.

alteram sententiam roget cuiusquam iudicialis, quomodo de re pignorata & prostituta ulterius acturus sit: qui ad hoc ex iure decernet, reo quæ acta sunt esse denuncianda ac eidem reluitionem offerendam. Post quæ præstita, si intra dies quatuordecim ab accepta denunciatione reus rem suam pignoratam nec nummis nec iure defendat, addicet prætor actori petenti ejus plenum dominium. Quibus consequenter idem prætor prostituta jam pignora gemino solis exortu ac unico ejusdem occasu in diversorio aliquo aut apud cæmiterium venalia proponet & pluris licitanti vendet. Unde actor præcipiet quod sibi probabili ratione debetur ac quicquid ejus iustè interest secundum id quod taxabit ac moderabitur judicium. Quod superat reddetur reo, quod autem deficit jure quo & ubi oportet persequetur actor.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Forma executionis hic præscripta necessariò servanda.*
2. *Illustratur à ratione & loco Quintiliani.*

1 † QVemadmodum ſequenti capite decimo quarto quo ad executionem rerum immobilium certus traditur ordo ac forma, ita idem hic in mobilibus fit. Et quamvis utrobique multis ſit implicitum ſolennitatibus, inviolabiliter tamen ſervandum eſt præſcriptum conſuetudinis nec ab eo vel latum, quod dicitur, unguem diſcedendum Bald. Cyn. & Salicet. *in l. Ordo. C. de execut. rei judic.* & hos ſequutus Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom. 2. tractat. de præcon. num. 14.*
2 *& 18.* † Forma, ut loquuntur philoſophi, dat eſſe rei, ideoque liberum non eſt eandem omittere. Quod eleganter expreſſit Quintilian. *Inſtitut. orator. lib. 7. in præfat. Neque enim* (inquit) *quanquam fuſis omnibus membris, ſtatua ſit, niſi collocetur: & ſi quam in corporibus noſtris aliorumve animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium ſit tamen. Et artus etiam leviter loco moti perdunt, quo viguerunt, uſum: & turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipſam rerum naturam ſtare ordine putant, quo confuſo peritura ſint omnia.* Vide quæ notavi ſuprà *cap. 12. art. 3. in fin. gloſſ. & cap. 10. art. 2.*

Gloſſa II.

SVMMARIA.

1. *Prætoris & judicialium interventu opus eſſe, & quare,*
2. *Qui omninò implorandus, & quare.*

1 † EX toto contextu hujus art. apparet tam in accidentalibus quàm ſubſtantialibus (ut ita loquar) executionis faciendæ opus eſſe interventu prætoris & judicialium. Diverſa namque occurrunt roganda præjudicia, tum pignoris capti venditio non à parte ſed ab executore facienda eſt *text. hic* & in *l. 1. & 2. C. ſi in cauſ. jud. pign. capt. l. Ordo. C. de execut. rei jud.* Math. de Afflict. *dec. 358. num. 5.* Ad hæc judex, qui prætor vel *Scultetus* vulgò, pro decernenda executione imploratur, in verbis, *begeren*, item, *opſija verſueck.* neque aliter officium ſuum impertiri ſolet text. *in l. Dies. 4. §. Hoc autem. 8. ff. de damn. infect. l. ſi quis navi-*

navicularius. 2. *C. de naufrag. lib.* 11. † Quod ratione non destituitur, cum de jure creditoris, quod ex facto oritur, eidem nihil constet, antequam demonstretur *arg. l. si putator.* 31. *in fin. l. si ex plagis.* 52. §. 2. *in med. ff. ad leg. Aquil.* Math. Coler. *de process. execut. part.* 3. *cap.* 4.

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Quid agendum antequam mobilia creditori addicantur.*
2. *Denunciatio hîc loco citationis, quæ in executione utilis.*
3. *Exceptiones remoratorias executionis aliquando opponi, quod temperatur dupliciter & rursus declaratur.*
4. *Spacium quatuordecim dierum, de quo hîc, à prætore alterari non posse,*
5. *Aliud in judicio.*
6. *Quod hîc de solutione dicitur cum effectu accipiendum esse.*
7. *Creditore oblatos nummos accipere recusante consignare eosdem debet debitor.*
8. *Declaratur l. 6. §. qui paratus. ff. Quib. mod. pign. vel hypothec. solv. nec sufficit debitorem paratum esse solvere.*
9. *Integrum debitum esse solvendum.*

† Præmissa imaginaria nundinatione, antequam bona mobilia pignorata creditori addicantur, denunciandum erit debitori, quò intra spacium quatuordecim dierum vel solvat vel quo alio jure eadem defendat, quomodo interpretor illa: *sijn gepeinde goet beschudden met gelt of met recht*, junctis verbis, *de weet und loese daer van sal laeten doen und aenbieden.* † Hæc autem denunciatio loco citationis est, quæ etsi secundum quosdam in executione, ut pote judicio summario, quod omisso juris ordine solam facti veritatem exigit Bald. *in c.* 1. §. *investitura,*

num,

num. 3. in fin. de nova form. fidelitat. non videatur necessaria: tamen, cum sit juris naturalis iuventum, rectius adhibetur ex communiori opinione Alexand. *in l. A Divo Pio. §. in venditione. ff. de re judic.* quem sequitur cum alliis Gail. 1 *obs.* 113. *num.* 4. Math. Coler. *dict. tractat de process.*
3 *executiv. part.* 3. *cap.* 7. † Atque hoc quidem magis quod exceptiones (ut loquitur Coler. *dict. loc.*) remoratoriæ vel impeditivæ executionis adhuc dum opponere non sit prohibitum, vel arguente textu *hujus art.* in dictis verbis alternativis, *beschudden met gelt of met recht*, & *art.* 14. *cap.* 14. *infr.* Quod intellige, dummodo hujusmodi exceptiones ipsi sententiæ latæ non repugnant, nec altiorem indaginem requirunt Gail. *dict.* 1. *obs.* 113. *num.* 5. 6. & 11. Marant. *specul. aur. part.* 6. *de execut. sentent. num.* 63. Bernard. Græyæ. *conclus. practic. lib.* 1. *conclus.* 113. *considerat.* 2. ubi complures citat, addita tamen limitatione ex diversis, nisi exceptio illa altioris indaginis factâ executione omninò interiret, adeòq; grave & non reparabile inferret præjudiciũ excipienti Menoch. *de arbitrar. jud. quæst. lib.* 1. *quæst.* 98. *num.* 7. adde quæ notavi suprà *cap.* 11.
4 *art.* 5. *in gloss.* † Datur porrò spacium quatuordecim dierum debitori ut prædictam addictionem evitet. quod dum statuto hic difinitum est nullo modo à prætore, qui executor, alterari potest juxta tradita à Jason. & Alexand. *in l. si convenerit. ff. de jurisdict.* quos sequitur Coler. *dict. tractat. de process. executiv. part.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. utcunque aliàs arbitrarium ex jure sit tempus, quod humanitatis gratia judicatis indulgetur *l. Debitoribus.* 31. *ff. de re judic.* † Quamvis diffiteri nolim ab ipso
5 judicio ex justissima causa posse aliquando modò dictum temporis intervallum prorogari, quò faciunt ea quæ tractat Coler. *dict. cap.* 6. ad
6 quæ, ne longior sim, si casus evenerit remitto. † Illud denique, quod debitor præfinito tempore vel nummis, hoc est, solvendo, vel quo alio jure sæpè dictam addictionem impedire queat, intelligere oportet cum effectu de reali solutione quæ nummos præsentaneos offert, nec sufficere verbis oblationem factam cum fidejussoria cautione certo die solutum iri, quam satisfactionem dicimus. Hanc enim jure manifestum est non admitti ubi solutio desideratur *text. in l. Item libera-*

ratur. 6. §. *Qui paratus. ubi not. Bart. ff. Quib. mod. pign. vel hypothec. solv.*
7 † Sed si creditor fortè morosus oblatos nummos accipere recusat, consilium est ut debitor eosdem deponat & consignet juxta text. *in l. si priusquam.* 8. *C. de distract. pignor. l. Debitoris.* 2. *C. Debitor. vendit. pign.*
8 *imped. non posse.* † Nec obstat *dict. §. qui paratus. in citat. l.* 6. qui innuit sufficere ad liberationem pignoris debitorem paratum esse solvere: Siquidem id locum habet in oblatione judiciali, *not. gloss. & Dd. ibid.* nobis verò hic sermo est de eo qui extrajudicialiter solutionem offert, quo casu renuente creditore necessariam esse depositionem ex modò
9 adductis constat, quò facit etiam *l. Acceptam.* 19. *C. de usur.* † Integrum etiam debitum solvi oportet, quia partis solutio, etiam si exiguum quid desit, pignoris distractionem non impedit. *l. Quamdiu.* 6. *C. de distract. pignor. l.* 2. *C. debitor. vendit. pignor. imped. non posse. l. solutum.* 11. §. 4. *ff. de pignoratit. act.*

Glossa IV.

SUMMARIA.

1. *Pignore rei mobilis addicto procedi ad ejusdem subhastationem, ubi consuetud. consonantes.*
2. *Eamque esse justissimam viam.*
3. *Auctio, licitatio quid.*
4. *Licitator quis dicatur.*
5. *Descriptio subhastationis.*

UND *sal volgens &c.*) † Post addictionem pignorum proceditur ad eorum auctionem publicam, quam & subhastationem appellant, not. Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 2. *tractat. de præcon. in rubric. num.* 5. *&* 6. In quo convenit consuetud. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 17. §. 2. *art.* 4. statut. Noviomag. *art.*68. Arnhem. *art.*86. † Hanc esse justissimam, nec aliam tutiorem aut securiorem viam prodidit post alos Joan. Papon. *lib.* 18. *tit.* 6. *arrest.* 1. Facit. *l. si pignora.* 50. *ff. de evict. l.*

cum in causa. 2. *C. si in caus. jud. pign. capt. sit.* latè Math. Coler. *tractat. de processſ. execut. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 72. *cum seqq.*
3 † Dixi auctionem, quæ vox ab augendo deducitur, ob id quod alter altero majus pretium offerre potest, idem quod licitatio, de qua *in l. Locatio.* 9. *& ibi Bart. ff. de publican.* Rebuff. *dict. loc. num.* 5. *&* 7. & hinc textui nostro apprimè congruit in verbis: *und die aldaer ten hooghsten prijse verkoopen.* Budæ. *in forens.* & post hunc Rebuff. *auctionem vincere, superare, est majus pretium in licitatione offerre.*
4 † Licitator autem qui pretium in licitatione auget & offert, Gallis vulgò, *le dernier encherisseur*, nobis, *de meest biedende*, vel
5 etiam, *den hooghsten verdeurder.* † Confer *l. si tempora.* 4. *C. de fid. & jure hast. fiscal. lib.* 10. ubi Joan. Plat. inquit, *subhastationem esse tractatum quendam contractus habendi cum incerta persona, ut intra tempus hastæ publicæ quilibet plus offerens admittatur.* Vide omninò Pyrrh. Angelberm. *ad consuetud. Aurelian. tit.* 20. *cap.* 8.

Glossa V.

SVMMARIA.

1. *Post subhastationem quomodo creditori satisfiat.*
2. *Non solùm de debito sed omni justo dispendio eidem satisfaciendum.*
3. *Imò de omni eo quod interest, quod diversimodè considerandum, ut apud citatos autores.*
4. *Moribus Gelriæ antiquissimis non deberi usuras ex simplici obligatione, quod hodie variat in multis patriæ locis, ubi quædam illustrandi gratia.*
5. *An debitor partem pignoris quà pluris venditum est redimere queat?*
6. *Si vendito pignore quid dificit, non prohibetur creditor ulterius experiri.*

Daer

1 DAer den aenlegger &c.) † Peracta subhastatione & hoc modo debitoris re mobili pluris offerenti vendita ex pretio inde redacto satisfit creditori de debito suo probabili ac omni justo dispendio arbitrio judicis æstimando. Quod autem superat redditur eidem debitori, sin verò quid deficit liberum est creditori illud jure concesso persequi. Cui non dissimile est quod tractat Math. Coler. *tractat. de pro-*
2 *cessib. executiv. part.3. cap.9. num.89. & 97.* † Dixi creditori non solùm satisfieri de debito sed & de omni justo dispendio, ex verbis, *und den schaden met recht*, quibus significantur impensæ tum executionis tum solemnitatum circa eandem ex hoc statuto adhibitarum. Facit quod tractat. Anton. Fab. *in Cod. Sabaud. lib.8. tit.17. definit.30.* † Quin
3 & usuram, vel potius id quod interest, accedere oportere constat *arg. l.2. C. debitorem vendit. pign. imped. non posse.* Quod quidem cum sit interesse, ut loquuntur, vel damni emergentis vel lucri cessantis idque diversimodè consideretur, malo, ne longior sim, peti ab Alexand. Trentacinq. *variar. resolut. lib.1. resolut. de interesse pag. mihi* 202. Gail. 2. *obs.* 6. Bernard. Græv. *practic. conclus. lib. 2. conclus.6.* ubi plures
4 adducit. † Notandum tamen moribus Gelriæ antiquissimis ex privato chirographo sive, ut vocant, simplici obligatione præter sortem non deberi id quod interest: Cui favet textus juris Canonici *in c. fin.* 14. *quæst.3.* itemque ratio juris civilis, quod dum mutuum re contrahitur ultra id quod re vera datum aut numeratum est nemo obligetur *l. Cum ultra.* 9. *C. de non numer. pecun.* Atque hoc quibusdam in locis adhuc dum servatur, alicubi verò in desuetudinem abiit, alibi etiam non debetur nisi quis sua stipulatione cum sorte & usuras sive id quod interest complexus sit. Videndus omninò pro eleganti declaratione
5 Joan. Grivell. *decis Dolan.92.* † Secundum in hoc textu est, ut quod ex pretio rei venditæ, postquam satisfactum est creditori, superat debitori reddatur, id. Coler. *dict. loc.* & facit *l. Eleganter.24. §.2. ff. de pignoratit. act.* Cujus occasione quæras, an debitor partem pignoris qua pluris venditum est redimere possit? Et non posse statutum hoc innuit, cum vult superfluum pretii eidem tantum restitui, facit. *l. fin. C.*

 de

de distract. pign. l. Quamvis. 6. §. ult. ff. de pignoratit. act. Neque enim pignus quod ritè distractum est revocari permittitur. *l. si priusquam. 8.*
6 *C. d. tit. de distract pign.* † Tertium denique est, ut, quemadmodum debitori superfluum restituitur, ita & creditori super eo quod deficit ulterius experiri liceat. Siquidem jure cautum sit ex necessitate factam venditionem non liberare debitorem, nisi quatenus omninò satisfactum est *l. Quæsitum. 9. ff. de distract. pign. l. Hypothecis. 3. l. Quæ specialiter. 9. C. eod.*

ART. 2.

BY aldien die verwonnen und gesleten panden in maniere voorss. geveilt sijnde niet en konden verkoft worden, Soo sal de Scholtis met toedoen van twee of drie bequame Gerichts-luiden die panden in alle redelickheit und daer voorse hunluiden selfs dienē sollen weerdieren, und die den crediteur voor sulcken prijse overgeven, des sal de crediteur sijne gekofte panden binnen tijt van acht dagen niet vervreemden, op datse daer en tusschen by den schuldenaer, soo hy wil, geredimiert mogen worden und langer niet.

ART. 2.

SI pignora capta & prostituta modo præscripto venum exposita emptorem nullum inveniunt, æstimabit eadem æquo pretio, ac quo sibi empta vellet prætor, assumtis ad hoc duobus aut tribus idoneis judicialibus, transferetque ita in creditorem. Statuitur autem eidem creditori octiduum intra quod empta pignora non alienabit, quò debitori interea facultas sit eadem redimendi.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Declarantur verba textus,* niet konden verkoft worden, *& quomodo eadem ex jure intelligenda.*

2. *Quid*

2. *Quid si emptor rei subhastatæ ultra dimidium deceptus fuerit, an locus sit remedio* l. 2. C. de rescind. vendit.

BY *aldien die verwonnen &c.*) ‡ Si pignora modo prædicto subhastata vendi non possunt, inquit textus, id est, sive emptorem non inveniunt, sive talem qui justum pretium non offert, paria namque illa judicantur. *l. Cum in causa.* 2. *C. si in caus. judicat. pign. capt. sit & ibi Bald.* Math. de Afflict. *decis.* 358. *num.* 6. quem sequuntur Dan. Moller. *Semestr. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 2. Joan. Parlador. *rer. quotid. lib.* 2. *cap. fin.* §. 17. *num.* 24. qui & ibid. quoque adducit. *l. si deserta.* 2. *C. si propt. public. pensitat. vendit. fuerit celebrat.* ‡ Quid autem, si emptor rei subhastatæ ultra dimidium deceptus fuerit, dabiturne eidem remedium l. 2. C. de rescind. vendit. item si minor se læsum probet, aut vitium quodcunque celatum sit, jurene agi poterit? Vide quoad primam quæstionem Louet *in arrest. lit.* D. § 32. & Math. Berlich. *decis.* 126. quo ad secundam autem eund. Louet. *dict. loc.* Math. Berlich. *decis.* 113. & Christoph. Besold. *vol.* 3. *cons.* 139. Neque enim meliora adferre præsumo.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Nullo invento emptore addici pignus creditori,*
2. *Idque ex necessitate.*
3. *Præcedit tamen æstimatio, & quare,*
4. *Neque hac æstimatione liberatur debitor à solvendo residuo.*
5. *Æstimatores an jurati exigantur.*

1 SOo *sal de scholtis met toedoen &c.*) ‡ Nullo aut non idoneo, prout antea declaravi, invento emptore addicitur pignus creditori, quò facit. *l. A divo Pio.* 15. §. *si pignora.* 3. *ff. de re judic. l fin. C. si in causa judic.*
2 *pign. capt. sit.* ‡ Quod etsi huic durum videri possit, necessitatis tamen

 ratio-

rationem, etiam non ſcripta hac lege, eòdem cauſam tandem perducturam eſſe agnoſcere debet, prout inquit Imperator *in Novell.4. de fidejuſſorib. cap. Quod autem. 3.* Confirmat latè & eleganter Jacob.
3 Schultes *in practic. quæſt. ſuis quæſt.42. per tot.* ‡ Cæterùm cautè additur præmitti oportere juſtam prætoris & duorum triumve judicialium æſtimationem, nec aliter niſi ita æſtimatum in ſolutum dari, facit Math. de Afflict. *decis.358. num.5. vers. Quarta ratio.* Foret namque tam creditoris quàm debitoris reſpectu valdè iniquum, pignus non æſtimatum addicere, quamvis non nemo hoc voluerit, quod rectè con-
4 ſideravit Math. Coler. *de proceſſib. executiv. part.3. cap.9. num.96.* ‡ Quod ſi autem æſtimatum pro debiti quantitate non ſuffecerit haud liberabitur debitor à ſolvendo reſiduo creditori *arg. l. Incivile. 4. C. de bon. autoritat. jud. poſſidend. l. fin. C. de jure domin. impetrand. junct. l. Adver-*
5 *ſus. 10. C. de obligat. & act.* poſt alios à ſe citat. Ioan. Koppen. *in decis. quæſt.55. num.18.* ‡ Sed quæritur æſtimatores an jurati eſſe debeant, an verò injuratis ſit credendum? Requirit hic articulus judiciales, quos vocat *gerichtsluiden:* Hi quidem ſi ſunt judicii aſſeſſores, non niſi præſtito juramento ad hoc officii admiſſi, durum fuerit eoſdem ſingulis ſubhaſtationibus ad novum juramentum adigere: Sin autem ſint alii, de credulitate ſaltem jurare debent, adeò ut hoc juramentum à partibus remitti non poſſit Bart. *in l. Hac edictali. §. his illud. C. de ſecund. nupt.* per *text. l. comparatio. §. omnes autem. C. de fid. inſtrum.* Jaſ. *in l. Admonendi. num.198. ff. de jure jurand.* quos cum Molinæo ad conſuetud. Pariſiens. citat & ſequitur Dan. Moller. *Semeſtr. lib.1. cap.10.* ubi addit ſæpius judicatum, æſtimationes à non juratis factas irritas eſſe ac denuò à juratis faciendas.

Gloſſa III.

SVMMARIA.

1. *Octiduum præſtituitur redemtioni pignoris.*
2. *Quod tempus in jure longius conſuetudine tamen coarctari poteſt.*

Des

DEs *sal de crediteur, &c.)* † Datur debitori octiduum intra quod pignus modo quo diximus addictum redimere poterit, adeò ut creditori liberum non sit illud alienare nisi prædicto temporis spacio elapso. Hoc est quod inquit *l. fin.* §. 3. *vers. & postquam. C. de jure domin. impetrand.* quod pietatis intuitu habeat debitor in suam rem humanum regressum. † Ubi quidem non octiduum sed biennium ad hoc præstituitur, quod tamen tempus statuto vel consuetudine aut coarctari, ut hic, aut prorogari potest, ac prout obtinuerit servari omninò debet juxta Bald. *in. l. 2. §. si absens. ff. si ex noxal. caus. agat. per gloss. in dict. l. fin. verb. recuperare.*

ART. 3.

ITem men sal voor schade und' schuldt eerst spreecken op die gerede goederen ende die verwinnen ende slijten, eer men tot den erfgrondt komen mach.

ART. 3.

ITem damni ac debiti nomine primò agendum erit in bona mobilia ac eorundem facienda executio, antequam ad immobilia procedere licebit.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Ordo exequendi hic idem, qui de jure præscribitur.*
2. *Simile jus Saxon.*
3. *Qui tamen ordo non in realibus sed personalibus actionib. servatur,*
4. *Nec ullatenus omitti aut perverti debet,*
5. *Si tamen fiat, nec debitor oppouat exceptionem, tenet quod actum est.*
6. *Consuetudines huic art. similes,*
7. *Alia contraria. & num. 8.*
9. *Quatenus fieri possit executio in id quod debitori meo debetur, tractatur remissivè.*

†Ordo

1 † ORdo exequendi, ut à mobilibus primùm omnium incipiatur, hoc loco præscriptus planè est ad normam juris Romani, de
2 qua *in l. A divo Pio. 15. §. in venditione. 2. ff. de re judicat.* † Cui etiam convenit jus Saxonicum, de quo Benedict. Carpzov. *ad constitut. electo-*
3 *ral. Saxoniæ part. 1. constitut. 32. def. 10.* † Intellige tamen hunc ordinem non in realibus sed personalibus tantùm actionibus servari juxta Salicet. *ad l. Nomen. 4. C. quæ res pign. oblig. poss.* Paul. Merul. prax. Holland. *lib. 4. tit. 95. cap. 2.* & facit *cap. Quoniam frequenter. 5. §. ult. vers. si autem super personali. extr. ut lit. non contest. non proced.* videturque item ita sentire Nic. Burgund. *ad consuetud. Flandr. tractat. 3. num. 3.* Idcircò notanter usi sunt Reformatores in textu verbis, *voor schade und schuldt*, cum utriusque tum damni illati tum debiti respectu propriè non nisi personalis actio nascatur. Accedit quod hoc & sequenti capite separatim tractatur de executione cui vel personalis vel realis impetitio cau-
4 sam fecit. † Et an hic ordo negligi possit supervacuum est quærere, quandoquidem textus hic satis significanter inquit, *eer men tot den erfgront komen mach*, id est, *antequam ad res soli devenire permissum est.* Cui non dissimile quod habet *d. l. A divo Pio.* nam à pignoribus soli (inquit) initium faciendum non est. Estque aliàs communis sententia prædictum ordinem perverti non posse, quia pro forma exigitur, qua non observata actus omnis vitiatur latè Math. Coler. *tractat. de process. executiv. part. 3. cap. 9. num. 16. & 17.* Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib. 4. cap. 16. vers. forma exequendi.* adde Paul. Christin. *ad consuetud. Mechlin. tit. 13.*
5 *art. 28.* † Si tamen inverti hunc ordinem contingat nec debitor de informalitate executionis opponat, valere id quod actum est rebus aliquot judicatis confirmat idem Christin. *decis. Cur. Belg. vol. 1. decis. 189. num. 5. & 6.* adductis etiam juris rationibus non contemnendis, quæ ibidem videndæ. Neque malè usui nostro practico convenit, quia sæpè observatum est parte non opponente obtinuisse id quod aliàs in
6 nihilum cecidisset. † Huic porrò articulo similes sunt consuetudines tetrarchiæ Ruremundanæ, Transisulaniæ, urbis Ultrajectinæ & vicinarum provinciarum pleræque aliæ, uti ex harum diversis statutis colligere

ligere licet. ‡ Cui contrarium ſervatur in Gallia, ut liberum cuique ſit omiſſis mobilibus executionem inchoare ab immobilibus, quod teſtantur Gerard. Maynard. *notabil. quæſt. lib. 7. cap. 73. num. 1.* Joan. Papon. *lib. 18. tit. 5. arreſt. 43.* Guid. Papæ. *decis. Delphinal. 281.* & complures alii citati *in addit. ad dict. arreſt. 43. Joan. Papon.* ‡ Nec diſſentiunt mores & ſanctiones aliquorum tribunalium in hoc Belgio aſſerente Petr. Gudelin. *de jure noviſſ. dict. cap. 16. lib. 4. vers. Mores.* ‡ An autem & quatenus fieri poſſit executio in id quod debitori meo debetur, ſeu in nomen debitoris mei, ſi caſus evenerit, rectè tractabis ex iis quæ tradunt Roderic. Suarez *ad leg. poſt. rem judicatam. pag. 666. §. Secundò quæro.* Math. Coler. *poſt Rebuff. tractat. de proceſſib. executiv. part. 3. cap. 8. num. 35.* Math. Berlich. *practic. conclus. part. 1. conclus. 70. num. 37.*

ART. 4.

UNd om te ſchutten ſchade ende onkoſten, ſoo ſal men levendige have und etende panden laten op de ſtede daer menſe heeft doen peinden hent de veerthien dagen der beſchudding omgekomen ſijn, Vnd ſoo yemandt ſulcke gepeinde panden verbrochte of dede verbrengen, die ſal daer aen wille und gewalt bedreven hebben ende tot des Heeren ſtraff ſtaen.

ART. 4.

AD evitandum autem damna ac ſumptus relinquentur mobilia viventia & pignora manducantia in loco ubi eorum facta eſt pignoratio, donec tranſierint dies quatuordecim defenſioni præſtituti. Quiſquis præterea ejuſmodi pignora capta avertit aut averti curat vim violentiamque commiſerit ac pænas principi dabit.

Gloſſa I.

SVMMARIA.

1. *Debitoris & creditoris intereſſe ne nimiis expenſis pignora capta onerentur.*
2. *Mobilium appellatione & moventia contineri.*

 ‡ Debitoris

1 † DEbitoris & creditoris intereſt ne nimiis expenſis pignora capti onerentur. Hujus quidem ut tantò promptius & certius de debito ſibi ſatisfiat: illius verò ne facultatibus magis denudetur. Ideoque rectè hic ſtatuitur ut ſumptuum evitandorum gratia animantia pignorata loco non moveantur, quod iiſdem verbis repetit Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 9. Animantia intelligo quæ in textu dicuntur *levendige have und etende panden*, id eſt, mobilia vita prædita & pignora man-
2 ducantia. † Ac ita bonorum mobilium appellatione, de quibus *art. præcedenti*, & moventia, de quibus *hic*, omninò comprehendentur, quod etiam ſatis eleganter confirmat. *l. Moventium*. 93. *ff. de verb. ſignificat.* Ubi Andr. Alciat. inquit: *Licet moventia activam ſignificationem reſpiciant, ſicut mobilia paſſivam, tamen pro eodem accipiuntur, niſi aliter de mente conſtet.* Addè perquàm ſcitè *d. l.* 93. tractantem Gulielm. Forner. in commentar.

Gloſſa II.

SVMMARIA.

1. *Similis huic conſuetudo Turonenſis adducitur cum declaratione Joan. Sainſon.*
2. *Remittitur porrò ad ea quæ alibi tractavi.*

1 UNd *ſooyemant &c.*) † Huic ferè geminum eſt illud quod habet conſuetudo Turonenſis *tit.* 25. §. 2. *Pour ſaiſie briſee y a d'amende ſoixante ſolz.* Ubi in commentar. ſuis Joan. Saiſon. cujus gloſſam, cum ad declarationem hujus textus faciat, hic adſcribere viſum eſt: *Hic vides* (inquit) *quod non eſt violandum judicis ſayſimentum. cavetur enim ſemper judicis autoritati. nam reverentia quæ debetur magiſtratui eſt de jure quaſi naturali Jaſon. in. l. venia. C. de in jus vocand. Non eſt ergo mirandum, ſi ob infractionem ſequeſtri imponatur mulcta, cum videatur tunc contempta judicis autoritas. Et ſcitis quod judex habet multa remedia tam contra contumacem quàm inobedientes, ut per Bart. in l. unic. ff. ſi quis jus dic. non obtemper. & in*
2 *l. magiſtratibus. ff. de juriſdict. omn. jud.* † Hactenus Sainſon. cui jungenda

genda quæ tractavi olim in commentariolo ad *l. Observandum.* 19. *ff. de offic. præsid. sup. verb. sed. contemni non patiatur.*

ART. 5.

HIer is te weeten dat de executie van gereet goet sonder oppositie van partijen verwonnen sijnde, ofte daer verwillekeuring van verwonnen panden geschiedt sy, den scholten competiert, Maer daer pandtkerung gevallen und sententie op gevolget is, daer gebeurt d' executie den overpander.

ART. 6.

DAer oock pandtsterckung op gereet goet by partijen verwillekeurt is, staet die executie van gelijcken by den overpander.

ART. 7.

ALsoo men bevindt by misbruick in te rijten ende in swanck te gaen, dat tegens peindung op sterckung, als oock tegens sententien tusschen peindung und pandkerung gewesen und by den overpander te executeren, pantkerung voorgenomen wort contrari den olden wel hergebrachte gebruick van Veluwe, waer door des Heeren hoocheit gekrenckt und partijen op de lange baene van procediren gebracht worden, Sal van nu voortaen niemanden geoorlost sijn tegens peindung op sterckung noch oock tegens sen-

ART. 5.

SCire hic oportet, executionem rei mobilis, quando vel nulla partium facta est oppositio vel ex instrumento guarentigiato agitur, competere prætoribus: At ubi pignorationi intercessum sententiaque sequuta est supremi pignoratoris est exequi.

ART. 6.

PErtinet similiter executio ad supremũ pignoratorem, quando circa res mobiles inter partes convênit de novissima pignoratione.

ART. 7.

QUoniam compertum est abusu quodam contra antiquam consuetudinem Velaviæ irrepere ac invalescere, ut intercessionibus utantur tam contra pignorationem novissimá quàm sententiam latam inter pignorationem ejusq; oppositionem, quorum executio ad supremum pignoratorem spectat (unde majestatem principis lædi ac litigantium causas in longum extrahi contingit) nulli in posterum licebit istiusmodi pignora-

ſententien geweſen wie voorß. ſich met pandtkerung te behelpen, dede yemant daer en boven, und dat het Gericht erkende eene quade pandtkerung gedaen te ſijn, die ſal daer voor geſtraft ofte gebreuckt worden, wie van oldts gewoonlick, te weeten aen lijf of goet.

gnorationi noviſſimæ aut ſententiæ prædicto modo latæ intercedere, ſub pœna antiquitus conſueta aut corpori aut bonis infligenda, modò habita judiciali cognitione dictum ſit malè fuiſſe intercesſum oppoſitumve.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Contra fruſtratores qui ſubterfugiis executionem eludunt,*
2. *Illuſtrandi gratia adducitur elegans locus ex Caſſiodoro,*
3. *Item ex Horatio.*
4. *Quomodo Curia Pariſienſis condemnaverit tergiverſantem parerere rei judicatæ.*

1 † ART. hoc ſeptimo & ultimo juſtiſſimè inſurgunt Reformatores, cum comminatione pœnæ à judice infligendæ, adverſus fruſtratores qui diverſis ſubterfugiis rei judicatæ vel quaſi executionem eludunt. Eſt enim *maximæ impudentiæ*, quod ait Cicero in orat. pro
2 Cluentio, *rem judicatam labefactare conari.* † Et appoſitè Theodoricus Gothorum rex apud Caſſiodorum *variar. lib.* 1. *cap.* 5. *In immenſum* (inquit) *trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur diſcordantibus pax, ſi nec legitimis ſententiis acquieſcitur? Vnus enim inter procellas humanas portus instructus eſt, quem ſi homines fervida voluntate prætereunt, in undoſis jurgiis*
3 *ſemper errabunt.* † Atque hoc genus hominum ab Horatio *lib.* 2. *ſatyr.* 4. Protheo comparatur dum inquit:

Effugiet

Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Protheus,
Cum rapies in jura malis ridentem alienis.
Fiet aper, modò avis, modò saxum & cum volet arbor.

4 † Qualem aliquando Curia Parisiensis, dum nulla habita ratione latæ ab ea sententiæ varia subterfugia & dilationes quæreret, condemnavit in mulctam centum librarum Parisiensium, & ut in carcere detineretur donec prædictæ sententiæ integrè paritum esset. Refert Joan. Papon. *lib.* 18. *tit.* 5. *arrest.* 42.

Dat XIV. Cap.

Hoe men op erfgueder procediren und die verwinnen sal.

Caput XIV.

Quibus modis processus & executio dirigetur in bona immobilia.

Ad rubricam Glossa.

SVMMARIA.

1. *Verbum,* erfgueder, *quid denotet.*
2. *Feuda etiam subjecta sunt distractioni prætoris municipalis, & quando:*
3. *Et cæteris bonis deficientibus executio in eadem rectè dirigitur, impetrato ad hoc consensu.*



Ost tractatum de executione in res mobiles succedit nunc de processu executionis rerum sive bonorum immobi-
1 lium. † Hoc denotat vox, *erfgueder,* quæ quidem propriè significat heredium sive bona hereditaria, id est, patrimonia quæ vel ex ascendenti vel descendenti vel transversali linea ad nos pervenerunt, ac opponuntur iis quæ industria nostra

ſunt acquiſita, ut tractat Cothman. *conſil.* 40. Apud nos tamen ut plurimùm, quod ad juris conſtitutionem ſufficit *l.* 3. 4. 5. *&* 6. *ff. de legib.* indicat bona cujuſcunque generis immobilia, ſive ea hereditaria ſive acquiſita fuerint, idque per excellentiam fortè, quod frequentius, quàm mobilia, quæ viciſſitudini alienationis magis ſunt obnoxia,
2 hereditate delata transferantur ad heredes. † Nec intereſt ſintne allodia an feuda, quia & hæc pignorationibus ac diſtractionibus prætoris municipalis ſubjecta ſunt, modò præcedente domini beneficiarii conſenſu obligatio iis ſit inducta, quod docuit Frederic. Sand. *comment.*
3 *ad conſuetud. feudal. Gelr. tractat.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 2. *num.* 8. † Imò etiam nulla ſpeciali feudi obligatione præcedente, ſi reliqua bona creditoribus non ſuffecerint, ex quocunque debito, impetrato domini conſenſu, illud in cauſam executionis capi, non habita ratione vaſalli ſe opponentis tradit idem Sand. *dict. cap.* 4. §. 3. & memini aliquoties in comitiis ad petitionem quorundam creditorum ab Ordinibus Gelriæ fuiſſe indultum.

ART. I.

IN den eerſten, ſoo wie renten uyt eenich erf und goet jaerlicx geldende heeft, daer in den rentbrief meer onderpanden als een benoemt ſtaen, die is geholden ſijn eerſte genoemde onderpandt eerſt te vorderē und te verwinnen, und ſo veern het onderpandt voor ſijn achterſtedige rent und den ſchade met recht niet genouchſaem were, ſoo ſal hy voort op de anderen procediren mogen, wie nae Lantrecht gebruickelick is, niet tegenſtaende in brief und ſegel anders mocht overgegeven ſijn.

ART. I.

PRincipiò cuicunque ex re aliqua immobili annui reditus debentur, ac horum reſpectu in ipſo inſtrumento complures deſignatæ ſunt hypothecæ, is earundem primam ordine petere ac excutere tenetur. Quæ ſi pro penſionibus ceſſis ac omni juſto damno non ſufficit, liberum erit ad cæteras hypothecas progredi, juxta id quod jure rurali uſitatum eſt, etiam ſi contrarium in literis ſigilloque conveniſſet.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Notatur differentia juris communis & Velavici.*
2. *Ordo scripturæ quomodo operetur.*
3. *Speciali certæ rei & generali omnium bonorum obligatione intercedente ab illa potius incipiendum in executione.*
4. *Adducitur similis consuetudo Mechliniensis.*

IN *den eersten, soo wie renten &c.)* † Nota est Modestini jurisc. sententia in *l.* 8. *ff. de distract. pignor.* creditoris arbitrio permitti, ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit, distractis, ad suum commodum pervenire. Cujus contrarium hic statuitur, quod scil. possessor annui reditus ex pluribus hypothecis in uno instrumento nominatis primam ordine excutere teneatur, ac eâdem non sufficiente ad cæteras demum progredi possit. † Et sic vides ordinem scripturæ hoc loco multum operari, qui aliàs rei substantiam nullo modo mutare dicitur, ut tractant communiter Dd. circa intellectum *l. Quamvis.* 2. *C. de pignor.* † Multò magis speciali certæ rei & generali omnium bonorum obligatione intercedente, hac suspensa ab illa primùm omnium incipiendum erit, ut est etiam ex textu *d. l. Quamvis.* & opinione Didac. Covarruv. *variar. resolut. lib.* 3. *cap.* 18. Alexand. Trentacinq. *resolut. lib.* 3. *tit. de pignor. resolut.* 5. Mynsing. *cent.* 6. *observat.* 94. ac complurium aliorum quos citat & sequitur Joan. à Sande *decis. Fris. lib.* 3. *tit.* 12. *definit.* 26. novissimè Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 2. *constitut.* 23. *definit.*
4 29. † Variat consuetudo Mechliniensis *tit.* 13. *art.* 31. quæ habet ex versione latina Petr. Nannii, *quod creditor qui plures fundos æquè principaliter sibi pignori obligatos habet, omnes in sua deductione comprehendet, nisi eam frustra facere velit.* vid. ibid. Paul. Christin.

Glossa.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Prima hypotheca non sufficiente haud prohibetur creditor ulterius progredi.*
2. *Primò nominatam hypothecam in dubio præsumi sufficientem.*

1 UNd *soo veern het onderpandt &c.)* † Utcunque scripturæ ordinem in excutiendis pluribus hypothecis uno instrumento comprehensis sequi necesse sit: non tamen prohibemur prima hypotheca non sufficientie ulterius progredi donec plenè satisfactum fuerit. Hoc quasi sentit Ulpianus *in l.* 19. *ff. de pignor. Qui pignori* (inquit) *plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto universò quantum debetur.* & facit *d. l. Quamvis. cum scribent. ibid. C. de pignorib.* Boer. *decis.* 309. *num.* 2.
2 Joan. Papon. *lib.* 11. *tit.* 3. *arrest.* 3. † In dubio autem primò nominatam hypothecam præsumi sufficientem, donec contrarium à creditore probetur, argui satis commodè potest ex iis quæ docet glossa *in d. l. Quamvis. verb. redigere. cum Salicet. ibid.* Covarruv. *dict. lib.* 3. *variar. resolut. cap.* 18. *num.* 1. Trentacinq. *dict. lib.* 3. *resolut. tit. de pignor. resolut.* 5. *num. fin.* cum aliis ab his citatis.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Declaratur textus & tollitur ambiguitas,*
2. *Confirmatur & illustratur ulterius.*

1 NIet *tegenstaende &c.)* † Ex his & sequentibus verbis dubitari occurrit, utrumne discussionis exceptioni, de qua in principio hujus articuli, an verò progressui ad ulteriorem executionem, si primò nominata hypotheca non suffecerit, renunciari queat, & quònam postrema referenda

referenda sint. Existimo autem eò spectare Reformatores, ut magis vetent contrariam conventionem, quâ, prima non sufficiente hypotheca, cæteræ liberarentur, cum illud quodammodo implicaret contradictionem ac contra rationem juris præberet occasionem fraudandi creditorem reliquo quod illi debetur, *fac. notat. supr. cap.* 13. *art.* 2. *gloß.* 2. *vers. Et si justè.* quàm ne, pluribus in uno instrumento nominatis hypothecis, ordini exequendi hic præscripto vel potius prædictæ exceptioni discussionis renunciari possit, quod jure permissum est. † Atque hoc sentire quoque visus est Frederic. Sand. *ad consuetud. feudal. Gelr. tractat.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 1. *num.* 8. *in fin.* Ad exemplum scilicet ejus quod datur pro limitatione *ad l. Quamvis.* 2. *C. de pignor* ut si in instrumento inserta sit clausula, *quod specialitas non derogabit generalitati*, & contrà, possit specialem alicujus rei & generalem omnium bonorum habens hypothecam, omissa speciali incipere à generali in præjudicium secundi creditoris quamvis muniti speciali & generali pariter hypotheca. Ita post Covarruv. ac alios laudatos Alexand. Trentacinq. *variar. resolut. lib.* 3. *tit. de pignor. resolut.* 5. *num.* 6. & eleganter Bacquet. *traicté des droicts de justice chap.* 21. *num.* 150. 151. 152. *&* 153.

ART. 2.

ITem als eener op ersgoet spreecken wil voor schuldt die niet peinbaer is, sal t'selve goet door den Drost ofte Richter ter plaetse daert gelegen is doen besetten, und het besaet drie veertien dagen nae malkanderen in der kercke laeten verkundigen, und als die drie veerthien dagen omgekomen sijn, sonder datter ontsaet tegen geschiet is, soo sal den aenlegger voor den Drost ofte Richter und gerichts-luiden komen, und vragen een oordeel hoe hy voort procediren sal, twelck

ART. 2.

QVicunque ratione debiti non pignorabilis agere vult in rem immobilem, curabit eandem in loco situs per satrapam aut judicem arrestari, ac prædictum arrestum triplici continuo intervallo quatuordecim dierum in ecclesia denunciari. Elapso autem præstituto temporis spacio si nullus intercedit, comparebit actor apud satrapam aut judicem cum suis judicialibus, rogabitque sen-

 ten-

twelck de Drost ofte Richter bestaden sal aen eenen gerichtsman, die den aenlegger dan sal wijsen totter peindung.

tentiam quomodo porrò processurus sit: qua rejecta ad judicialem, remittet idem actorem ad pignorationem.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Forma hic præscripta servanda.*
3. *Arrestum tam in rebus immobilibus quàm mobilibus locum habere.*

1 † AB hoc articulo & multis sequentibus prosequuntur processum, ut ita dicam, executivum rerum immobilium, qui cum iis quæ circa mobilium executionem capite proximè præcedenti tractata sunt non nulla communia, plurima tamen peculiaria continet, uti ex lectione
2 constabit. ‡ Quicquid autem hic præscribitur, cum pro forma actus sit, omninò servandum erit ac ne tantillum quidem ab eo deflectendum, ut monui suprà *dict. cap.* 13. *præcedenti* §. 1. *gloss.* 1. quò brevitatis gratia remitto. Nec omittendum quod in principio hic inculcatur, pro diversitate scilicet debiti vel pignorabilis vel non pignorabilis, vel à pignoratione vel ab arrestatione esse incipiendum. † Nam & arre-
3 stum, vulgò *besaet*, tam in res immobiles quàm mobiles cadere tam est nostratibus cognitum, quàm quælibet res quotidiana, quod similiter de consuetudinario arresto Saxonum notat Math. Coler. *de process. execut. part.* 3. *cap.* 11. *num.* 55. & facit *l.* 1. *C. de prætor. pignor.* adde Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 1. *constitut.* 29. *def.* 20.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Notatur pugnantia juris civilis cum moribus Velaviæ.*

2. *Moribus à veneratione diei Dominici aliquatenus discessum est quo ad denunciationes juridicas.*
3. *Hujus art. mutatio facta in comitiis an.* 1640.

DRie veerthien dagen na malkanderen inder kercke &c.*) † Interpositi arresti ter esse faciendam promulgationem triplici intervallo quatuordecim dierum (*drie veerthien dagen*) idque in templo sive loco sacro & quidem die Dominico, quomodo supplendum est ex *art.* 14. *infr. cap.* 23. *de appellat.* Cui contraria *l. ult.* §. 1. *C. de fer.* ubi Imperatores inquiunt, *dominicum diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum ut à cunctis executionibus excusetur: nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fidejussoris flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox silescat &c.* ‡ Quia tamen non alio die aut loco frequentior adesse solet populus necesse fuit humanis commerciis tantum indulgere ac paulatim à veteri hujus diei veneratione discedere. Quomodo etiam servatur ex generali quadam consuetudine totius Belgii itemque regni Galliæ. Vid. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit. des appropriances art.* 265. *verb. par trois jours de dimanche. num.* 1. Joan Sainson, *ad consuetud. Turonens. tit.* 2. *art.*6. † Cæterùm, dum hæc commentarer, supervenit ad petitionem tetrarchiæ Velaviæ in comitiis Ordinum Gelriæ Arnhemiensibus *anno* 1640. novum jus, quo, loco prædictæ promulgationis, scripto significari jubentur omnes pignorationes rerum immobilium ipsarum proprietariis, non aliter quàm de reliquis litium exordiis fieri consuevit. Quo jure porrò utimur.

ART. 3.

UNd indien sulcke besaedt gedaen waer door des Drosten ofte Richters gesworen volmechtigen ofte peinder, sal de gesworen in maniere als voorß. daer van sijne gicht doen voor den

ART. 3.

INterposito autem hujusmodi arresto per procuratorem juratum vel pignoratorem satrapæ aut judicis, incumbet illi de eo prædicto modo ad eosdem referre, cui

den Droſt ofte Richter und ſal dan oock voorts een oordeel gevraecht und geweſen worden als voorſz.

ART. 4.

ITem ſal de aenlegger, nae dat hy heeft doen peinden als recht is, t'ſy datter beſaet wie voorſz. voorgegaen, ofte dat hy van peindung aengeheven, die panden driemael op baden voor den officier, ofte ſynen geſworen volmehtigen, tot drie veerthien dagen, und als die drie opbadungen alſoo geſchiedt ſijn, ſoo ſal de aenleggtr den officier ofte ſynen geſworen volmechtigen allet oirkondt gerichtsluiden vragen, hoe hy metter ſaecke voortvaren ſal, daer op d' aenlegger geweſen ſal worden tot veylung van ſyn gepeinde pandt voor drie herbergen ofte voor anderer goeder luiden huiſen.

cui conſequenter rogabitur ac feretur ſententia prout antea tractatum.

ART. 4.

POſt legitimã pignorationem, ſive arreſtum præceſſerit, ut antè dictum, ſive ab ipſa pignoratione inceptum ſit, coram officiali aut ejuſdem procuratore jurato triplici intervallo quatuordecim dierum ab actore ter evocabuntur pignora. Ac tribus his peractis evocationibus idem actor rogabit eundem officialẽ juratumve procuratorem ſententiam, teſtibus judicialibus, quomodo porrò in cauſa proceſſurus ſit: qui poſt hæc dimittetur ad nundinationem rei pignoratæ apud tria diverſoria aut aliorum honeſtorum hominum domicilia.

Gloſſa.

SUMMARIA.

1. *Dies termini an in termino hic computandus ſit, diſquiritur. item num. 2. 3.*

TOt *drie veerthien dagen)* Rem pignoratam tribus diſtinctis intervallis quatuordecim dierum coram officiali eſſe evocandam indicat
1 textus ac pariter occaſionem præbet inquirendi, † Utrum dies termini, id eſt, in quo terminus præſcribitur vel aſſignatur, computetur in

in ipſo termino. Quæ res (ut utar verbis Joan. Parladori *rer. quotid. lib. 2. cap. fin. part. 5. §. 10. num. 3.*) *inter juris interpretes non mediocriter eſt controverſa, adeò quidem ut duæ ſint in ea opiniones communes ambæ & ambæ ſibi invicem repugnantes, aliis affirmantibus tempus dilationis currere de momento ad momentum, aliis contrà diem dilationis, id eſt, in quo dilatio præfigitur, non eſſe in termino computandum.* Pluribus agit poſt hunc & alios citatos Hieron. de Cævall. *ſpecul. opinion. commun. contr. commun. tom. 1. quæſt. 401.* Mynſinger. *cent. 5. obſervat. 15.* itemque Guid. Papæ. *decis. Gratianop. quæſt. 270. cum addit. ibid.* † Et quamvis tum dictus Parladorus tum Mynſingerus velint prævalere ſententiam opinantium diem termini non computari in termino eamque conſuetudine eſſe receptam: contrarium tamen huic articulo magis convenerit, in ipſo termino videlicet diem termini computandum eſſe: quippe quod ſingula quatuordecim dierum intervalla ita plerumque dimetiamur, ut alterum alterius locum continuò ſubintret vel potius de momento in momentum ſubſequatur. Quod manifeſtius eſt ex *art. 2. hujus capit.* junct. *art. 14. cap. 23. infr. de appellat.* ubi unumquodque interſtitium vel intervallum quatuordecim dierum computatur de Dominico die in Dominicum.
3 † Cui quodammodo ſimile quod tractat Bertrand. Argentræ. *ad conſuetud. Britan. tit. des appropriances art. 265. verb. de huictaine en huictaine.* ut in approprimentis, item auctionibus & proſcriptionibus ogdoas conſuetudinaria de dominico ad dominicum computetur.

ART. 5.

WElcke veylung in maete als voorſ. geſchiedt, und die gicht daer van voor den officier ofte ſynen geſworen volmechtigen gedaen ſynde, ſal de aenlegger den officier ofte ſynen geſworen volmechtigen van des Heeren wegen den koop bieden van den goede, und ſulcken coop mach d'officier of ſynen geſworen

ART. 5.

ABſoluta venditatione prædicta ac facta ejuſdem relatione apud officialem ejuſve procuratorem juratum, offeret actor iiſdem rem pignoratam vice principis, quam hi ſpacio quatuordecim dierum ſibi emptam retinere poſſunt ac eodem tranſ- 1

ſworen volmechtigen veerthien daghen ten ſich holden, die hy daer t'eyndens den aenlegger gunnen und wederom over geven ſal.

acto ipſi actori dimittere & tradere.

ART. 6.

DIen volgens ſal die aenlegger ſyne wederpartije door den officier ofte ſynen gheſworen volmechtighen eene ſchrifilicke weet laten doen, daer by den verweerder ſal operlacht worden te komen verdedigen ſyn gepeinde goet, is hy binnen landts over veerthien dagen, und is hy buyten landts over ſeſ weecken nae ontfanck van de weet, ofte ſoo nae immers doenlick, gelijck hier voor int capittel van Beſaedt breeder verhaelt is.

ART. 6.

POſt hæc ſcripto ſignificabit actor adverſario ſuo per officialem ejuſve procuratorem juratum, ut rei ſuæ pignoratæ defendendæ adſit poſt dies quatuordecim, ſi in provincia eſt, ſin peregrè abeſt, poſt hebdomades ſex, aut quanto ocius fieri poſſit, prout latius jam antè in capite de arreſtis memoratum eſt.

Gloſſa I.

SVMMARIA.

1. *Poſt pignorationem, denunciationem & venditationem ſignificandum eſſe debitori, & quare.*
2. *Idque neceſſarium eſſe in executivis, ubi laudatur opinio Radelantii præſid.*

1 †FActa pignoratione & hanc ſequuta trina denunciatione, *vulgò opbaedung*, cum venditatione, de quibus in præcedentibus, ſignificandũ erit adverſario, quò rei ſuæ defendẽdæ cauſa veniat. De unoquoque enim negotio (inquit Paulus *l.47. ff. de re judicat.*) præſentibus omnibus, quos cauſa contingit, judicari oportet. Et juris eſt tam divini quàm naturalis, ne ita præcipitentur judicia ut omiſſa qualicunque hac inſinuatione quiſquam condemnetur, quò facit eleganter *Clementin.*

tin. sæpe. de verbor. significat. & *c. Deus omnipotens.* 2. *q.* 1. §. *fin. Institut.*
2 *de pœn. temer. litigant. cum similib.* † Quod in executivis quoque necessarium esse latissimè prosequitur Math. Coler. *tractat. de processib. executiv. part.* 3. *cap.* 7. Unde rectissimè mihi visus est sensisse præses Radelantius decretum interpositum parte absente non citata ut nullum debere retractari, contrà quàm *anno* 1581. judicavit curia provincialis Ultrajectina, Vide *decis. Vltrajectin.* 4.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Prorogatur aut arctatur tempus significationis, prout quis vel in provincia vel extra eam sit.*
2. *Quis hic sit absens, item quàm variè aliàs apud juris consultos hoc definiatur. & num.* 3.
4. *Dilationes omnes hodie ex consuetudine esse arbitrarias contra* l. 1. C. de dilat.

IS *hy binnen lants &c.)* † Pro eo quod quis vel in provincia vel extra eandem sit, hoc est (ut interpretatur *art.* 2. *cap.* 10. *supr.*) in hoc Ducatu Gelriæ & Comitatu Zutphaniæ, vel extra ejus fines, aut arctatur aut prorogatur tempus præstitutum defendendæ rei pignoratæ vel potius in causam pignoris captæ. † Ergo simpliciter absens hic est qui provinciam nostram excessit, & contrà præsens qui in eadem alicubi reperitur. Aliter jurisconsulti pro ratione subjecti variè definiunt absentiam in usucapionibus, judiciis, negociis contrahendis, stipulationibus, rebus agendis ac denique tutoribus dandis, ut videre est in *l. Collegarum.* 173. §. 1. *l. Absentem.* 199. *& l. Coram.* 209. *ff. de verbor. significat.* junctis quæ ad dict. leges late & eleganter interpretando congesserunt Alciat. Forner. & Goeddeus. Adde Andr. Gail. 1. *obs.* 49. *num.* 9. *&* 10. item Brunor. a Sole *in loc. commun. verb. absens.* † ubi quadruplici modo quem absentem in jure dici ostendit: primò,

quando

quando quis extra continentia urbis reperitur: Deinde, quando à judicio abest: Tertiò, cum quis non est in provincia: Quartò etiam
4 is cujus vox exaudiri non potest. † Adhæc notare hic libet dilationes quascunque ex stylo & consuetudine curiarum hodie esse arbitrarias, quod advertit quoque Rebuff. *ad constitut. reg. in proœm. gloss. 5. num. 52.* Tulden. *ad tit. C. de dilat. num. 3. Gloss. in cap. præterea. de dilat.* ac proinde non servari *l. 1. C. de dilat.* quæ, si ex eadem provincia instrumenta aut testes petuntur, menses tres: si ex continenti sex: sin ex transmarina novem indulget.

ART. 7.

WAert saecke dat de verweerder ofte gecitierde binnen de tijdt in de weetbrief bestemt geene pandtkerung dede, soo mach de aenlegger den officier ofte synen gesworen volmechtigen, daer toe vorderen, dat hy hem oircondt gerichtsluiden aen den goede gebiede und doe die eerste Ruyming.

ART. 7.

QUod si reus vel citatus intra tempus libello citationis comprehensum pignorationi non intercedit, liberum erit actori ab officiali ejusve procuratore jurato petere, ut testibus judicialibus ipsam rem sibi addicat ejusq; primam Evacuationem pronunciet.

ART. 8.

UNd sal van nu voortaen van de eerste Ruyming, soo wel als van de peindung den eigenaer ofte lantheer, und den gebruicker des goets oock eene schriftelicke besegelde opene weet voor hoofts; ofte ten weinichsten aen syn woonstede gesonden ende gedaen worden.

ART. 8.

POsthac autem prima Evacuatio, non secus ac pignoratio, libello patenti ac subsignato significabitur tum proprietario tum ei qui re pignorata utitur, idque in faciem aut saltem ad locum habitationis.

Glossa.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Ut de pignoratione, ita etiam de prima Evacuatione scripto significandum esse debitori & quomodo, quod illustratur à loco Ulpiani.*
2. *Confirmatur judicato senatus Sabaudiæ aliisque rationibus.*

1 ‡ QUemadmodum de facta pignoratione, ita etiam de prima Evacuatione (quomodo interpretor vocabulum *ruimung*, quando aliud haud commodius occurrit) scripto significandum est debitori in personam vel saltem ad locum habitationis. Quò libenter, ut sæpè aliàs, transfero verba Ulpiani ex *l. Dies.* 4. §.6. *ff. de damn. infect. Toties* (inquit) *prætorem exigere denunciationem intelligendum est si sit cui denuncietur. cæterùm si non sit; veluti quod hereditaria insula est, nec dum hereditas adita; vel si heres non extet, nec inhabitetur, cessat hæc pars edicti. est tamen tutius, libellum ad ipsas ædes proponere. fieri enim potest, ut ita monitus defensor existat.* facit præterea textus *in l. Nec imperiale.* 2. *C. si per vim vel al. mod. absent. perturbat. sit possess.* & in hac ipsa executionis materia eleganter post alios Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 5. §.9. cui jungere licebit quæ tractavi suprà *cap.* 13. *art.* 1. *gloss.* 3. *item gloss. ad*
2 *art.* 6. *hujus cap.* ‡ Sic aliquando judicavit senatus Sabaudiæ non valere missionem in possessionem bonorum debitoris nisi antè vel ipsi in personam, vel eodem non reperto ad domum denunciatum fuerit test. Anton. Fabr. *in Cod. Sabaud. lib.* 7. *tit.* 32. *definit.* 1. *junct. definit.* 1. *tit.* 2. *lib.* 2. Fieri namque potest (repeto illud jurisconsulti) ut ita monitus defensor existat, quod moribus Velaviæ utiliter recipitur *art.* 9. & 10. *hujus cap.* si fortè modus in executione excedatur, vel aliàs eadem sine longiori causæ cognitione retardari debeat. Siquidem non aliud remedium in hoc negocio superest, amputata penitus appellandi facultate, *text. in art.* 6. *cap.* 23. *infr.*

ART. 9.

ITem soo de verweerder de eerste Ruimung binnen veerthien daghen nae ontfangene weet niet uyt en dede als recht is, sal der aenlegger daer en t' eyndens aen den officier ofte sijnen gesworen volmechtigen mogen gesinnen ende gebieden laten die tweede Ruyming.

ART. 10.

UNd soo die tweede van gelijcken binnen die naeste veerthien dagen niet uytgedaen worde, sal de aenlegger voorts mogen procederen tot die derde Ruyming, daer mede dan d' aenlegger in dat verwonnen goet gesedt, ingeheert und aenge-eigendt wort.

ART. 9.

ITem, reo, postquam certior est factus, intra quatuordecim dies primam Evacuationem, prout juris, non extinguente, petet actor ab officiali ejusve jurato procuratore ac pronunciari curabit secundam Evacuationem.

ART. 10.

SEcundâ pariter intra proximos quatuordecim dies non extinctâ, liberum erit actori progredi ad tertiam Evacuationem, qua peracta mittetur idem in rem jam evictam, addiceturque dominium & proprietas illius.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Tractatur latè, Utrum, debitore evacuationi non intercedente, si lapsu temporis res in quam proceditur deterior fiat ac ita debito non sufficiat, creditor ab incepta executione resilire possit.*
2. *Argumentum à permissa electione in ultima voluntate ad eam quæ ex contractu conceditur, quomodo fallat.*

1. † QUæro hujus & præcedentium articulorum occasione, si debitor evacutioni non intercedit (quod nostratibus est, *die ruyming niet*

uyt

uyt doet) ac lapſu temporis res in quam proceditur deterior fiat, adeò ut ad menſuram debiti ſufficere non queat, an creditori acta pœnitentia reſilire ab incepta executione ac voluntatem ſuam mutare liberum ſit? Et quamvis juris ſit notiſſimi, quod ſemel placuit amplius diſpliceere non poſſe *l. Pomponius. 9. vers. ſed eo dictum. ff. de negot. geſt.* nec poſſe quemquam mutare conſilium ſuum in alterius injuriam *l. Nemo. 75. ff. de reg. jur.* item, rebus non integris ne quidem conceſſa optione ex teſtamento variare licere *l. Mancipiorum. 6. ff. de opt. legat.* ac multò minus ſi acquiſitum ſit jus ex quaſi contractu, qui hic re quodammodo judicata inductus videtur, imò hac ratione eludi quod publica autoritate hactenus actum fuerit: tamen hæc variandi libertas mihi non videtur adimi creditori, in quam ſententiam aliquando, cum hujus generis quæſtio proponeretur, etiam inclinabat bonæ memor. parens meus Martin. Goris, Gelriæ dum viveret Cancellarius. Pro cujus confirmatione facit, quod unicuique licet contemnere hæc, quæ pro ſe introducta ſunt *l. ſi judex. 41. ff. de minor.* ac proinde etiam deſiſtere à cæpta executione ad debitum perſequendum conceſſâ, adde gloſſ. *in l. illud ſciendum. 29. verb. reſtituere ff. de ædilic. edict.* tum quod ea quæ in favorem alicujus ſunt introducta in odium ejuſdem detorqueri non debent *l. Quod favore. 6. C. de legib.* Accedit, compluribus placuiſse admitti variationem poſt ſententiam ſi ex contractu aut re judicata optio permiſſa ſit *per text. in l. Eum qui. 138. §. cum purè. ff. de verb. obligat.* Molinæ. ad conſuetud. Pariſiens. *art. 10. num. 19.* &, quod cæteras omnes rationes ſuperat, cum unaquæque res ſuo domino perire dicatur *arg. l. licet. 8. C. de locat.* haud novum erit periculum rei aut perditæ aut in deteriorem ſtatum adductæ pertinere ad ipſum debitorem: quippe qui adhuc dum ejuſdem ſit dominus donec poſt tres conſuetudinarias evacuationes, *Ruimingen*, creditori ſit addicta, ut ex poſtremis *art. 10.* verbis ſatis manifeſtè evincitur. Nec obſtant in contrarium adducta, ſiquidem verum eſt reprobari non poſſe quod ſemel placuit, nec in alterius præjudicium mutari debere conſilium, niſi id fiat jure permittente, de quo antè demonſtratum eſt, Cui ſubſervit, eum qui ſuo jure utitur

nemini injuriam facere *l. injuriarum.* 13. §. 1. *ff. de injur. cum similibus*
2 *passim.* † Fallit præterea argumentum à permissa electione in ultima voluntate ad eam quæ ex contractu conceditur, cum imò in hac variare liceat, in illa nequaquam *d. l. Eum qui certarum.* §. *cum purè. ff. de verb. obligat.* Daniel Moller. *semestr. lib. 5. different. 25.* ubi rationem diversitatis assignat, quod in ultimis voluntatibus electio statim secum trahat executionem, cum facta electione ipso jure transfertur dominium in eligentem: secus in contractibus, quia tunc non nisi traditione dominium transfertur *l. Traditionibus. C. de pact.*

ART. 11.

Van welcker tweeder ende derder Ruimingbiedung den pachter elcke reys muntlick of schriftlick verwittiget sal worden.

ART. 12.

Dat goet aldus verwonnen sijnde, soo sal de Drost ofte Richter den Lantschriver beveel doen den aenlegger synen verwins-brief veerdich te maecken, die de Drost ofte Richter besegelen sal und des goets van des heeren wegen den aenlegger een waer syn, tot dat hy met beteren rechte nae Landtrecht van Veluwen daer weder uytgesleten ende verwonnen were.

ART. 11.

De qua pronunciatione secundæ tertiæque Evacuationis toties certior reddetur conductor vel ore tenus vel scripto.

ART. 12.

Re ita evicta imperabit satrapa aut judex actuario rurali, ut conficiat actori literas executionis factæ testes: quas iidem sigillis suis munient ac rei jam addictæ vice principis se defensores profitebuntur, donec idem actor meliori jure ex legibus Velaviæ inde rursus exactus fuerit.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Argumentum art. 12.*
2. *Dominium pignoris à principe solùm impetrari.*

3. Waer

3. Waer, Waerschap, Waeren *quid.*
4. *Simplicem tantùm defensorem se præstat princeps, nec periculum evictionis suscipit,*
5. *Quod declaratur ulterius.*
6. *Rerum, quæ pignori captæ sunt, aliquando fieri controversiam.*

1 DEs goets van des heeren wegen den aenlegger een waer syn) † Præmissis solemnitatibus jam enumeratis, nec facta debitoris intercessione, tandem proprietas ipsi creditori addicitur, tenet urque illi officialis hujus negotii testes literas per actuarium ruralem concedere ac porrò
2 se ipsum principis nomine rei defensorem profiteri. † Principis nomine dico, sub quo, ut nunc est regimen, Ordines provinciæ intelliguntur, quia ab illo solùm dominium pignoris rectè impetratur, ut constat ex *l.* 24. *ff. de pignoratit. act. l.* 63. §. 4. *ff. de acquir. rer. domin. l.* 2. *&* 3. *C. de jure domin. impetrand.* quod etiam animadvertit Claud. Salmas. *in libr. de modo usurar. cap.* 13. ubi præterea tollit verisimilem antinomiam inter *l.* 13. *C. de pignor. & hypothec.* ac leges præmemora-
3 tas. † Nec absonum igitur ut defensionem promittat, quod intendit vocabulum *Waer*, à quo *waerschap* & *waeren*. Germanis superioribus *gewehr*, *wehrschaft*, item *schadloßhaltung*: Gallis *garent*, *garentir*, ab antiqua Germanorum voce (quod notat Cujac. *ad lib.* 4. *Feudor. tit.* 38.) *guarent.* Unde tum in medii ævi historiis, tum in instrumentis nostris antiquis, latinè conceptis, *guarentare*, *guarentisare*, *warandire*, *warandisare*, item *guaretare.* Veteres Latini ejusmodi autorem, fundum etiam appellabant, ut pridem ex Festo notarunt aliquot harum elegantiarum
4 studiosi. † Et quamvis hæc aliàs non simplicem tantùm defensorem denotent, sed talem qui periculum evictionis in se suscipit: non tamen eo usque hoc loco extendi debet. Nam, præterquam quod hac ratione superior vel princeps deterioris foret conditionis quàm quilibet privatus creditor rem sibi pignoratam jure crediti vendens, non tamen ideò de evictione conveniendus *per text. in l.* 1. *C. creditor. evict. pignor. non deber.* jure etiam proditum est, judicem exequentem de evictione

non teneri *arg. l. si plus.* 74. §. 1. *ff. de evict.* notant Masuer. *in practic. tit.* 30. *num.* 25. & post hunc Math. Coler. *de processib. execut. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 94. 95. & subsequentia hujus articuli verba satis evincunt, non ultra fieri autorem aut defensorem, quàm donec nemo potiori jure ex moribus Veluvicis eandem rem sibi vindicaverit. † Quod & exemplo
5 demonstrari potest *ex hujus cap. art.* 21. ubi, nisi priori creditori hypothecario satisfactum sit periculum evictionis non evitatur, ab officiali nomine principis nequaquam præstandum. Neque princeps in dubio intelligitur velle præjudicare tertio *l. Prætor ait.* 2. §. *meritò.* 10. *&* §. *si quis à principe.* 16. *ff. Ne quid in loc. public.* adde Roderic. Suar. *allegat.* 11.
6 *num.* 3. ‡ Ad hæc notum est ex *l. A divo. Pio.* 15. §. 4. *ff. de re judicat.* rerum quæ pignoris jure captæ sunt controversiam aliquando fieri, hoc est, ut ibi communiter Doctores tractant, tertium quemlibet, cum quo judicatum non sit (quæ verba sunt Argentræi) pro suo interesse admitti intercedentem executioni alieni judicati. De quibus intercessionibus latè videatur, si usu venerit, idem Argentræ. *ad consuetud. Britan. art.* 236.

ART. 13.

ITem van elcke Ruiming die de ghebruicker des goets versit breuckt hy den Heer vier pondt, Vnd soo hy die laetste Ruymingh versate ende d'aenlegger daer over aen den officier claechden, soo had die gebruicker synen hals verbeurt.

ART. 13.

CUjusque Evacuationis contemtus mulctabitur in eo qui re pignorata utitur quatuor libris, ad usum principis. at qui novissimam Evacuationem contemnit, si super eo apud officialem conqueratur actor, incurrit pœnam corporis.

ART. 14.

ITem oft geviele, dat de verweerder tegens het besaet op synen erfgrondt gedaen ontsaet dede, of tegen peindung pant-

ART. 14.

QUod si contingit ut reus arresto in rem suam immobilem facto, aut pignorationi intercedat,

pandtkerung, ofte dat hy d'eerste ofte andere Ruyming uyt dede, sal als dan de saeck te naesten gherichtsdach voor recht dienen.

cedat, vel si primam secundamve Evacuationem extinguat, disceptabitur causa in judicio ad proximum juridicum.

ART. 15.

DIe een onrechte peindung ofte pantkerung ghedaen te hebben erkandt worde, sal breucken vier pondt.

ART. 15.

QUicunque judicatur injustè pignorasse aut perperam pignorationi intercessisse mulctabitur quatuor libris.

ART. 16.

SOo de verweerder de eerste Ruyming, ofte nae dien die eerste Ruyming sonder oppositie ofte uytdoeninge van Ruyming und verclaering van den Gerichte, geboden waer, die tweede uytdede, und oversulcx in onrecht bevonden worde, sal daer aen gebreuckt hebben twintigh pondt.

ART. 16.

REus qui primam secundamve Evacuationem extinxerit, postquam scilicet prima absque ulla oppositione & judicii pronunciatione transivisset, idque injuria fecisse compertus fuerit, mulctabitur viginti libris.

ART. 17.

UNd soo veern de verweerder, nae dat erkendt weer, de eerste Ruyming t'onrecht by hem uytghedaen te sijn, de tweede oock uytdede, und daer in ghelijckfals ghecondemniert ofte vellich ghewesen worde, daer aen sal hy verbeurt hebben veertich ponden.

ART. 17.

ITem reus, postquam primam Evacuationem injustè extinxisse judicatus fuerit, si nihilo minus secundam extinguit ac pariter eo nomine condemnatur, mulctabitur quadraginta libris.

ART. 18.

ART. 18.

ART. 18.

DAn de derde ofte leste Ruyming mach niemant uytdoen by verloß van sijnen hals.

ART. 19.

UNd hier is te weeten, alhoewel men in voortijden inleidung und wtleidung und die Ruymingen pleghe te doen op den gronden und ter plaetsen daer dat goet gelegen was, Daer over de Drost und Richter met onlede, und de onderdanen ofte partijen met sware kosten bemoeyet worden: Soo is naederhandt und nu mits desen geordonniert und gestatuirt, dat van nu voortaen in und uytleidungen, und ruimingen oock ghe-schieden moghen op allen plaetsen, daer men den Drost van Veluwe und Richter van Veluwe-zoom in den ampten und gherichten bekomen kan, die alsoo bundigh und van weerden ghehalden sullen worden, gelijck offe op den grondt geschiet weren.

ART. 18.

TErtiam verò aut novissimam Evacuationem nemini fas erit extinguere sub pœna capitis.

ART. 19.

SCire hic oportet, quamvis olim inductiones & his contrariæ intercessiones itemque evacuationes fieri solerent in ipso fundo ac loco rei sitæ, unde satrapa & judex molestia, litigantes autem magnis impensis gravabantur; constitutum postea fuisse & ad huc dum constitui, quod deinceps prædictæ inductiones intercessionesve & evacuationes etiam peragi poterunt quibuscunque in locis, sive in præfecturis sive in judiciis satrapa Velaviæ & judex oræ Velavicæ repertus fuerit, quæ non minus ratæ habebuntur quàm si in solo factæ fuissent.

Glossa.

SVMMARIVM.

Remittitur ad alibi tractata, sed & mancipationes immobilium rectè fieri extra locum rei sitæ.

TRansmissis singulis his articulis, utpote in se satis perspicuis, ad 19. solùm velim, illustrandi gratia, repeti quæ dixi suprà *in rubric. cap.* 8. Sed

Sed & notandum, quemadmodum hic ſumptuum evitandorum cauſâ inductiones, quas *inleidungen*, & evacuationes, *quas ruimingen* appellamus, extra locum rei ſitæ fieri permittuntur: ita & rerum immobilium mancipationes ſive effeſtucationes, quarum etiam verbalis refutatio vim habet realis, ut ita dicam, traditionis, uti latè peti poteſt ex tractat. Freder. à Sande *de effeſtucat. cap. 2. & 3. ac additionibus meis ibidem.* quibus nunc demum jungo Pyrrh. Angelberm. *ad conſuetud. Aurelian. tit. 12. cap. 3. & 4. verb. mancipatio.*

ART. 20.

WAnneer nu eener eenigh erfgoet gerichtelick verwonnen heeft, die ſal t'ſelve verwin binnen een jaer, ſeſs weecken und drie dagen bearbeiden in't werck te ſtellen, of hy ſal daer van verſteecken ſijn, Twelck oock alſoo in verwinnen van gereede goederen ſal geholden werden.

ART. 20.

QUando quis judicialiter rem immobilem excuſſerit, ſuam illam executionem intra annum & ſex hebdomades cum triduo in effectum deducet, niſi jure ejus excidere velit. Idem ſervabitur in executionibus rerum mobilium.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Argumentum hujus art.*
2. *A quo variat Reformat. Zutphan. ad ſimilitudinem juris civilis.*
3. *Multarum Gelriæ partium moribus intra annum & diem rei judicatæ petendam eſſe executionem.*
4. *In executivis hic dari inſtantiam.*

1 †RE ſeu mobili ſeu immobili modo, quo dictum eſt, executivo judicialiter evicta (vulgò *verwonnen*) ſupereſt ut creditor ſuam illam evictionem (*ſijn verwin*) pleniſſimè in effectum deduci curet intra ſpacium unius anni ſex hebdomadum & trium dierum, niſi velit ab

2 ab impetrato jam jure præſcriptione removeri. † Reformatio Zutphanica *tit.* 8. *art.* 15. ſtatuit triennium, in quo viſa eſt imitari conſtitutionem imperatoris Juſtiniani *in l. Properandum.* 13. *C. de judic.* ubi cujuſque generis lites (exceptis fiſcalibus) non ultra triennii metam
3 poſt litem conteſtatam protrahi vult. † Huic autem ſimile eſt quod iiſdem moribus Velaviæ, Bataviæ & Ruremundanorum, item urbium Zutphaniæ & Arnhemiæ rei judicatæ executio petenda ſit intra annum & diem, niſi velint jus ejus circumduci ac inefficax reddi, adeò ut nova judicis declaratione opus ſit, quod notavi *in Adverſar.*
4 *meis ad conſuetud. Gelr. tractat.* 4. §. 24. † Et ſic in executivis datur hic inſtantia, quæ poſt lapſum deſignati temporis perimitur, quamvis quidam contrarium voluerint, de quibus videre eſt Math. de Afflict. *decis.* 346. non attento etiam ſive officio judicis ſive actione in factum petatur executio, cui diſtinctioni idem adhæret ac prout hoc vel illud uſu venerit hanc vel illam opinionem amplectitur. Nobis favet Cæſ. Urſill. *in annotat. ibid. poſt Felin. in cap. venerabilis. de judic. Jaſon. in l. Properandum. C. de judic. & Alexand. in l. Jntra dies. ff. eod.*

ART. 21.

Und de verwinner is ſchuldich alle vorige laſten op het verwonnen goet ſtaende aen hem te neemen und te draegen, ſoo wel van den achterſtandt, als van de hooft-ſomme.

ART. 21.

Evictionem impetrans omne anterius onus rei evictæ incumbens tam quo ad penſiones ceſſas quàm ſortem in ſe ſuſcipere tenetur.

Gloſſa I.

SUMMARIA.

1. *Locus juris civilis huic art. conveniens.*
2. *Cauſam pignoris non mutari, ſi quid in ſolutum datum ſit quod aliis antè fuit obligatum.*

3. Prior

3. *Prior creditor tempore subhastationis tacens an postea, revocando quod actum est, sibi satisfieri postulare queat.*

4. *Adducitur circa prædictam quæstionem res judicata. Dolum tamen suum nemini patrocinari.*

1 UNd de verwinner is schuldich &c.) † Huic consonat text. *in l. Diversis.* 8. *C. Qui potior. in pignor. hab.* quæ certi ac manifesti juris esse dicit, eum potiorem esse qui prior data mutua pecunia pignus
2 accepit, junct. *l. potior* 11. *ff. eod.* † Quod adeò verum est, ut si prędium pro soluto datum sit, quod aliis creditoribus fuerat obligatum, causa pignoris non mutata censeatur *text. in l. si prædium.* 4. *C. de evict.*
3 adde quę supr. *art.* 12. *in fin.* † Quid autem in locis, ubi ut mobilium, de quibus *supr. cap.* 13. *art.* 1. ita & immobilium rerum publica subhastatio necessaria est in executione, an & tum prior creditor, qui tacuit nec de sua anteriori hypotheca in re subhastanda opposuit, revocare possit quod actum est, vel potius ut sibi satisfiat petere? Et quia id quod publicè præmissis tot solennitatibus fit à nullo ignorari præsumitur, suæ negligentiæ acceptum ferre debet anterior creditor quod in tempore non advigilaverit: Imò quia emptor ex publico decreto contrahens cum superiore domino publicã fidem sequatur non est quod inquietari debeat ab eo cui proprio vitio privatim nocitum est. Quo referri potest, quod in hujusmodi negotio officialis nomine principis dicatur autor fieri & defensionem promittere, vulgò *dat*
4 *den officier van des heeren wegen een waer wort.* † Ita sæpius judicatum est in regno Galliæ etiam contra minorem, qui rescindi volebat decretum rei immobilis, in quo ejusdem tutor non opposuerat de sua anteriori hypotheca ejusdem rei jam sub hasta venditæ, & quidem cum hoc elogio ex Tacito: *hoc exemplum habens aliquid ex iniquo contra singulos, utilitate publica pensari.* Eleganter Louet *in arrest. lit. d.* §. 32. Dolum tamen & fraudem, si qua intervenisse probabitur, ubique excipio, cum nemini patrocinari debeat *l.* 1. *princip. ff. de dol. malo. cum similib.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Evincentem, vulgò* de verwinner, *teneri non solùm anteriori creditori de sorte, sed etiam de usuris satisfacere.*
2. *In concursu creditorum alicubi non haberi rationem usurarum. quod propriè obtinet in mutuo, nec ad annui reditus constitutionem extendi debet,*
3. *Adducitur res judicata.*

S*Oo wel van den achterstandt &c.)* Priorem creditorem hypothecarium posteriori executivè evincenti præferri, adeò ut hic omne anterius onus ipsi hypothecæ incumbens in se recipere debeat, jam
1 dictum fuit. † Sed cum plana quidem res esset in sorte & dubitari fortè posset in accessorio sive pensionibus jam cessis (vulgò *den achterstandt*) quod hæ magis personales quàm reales intelligi queant: ideò cautè occurrunt Reformatores, statuendo evincentem *(de verwinner)* non solùm teneri anteriori creditori de sorte, quam vocant summam capitalem, sed etiam de reditibus seu pensionibus jam cessis. Eòdem referri potest *art.* 1. *hujus cap.* in verb. *voor sijn achterstedige rent*, nec minus appositè confirmat quod ait Paul. *in l. Si plures* 9. §. *fin. ff. de pact.* summæ scilicet debere applicari & usuras, item text. *in l. Lucius* 18. *ff. Qui potior. in pign. Bart. ibid.* Mynsing. *cent.* 1. *observat.* 59. quod judicando sequuta est curia Parisiensis, utcunque contrarium servet Tholosana, ut videre licet apud Gerard, Maynard. *notabil. quæst. lib.* 7.
2 *cap.* 71. † Et quamvis alicubi etiam moris sit ut in concursu creditorum usurarum etsi licitarum non habeatur ratio nisi posterioribus satisfactum sit de sorte, quod quidem in praxin deductum volunt ex æquitate Wesenbec. *consil.* 50. *num.* 34. *in fin. consil. Altorfin.* 59. *in fin.* hoc tamen propriè locum sibi vendicat in contractu mutui, nec extenditur ad constitutionem annui reditus, de quo nobis hic sermo

ſermo eſt, uti viſus eſt ſentire Hartman. Piſtor. *obſervat. 63. in fin.* quem ſequitur magis explicitè Math. Berlich. *practicabil. conclus. part. 1. conclus. 66. num.* 18. citando in hanc ſententiam conſtitutionem Ducis Saxoniæ. ‡ Similiter concluſum fuit *anno* 1623. in ſuprema Hollandiæ curia quoad conſtitutiones hypothecarias pro ſecuritate pretii rei venditæ, vulgò *Kuſting-brieven*, prout in rebus ab eadem curia judicatis refert Jacob. Coren *obſervat.* 18. adde tractat. anonymi *de privileg. creditor. cap. 5. reg. 3. ampliat.* 12.

ART. 22.

ALs eenich erf of goet by yemant alſoo verwonnen ſijnde, een ander die met recht daer oock op te ſpreecken had, t' ſy dat hy daer wt ghevestlicht waer of anders, quame und preſentierden den verwinner alle ſyn bewijſlick achterweſen, als oock ſyne gerichtelicke und ongerichtelicke onkoſten tot taxatie und moderatie des Gerichts, deſgelijcken de kentlicke verbeterunge die hem daer aen gheſchiet mocht ſijn, ſoo ſal de verwinner ſchuldich und geholden weſen die preſentatie in maete als voorſ. aen te neemen und den anderen ſulcke verwonnen goet over te geven, ofte hem te voldoen und alſoo het goet beholden.

ART. 22.

SI, poſt ejuſmodi evictionem rei immobilis, alius quiſquam (ſeu ex infeſtucatione ſeu qua alia ratione eandē jure impetere poſſit) impetranti prędictam evictionem offerat quicquid probabiliter debetur, item judiciales & extrajudiciales impenſas à judicio taxandas, ac pariter perſpicuas meliorationes, tenebitur idem quod offertur accipere & re evicta cedere, aut offerenti ſatisfacere ſibique eandem ita retinere.

Gloſſa I.

SVMMARIA.

1. *Illuſtrandi gratia remittitur ad locos juris, in quibus tractatur de jure offerendi.*

2. *Argumentum hujus art.*
3. *Explicatur, quomodo post solennem addictionem non cessat oblatio, cum tamen non videatur alias competere, postquam jure creditoris res vendita est.*

1 † DE jure offerendi, quo posterior creditor in anterioris creditoris locum succedit, vel potius (ut loquuntur textus juris) causam pignoris sibi confirmat habes plenissimè *in l. 1. l. prior. 5. l. Diversis. 8. C. Qui potior. in pign. l. potior. 11. §. ult. ff. eod. l. secundus. 22. ff. de pignor. & hypothec. l. ult. C. de his qui in prior. creditor. loc. succed.* & præ cæteris apud Negusant. *tractat. de pignor. & hypothec. in tert. membr. quintæ part. principal.* Unde hic textus luculentissimè ornari potest.
2 † Ut autem post rei immobilis evictionem & addictionem, de qua passim hoc capite, audiatur secundus creditor qui & jus in eadem hypotheca habet, tria concurrere oportet ex præscripto hujus art. Primò ut offeratur omne id quod probabili ratione debetur: Deinde ut addantur tam extrajudiciales quàm judiciales expensæ in exequendo à primo factæ, & tertiò ut eidem restituantur rei addictæ perspi-
3 cuæ meliorationes, de quibus sigillatim jam dicetur. † Sed dubitari posset, an non post solennem illam addictionem cesset oblatio, cum certi juris sit eandem secundo non competere postquam res jure creditoris vendita est, cui prædictam addictionem quodammodo assimilare licet, *text. in l. 1. & 2. C. Si antiq. credit. pign. vend.* Itaque pro ulteriori declaratione sciendum est non removeri oblationem etiam post addictionem, quod magis ea facta sit creditori primo servandi juris sui, quàm acquirendi dominii causa, arguente id inprimis reluitione intra sexennium concessa *cap. seq.* 15. ad exemplum scilicet ejus quod traditur *in l. Cum secundus. 5. §. 1. cum l. seq. ff. de distract. pign.* junct. Negusant. *dict. loc. num. 4. vers. Nam ipse.* & post hunc Vincent. de Franchis. *decis 69.* Fab. de Anna *consil. 37. per tot.* novissimè Joan. Sand. *decis. Fris. lib. 3. tit 12. definit.* 18.

Glossa 2.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Explicantur verba textus*, alle bewijslick achterwesen.
2. *Fructus quos prior creditor ex pignore percepit cum usuris compensari.*
3. *Illustratur ulterius.*

1 A*Lle syn bewijslick achterwesen)* † Interpretatus sum, offerri debere omne id quod probabiliter debetur, quo cum sorte ipsa & usuræ, sive potius reditus jam cessi comprehenduntur. Facit *l. Creditor* 12. §. *Sciendum*. 6. *l. Quærebatur*. 20. *ff. Qui potior. in pign. junct. l.* 1. *C. si antiq. credit. pign. vend.* Alexander Trentacinq. *variar. resolut. lib.* 3. *tit. de solut. resolut.* 30. *num.* 2. quem sequitur Joan. Sand. *dict. lib.* 3. *tit.* 12. *definit.* 19. Nec in dubium vocari potest ob vocem in textu, *alle*, id est, *omne*, cujus prolatione nihil omninò quod debetur excipitur juxta *l. Iulianus*. 68. *ff. de legat.* 3. ‡ Si tamen prior creditor fructus aliquos ex pignore percepit eosdem cum usuris ad concurrentem quantitatem compensari cum præcitatis autoribus æquum esse statuo, suadente etiam hoc textu, qui de debito probabili *(bewijslick achterwesen)* notanter loquitur: cujus nulla videtur probabilis existentia, quamdiu ex fructibus perceptis satisfactum apparet. ‡ Nec obstat quod *art.* 1. *cap.* 15. *seq.* ipse creditor persoluto omni quod debetur fructus ex re sibi addicta perceptos retinere possit, nec rationem de iis reddere cogatur: tum quod hoc ibi statuatur non respectu secundi creditoris sed ipsius debitoris qui rem suam ob dilatam solutionem evinci & addici passus est, tum quod consilii magis est, quàm quod jure debeatur, in verbis, *mogen beholden*, item, *soo hy wil.*

Glossa 3.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Expensas etiam offerendas.*
2. *Additur res judicata cum pleniori enarratione.*

1 G*Erichtelicke ende ongerichtelicke onkosten*) † Secundum est ut etiam offerantur expensæ tam extrajudiciales quàm judiciales ratione evictionis & addictionis factæ, quę ut sortis accessorię & ejus obtinendę causa expositæ eodem cum illa ordine censentur, prout judicavit curia
2 Parisiensis referente Ludovic. Charond. *resp. jur. Gall. lib. 7. cap.* 182. † Et quamvis idem autor *dict. loc.* contrarium quoque judicatum dicat, ex ratione, quod hujusmodi expensæ non inferant statim hypothecam, ut ipsa sors principalis: tamen quò minus ambigamus facit præsens textus, & consonare videtur consuetudo Mechlin. *tit.* 13. *art.* 33. & 34. nam & sumptus causa qui necessariò factus est semper præcedit, ut inquit Papinian. *in l. Quod privilegium.* 8. *ff. Depositi.* adde Louet *in arrest. lit. C.* §. 44.

Glossa. IV.

SVMMARIA.

1. *Consonans loquutio.*
2. *Meliorationes quæ,*
3. *Earum æstimatio arbitrio judicis fit.*
4. *Remittur porrò.*

1 D*Ie kentelicke verbeteringe &c.*) † Eadem phrasi utuntur *in art.* 1. *cap.* 15.
2 *sequentis.* † Meliorationes, quas & melioramenta appellant, sunt augmentum quodcunque rei ex quo melior cumulatiorque facta est, ut colligere licet ex traditis à Joan. Gars. *tractat. de expens. & meliorat. cap.* 1. *num.* 8. *circa fin.* Petr. Costal. *ad l. in fundo.* 38. *ff. de rei vindicat.*

† Quo

3 † Quo ad harum æstimationem, dum textus noster loquitur de meliorationibus perspicuis, vel quæ apparent, *kentlicke verbeterungen*, bonus judex variè ex personis causisque constituet, juxta id quod dixit Celsus *in d. l. in fundo.* id est, in hac ipsa meliorationum materia judicis arbitrio multa erunt definienda, quomodo docet Jacob. Menoch. *de arbitrar. jud. quæst. lib. 2. cent. 3. cas. 258. num. 1.* ubi complures in hanc sententiam adducit. † Tu, si usu venerit, ad pleniorem intellectum consule eund. Menoch. *dict. cas. per tot. & recuperand. possess. remed. 15.* nec non, quem idem aliquoties citat & sequitur *dict. tractat.* Ioan. Gars. *de expens. & meliorat.*

Glossa. V.

SVMMARIA.

1. Secundo creditore offerente datur electio primo, an retinere & satisfacere, an verò cedere velit rem addictam,

2. Cum quo pugnare indicatur jus commune.

S*Oo sal de verwinner &c.)* † Facta oblatione à secundo creditore liberum est primo eandem vel acceptare ac re jam addicta in usum illius cedere, vel rem ipsam retinere, dummodò secundo illi creditori offerenti satisfaciat. Eatenus igitur jure Velavico secundus creditor causam pignoris sibi firmat, ut tamen priori non intervertatur prædicta electio. † In quo rursum recedit à jure communi, quod, non acceptante primo creditore, consignationem & depositionem oblati præscribit, cum hoc effectu ut res liberetur à prioris creditoris hypotheca in usum secundi offerentis, ac idem prior cogi possit invitus ad cedendum jura sua, imò quod eodem nolente cedere succedat tamen secundus in ejus jus, *text. in l. 1. l. prior. C. qui potior. in pignor. hab. l. potior. 11. §. fin. ff. eod.* Bart. *ibid. & in l. Aristo. 3. ff. Quæ res pign. vel. hypothec. dat. non oblig. poss.* Latè Anton. Negusant. *tractat. de pignor. & hypothec. tert. membr. quint. part. principal. num. 10.*

ART. 23.

EEn rentheffer mach nae lantrecht und oldt herkomen van Veluwe und Veluwen-ſoom doen peinden, und die peindung voorts vervolghen ſoo wel voor ſijnen buiten als oock binnen jaerſche achterſtedighe renten, aen haven und beeſten und aen ander goet, dat op ſijn onderpandt bevonden wordt, daer van hy de weet laet doen aen den gront-heeren.

ART. 23.

REdituum annuorum poſſeſſor ex jure rurali & antiqua conſuetudine Velaviæ ac oræ Velavicæ tam ratione penſionũ extra quàm intra annum ceſſarum pignorare poterit animalia aliaque mobilia in hypotheca ſua reperta, & eandem pignorationem proſequi, de qua denunciabitur proprietario.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Hunc art. pertinere ad cap. 11. ſupr.*
2. *Conſonantia & differentia Reformat. Zutphan.*
3. *Quomodo intelligi & cum jure conciliari debeat, quod hoc art. pro debito proprietarii pignoretur res mobilis alterius, ſcil. conductoris rei hypothecatæ. & num. 4.*

1 † PErtinet hic art. propriè ad materiam *cap.* 11. *ſuprà, ubi ad art.* 1. *gloſſ.* 1. non nihil dixi. Neque tamen omninò alienus ab hoc loco putandus eſt, cum & in executivis verſetur, quò hæc ipſa pertinet pignoratio, vulgò *peindung*: quam dixi prodromum ſive præparatorium
2 eſſe realis executionis *dict. cap.* 11. *ad rubric.* † Convenit autem ferè Reformat. Zutphan. *tit.* 2. §. 12. Dico ferè, quod eadem pignorationem rerum mobilium in hypotheca repertarum non admittat, niſi in inſtrumento ſive conſtitutione annui reditus ita antè convenerit, nec ulterius quàm pro eo quod præſenti & proximè præcedenti anno jam
3 ceſſit, cum in utroque hic diverſum ſtatuatur. † Sed mira hæc cuiquam videri

videri possit jurisprudentia, quod pro debito proprietarii res mobilis alterius, scilicet conductoris rei hypothecatæ, ut quidem exprimit *dict. loc.* Reformat. Zutphan. pignoretur: Cum tamen nec ratio nec jus patiatur, ut alieno nomine is conveniatur, qui nec respectu rei nec obligationis alicujus vel quasi vinculo attinetur. Unde processit ista Doctorum sententia: statutum obligandi alium pro alio esse contra jus commune & naturalem æquitatē ac proinde cum eodem jure communi quantum fieri possit conciliandum, vid. not. *ad Bart. in rubric. tit. C. Ne fil. pro patre.* Quid si igitur hunc conductorem detentorem hypothecæ dixeris atque ob hoc meritò in eundem non secus ac in possessorem realem actionem, qualis moribus datur annui reditus creditori, competere *per text. in l. Officium. 9. ff. de rei vind.* Ferrar. *in practic. tit. 1. form. interrogat. verb. vel etiam detentator. gloss. 3.* quem sequitur Chassan. *ad consuetud. Burgund. rubr. 11. de censib. §. 6. ad verb. contra detentorem. num. 2. & 3.* † Cum autem nec ita omnem superaveris du-
4 bitandi rationem, satius existimo cum Juliano *in l. 20. ff. de legibus.* hoc loco dicere, non omnium quæ à majoribus constituta sunt rationem reddi posse. Quippe quod multa (eodem monente Juliano *in l. Ita vulneratus. 51. ff. ad leg. Aquil.*) jure contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus rebus probari possit. Harum unum exemplũ esto in hoc articulo, cujus originem, loco rationis, referunt Reformatores ad antiquam consuetudinem vel juris Velavici observantiam. Sic Jac. Cujac. *lib. 4. feudor. tit. 14.* prædictam *legem. 20. ff. de legib.* Galliæ moribus accommodat, quod plerumque ratione destituantur, petiti videlicet partim ex jure Gallico partim ex imperitorum Doctorum vel interpretum malè cohęrentibus sententiis. Vid. Petr. Costal. *in Adversar. ad dict. l. 20.* & eleganter in hanc rem (ut floridi aliquid addam) Petr. Cunæus de republ. Hebræor. *lib. 2. cap. 24.* *Quis*, inquit, *nostrum tam arroganti fiducia est, uti se posse ea explicare omnia existimet quæ posita vel in ipsorum hominum institutis sunt? Olim Lacedæmonum legibus vetabantur Ephori, statim ut magistratum inierant barbæ alas pascere. & Solonis sanctio, eum, qui seditionem & motus civicos*

 quietus

quietus spectavisset, ignominia notabat. Non dubitat Plutarchus, quin utrumque optimo consilio factum ab illis sit; sed tamen mens, inquit, autorum ignoratur.

ART. 24.

WAnneer yemandt liquide und pure verwillekeuring van reale und parate executie aen ghereet gelt, ofte van biedung der leste ruimung und inherung aen erfgoet ghedaen heeft, soo sal d'officier de partije tot welckers behoef sulcke verwillekeuring gheschiet sy, ter wercklicker executie verhelpen, sonder daer toe te gebruicken ghewoontlicke inganck van rechte.

ART. 24.

QUando inter partes absolutè purèque convênit de reali ac parata executione in pecuniam numeratam, aut de facienda evacuatione & addictione rei immobilis; non utetur officialis consueto juris ingressu, sed re ipsa exequetur in usum illius cui tali conventione provisum est.

ART. 25.

UNd sal de verwillekeuringh over gereet goet voor den Scholtis ter stede daer te bevinden, und over erfgoet voor den Drost ofte Richter respective, oirkondt geerfden ghedaen, und die verwillekeurende partije by de voorss. hoge und leghe officieren, elcx int sijne, van die kracht und werckungh haerer verwillekeuring te recht geinformeert und bericht worden, op dat die simpele luiden mogen weeten und verstaen watse doen.

ART. 25.

FIet autem conventio de parata executione quo ad res mobiles apud prætorem eo loci præsentem, & quoad res immobiles apud satrapam aut judicem, testibus immobilium possessoribus: præmonitis interim diligenter ita contrahentibus de vi & efficacia suæ obligationis, quò homines simpliciores intelligant quid agatur.

ART. 26.

SOo sal oock eener sijn selfs persone of goet alleen und gheens anderen

ART. 26.

NEmo etiam nisi se sua-ve propria bona non alterius cujusquam

deren verwillekeuren of verbinden mogen. | quam hujusmodi obligationis vinculo adstringere poterit.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *De parata executione & quando ea intercedit,*
2. *Libera ad hanc requiritur debitoris voluntas,*
3. *Simpliciter obligatus ad eandem non potest cogi.*
4. *Instrumenta garentigiata quæ & unde dicta.*
5. *Quomodo pignoratio differat à parata executione, remissivè.*
6. *Diversæ formulæ paratæ executionis in Gelria usitatæ.*

† HUc usque actum fuit de processu ordinario executionis, sequitur in tribus his articulis de extraordinario, quando inter partes convênit de parata executione. Quæ quidem in personalibus fit, quando quis mobilia sua pignorationi novissimæ, *de pantsterckinge*, subiicit: in realibus autem, quando quis stipulatur rei immobilis novissimam evacuationem & addictionem, *die leste ruiming ende inhering aen erfgoet art.24.hic.art.5.& 6.supr.cap.*13.Reformat.Zutphan. *tit. 9. §. 5.* † Utrobique necesse est ut præcedat libera debitoris voluntas, unde ejusmodi pactum vel conventio notanter dicitur *Verwillekeuring*, quæ vox pari significatione etiam reperitur in statutis Wormacientibus, referente Paul. Wehnero *in practic. observat. lit. V.* † Neque enim aut sine instrumento aut communi forma jam antè obligatus cogi potest à creditore ut denuò de parata executione promittat, quod post Angel.& Alexand. de Imol.docuit.Roderic. Suarez *ad leg. post rem judicatam.ff.de re judicat.in declarat.leg.regni. §. Item quæritur,aliquis est obligatus. pag.mihi* 687.*col.*1.adducendo ad hoc *l.2.in princip. in verb. nisi hoc ei nihil nocet. ff. solut. matrimon.* Fac. notat. per Felin. *in cap. significaverunt. in fin.extr. de testib.* Eòdem pertinet quod *in art.* 25. primum omnium doceri volunt simpliciores de vi hujusmodi conventionis, quò intelli-

4 gant quid agatur. † Instrumenta porrò in quibus taliter conventum est dixeris *guarentigiata* quasi firma, quibus præcisè parendum est, à Lombardorum *guarentigia*, quod denotat firmitatem, & *guarentigiare*, firmare, ut post alios Coler. *de processu executiv. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *Vffel. in not. ad Covarruv.* de quibus remittendo egi suprà *cap.* 11. *art.* 1. *gloss.* 1. *non procul à fine & passim eod. tit.* quem à Doctorum traditis circa prædicta instrumenta non nihil ibi illustrare conatus sum. † Quo loco
5 dicta instrumenta non nihil ibi illustrare conatus sum. † Quo loco etiam observare licebit ad *art.* 6. quantum ab hac conventa parata exe-
6 cutione differat pignoratio, vulgariter *peindung* appellata. † Solet autem aliter atque aliter in diversis Gelriæ partibus, quod notandum puto, variari in phrasibus obligationis, verbi gratia, in hac ipsa Velavia & Comitatu Zutphaniæ, ut modò dictum, *by verwillekeurung van verwonnen panden*, *pandtsterckung*, *reale ende parate executie*, *biedung der leste ruiming ende inherung*: Alibi verò, *by pandtfeilicheit, per expandabitur*, *pandung*, *coop*, *verwin*, item, *als schuldt met vollen rechten uytghesleten ende verwonnen.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Officialis conventionem paratæ executionis absque ulla inquisitione exequitur.*
2. Willekuhr bricht Lantrecht.
3. *Nullam hic officialis habet causæ cognitionem, nec admittit exceptiones,*
4. *Limitatur primò in exceptione debiti non liquidi.*
5. *Secunda limitatio in debito conditionali.*
6. *Firmatur magis regula de non admittendis hîc exceptionibus, & num.* 7.
8. *Remittitur pro illustratione. & quomodo aliæ exceptiones sub prædictis comprehensæ aliquando admittantur.*

9. *An*

9. *An instrumentum paratæ executionis ubique locorum executioni mandari debeat, tractatur.*
10. *Continentia causæ moribus nostris vix attenditur, abrogata* l. Nulli. 10. C. de judic.

1 TEr *werckelicker executie verhelpen)* † Tenetur officialis ex partium voluntate sine mora exequi, vel, ut habet Reformatio Zutphan. *dict. loc. die verwillekeuring te volgen*, id est, *partium conventionem sequi*, neque quid secus lege statutum esse possit indagare. Provisio namq; hominis hic tollit provisionem legis, de quo Everard. *in topic. loc. ab erpress. ad tacit. num.* 20. *&* 21. *alleg. leg. cum ex filio.* 29. *ff. de vulgar. & pupillar. substitut. l. ult. C. de pact. convent. tam sup. dot.* & contractus quilibet ex conventione legem accipit *l.* 1. §. 6. *ff. depositi l. contractus*
2 23. *ff. de reg. jur.* † Unde natum est apud Germanos vulgatum illud: *Wilkuhr bricht Lantrecht* Joan. Ruding. *observat. singular. cent.* 5. *obs.* 65.
3 Joan. Gryphiand. *de Weichbild. Saxon. cap.* 77. *num.* 6. † Et sic quidem officialis hic nullam habet causæ cognitionem, sed est merus executor *l. si ut proponis* 6. *C. de execut. rei judicat.* nec ullas potest admittere exceptiones, nisi quas Reformatores in hujus art. principio insinuant, quales sunt debiti non liquidi & conditionalis, in verbis, *liquid und*
4 *pure verwillekeuring.* † Prima est exceptio debiti non liquidi, quia data etiam ex statuto instrumenti guarentigiati parata executione eadem nequaquam tollitur, ut latè tractat Joan. Petr. Surd. *decis.* 27. *num.* 5. 6. 7. 8. & 9. & post hunc compluribus aliis citatis Carol. de Grassis *tractat. de exceptionib. ad mater. statuti excludent. omnes exceptiones. except.* 36. *per tot.* novissimè Jacob. Cancer. *variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 25. † Altera debiti conditionalis, de qua idem Grass. *dict. tractat. except.* 33. quæ & sub priore quodammodo comprehendi potest, non solùm ex mente hujus articuli, verùm etiam quod id quod sub conditione promissum est purificandum & liquidandum, ut ita dicam, veniat, per tradita Anton. Mass. Gales. *tractat. ad form. cameral. obligat. part.* 3. *quæst. de liquidat. num.* 11. *Nam & liquidum instrumentum* (ut idem inquit *dict. loc. num.* 1. *in fin.) intelligitur clarum &*

& certum, ac liquidatio & liquidare sunt actus & probationes quibus mediantibus de incerto & obscuro fiat certum & clarum. vid. supr. *cap.* 11. *art.*
6 4. *gloss.* 5. † Firmatur autem magis regula de non admittendis exceptionibus, nisi utroque casu jam dicto, quod statutum aliquas admittens in specie exceptiones, ut hic, cæteras videatur omninò rejicere, ita post Angel. & alios eleganter ac plena manu Francisc. Milanens. *in decis. regni Sicil. lib.* 2. *in quæst. post decis.* 13. *num.* 22. 23. 24.
7 *& mult. sequentib.* † Ut taceam, pridem docuisse Francisc. Marc. *decis.* 271. *num.* 2. Cravett. *cons.* 201. *num.* 38. & Roland. à Valle *cons.* 29. *lib.* 1. quos citat & sequitur Carol. de Grass. *dict. tract. de except. in prælud. num.* 166. valere statutum omnes rejiciens exceptiones.
8 † Tu, si usu venerit, ad pleniorem hujus art. illustrationem, consule inprimis de materia utriusque exceptionis debiti non liquidi & conditionalis Didac. Coverruv. *variar. resolut. lib.* 2. *cap.* 11. semperq; memor sis duabus his positis cæteras necessariò quasi comprehensas non excludi, veluti sunt exceptio solutionis *arg. l. cum militi.* 16. §. 1. *ff. de compensat. l. Item.* 4. *l. In futurum.* 57. *ff. de pact.* itemque nullitatis, de qua post Rebuff. ad constitut. reg. Math. Coler. *de processib. executiv. part* 4. *cap.* 1. *num.* 69. *cum antecedentib.* modò cognitio prolixiorem tractatum non habeat, hoc est, si de iisdem in promptu appareat nec altiorem indaginem requirant *l. Ille.* 13. §. 3. *ff. ad senatusc. Trebell. l. si is.* 3. *in princ. ff. Ut in possession. legat. vel fideicommis. &c.*
9 † Quoniam porrò ad majorem quoque elucidationem pertinet, an hujusmodi instrumentum guarentigiatum, quod *Verwillekeuring* dicimus, ubicunque locorum sine ullo judicii sufflamine executioni mandari debeat, bifariam statuo. Aut enim quæritur de tali conventione in personalibus, quæ coram prætore, vulgò sculteto, mobilia tantum afficit: aut in realibus, quæ coram satrapa aut judice Velavico immobilia respicit, ut est *in art.* 24. & 25. *hic.* Priore casu, si in loco petendæ executionis, æquè ac in loco initi contractus, statutum permittit prædictam conventionem, non est quod dubitare quis possit:

poſſit : ſecus ſi aliud obtineat, cum in executivis conſideretur ſtatutum loci, quo petitur executio *per notat. Bart. Bald. Paul. Jas & commun. Doct. in l. 1. C. de ſumma trinitat.* Et notum eſt, mobilia ſequi perſonam debitoris ac proinde ejuſdem judici non immeritò ſubiici, præſertim quando moribus Velaviæ non ſolùm res ſed & ipſa debitoris perſona ad paratam executionem obligari queat *art. 26. hoc cap.* Faciunt ad hæc præcipuè quæ tractant Roderic. Suarez. *in l. poſt rem judicatam. ff. de re judicat. in declarat. leg. regni. §. circa judicem. pag. mihi 674. num. 13. vers. ad propoſitum. & num. 14. ac paſſim ibid.* Math. Coler. *tractat. de proceſſib. executiv. part. 1. cap. 3. num. 13. & mult. ſeqq.* Poſteriore verò caſu, quoniam immobilia conventione hujuſmodi non rectè afficiuntur niſi coram judice loci ubi ſita ſunt, nec ab alio etiam executioni mandari queunt, maximè quando vulgatum ſit, à legibus loci ſitus eadem regi, poſt Bart. & Dd. in l. 1. C. de ſumma trinitat. Argentræ. *ad conſuetud. Britan. tit. de donat. art. 218. gloſſ. 6. num. 30.* ridiculum fuerit pro obtinenda parata executione jam conventa alterius juriſdictionis judicem adire, cui extra vel ſupra terrirorium ſuum jus dicenti impunè non pa-
10 reatur *l. fin. ff. de jurisdict.* ‡ Accedit quod moribus noſtris adeò ſint ſeparatæ & determinatæ cujuſque judicis juriſdictiones, ut nec continentia cauſæ attendatur ac quaſi obſoleverit *l. Nulli. 10. C. de judic.* uti non ita pridem ex facto conſultus reſpondi. *vid infr. ad art. 10 cap. 18.*

Gloſſa III.

SVMMARIA.

1. *Rogari debet officialis antequam ad executionem procedit.*
2. *Vim non facit qui ex conventione poſſeſſionem alterius ingreditur.*
3. *An citatio neceſſariò præcedat in executione conventionis paratæ executionis.*

4. Praxis Hispaniæ nostræ similis.
5. Non tollitur qualiscunque defensio.
6. In comitatu Zutphanico requiritur prævia denunciatio.

1 S*Onder daer toe te gebruicken gewoonlicken inganck van recht)* † Scilicet ex quinque istis procedendi modis *suprà cap.*7. ordine enumeratis, quibus jure Velavico in judicium itur, nullus erit necessarius, sed statim à reali executione incipiet officialis. Qui tamen rogari debet nec sua sponte ad executionem properare, multò minus permittere ut à privato aliena possessio se irrequisito occupetur, quæ regula debet esse perpetua in hac paratæ executionis materia, uti latè tractat Math. Coler. *de processib. executiv. part.*2. *cap.*1. *num.* 1. *& seqq. & part.*3. *cap.*4.
2 *&* 5. quò pro instituto, ut brevior sim, remitto. † quamvis si quis conventionis legem sequutus alterius possessionem ingrediatur, vim facere non videtur, *per text. in l. Creditores.* 3. *C. de pignor. & hypothec.*
3 *junct. l. Pignoris.* 1. *C. de pignoratit. act.* † Quid autem de citatione, an etiam illa præcedere debet? Certè Baldus in *l. Ab executore. C. Quorum appellat. non recip.* & post hunc Salicet. *in* §. *fin. Institut. de pœn. tem. litigant.* ex eo, quod nulla causæ cognitio antecessit, necessariam esse existimant in executione instrumenti guarentigiati citationem. Sed cum textus hic consueta judicii præparatoria non solùm reiiciat, sed etiam citationis aut denunciationis præmittendæ nullam faciat mentionem, non est quod cum eorum opinione transeamus, vel ex eo quod dicendum nobis non sit, quod statutum non dicit *l. si servum.* §. *Non dixit prætor. ff. de acquir. hered.* Bart. & Dd. commun. *in l. Omnes*
4 *populi. ff. de justit. & jure.* † Huic similem ferè praxin Hispaniæ ponit & rationibus ac autoritate alicujus Doctoris confirmat Roderic. Suarez *in l. Post rem judicatam. ff. de re judicat. in declarat. leg. regni.* §. *Duodecimò principaliter limita. pag. mihi* 645. *col.* 1. qui locus huic illustrando inprimis est utilis. adde Joan. Sand. *decis. Fris. lib.* 1. *tit.* 12. *definit.* 3.
5 † Nec movet quod jam antè debiti non liquidi & conditionalis exceptiones

ceptiones admitti contra paratam hanc executionem probavimus, ac proinde citandum videri debitorem quò easdem in tempore opponat: Siquidem eas, si ex instrumento apparent, judex vi statuti ex officio supplet, & ipse debitor si gravetur, quocunque modo hujus notitiam habuerit, eousque cæptam executionem impedire potest. Atque ita qualiscunque defensio non omninò tollitur, ut tamen ex causa de jure tolli potest, sed postmodum admissa variatur, temperatur &, ut ita dicam, modificatur id. Roderic. *post Angel. dict. loc. num.* 3. ‡ Aliud vult Reformatio Zutphan. *tit.* 9. *art.* 5. & nescio an æquius fuerit, ut ipsam executionem à judice decernendam præcedat unica saltem denunciatio.

Dat XV. Cap.

Van de loese eenes verwonnen goets.

ART. 1.

ALs een goet gheheel verwonnen und d'aenleggher daer in gheheert und geeigent is, soo t' selve goet beter waer dan daer voor hy dat verwonnen hadde, sal des goets gewesen eighenaer in de naeste sess jaeren, nae dato des verwins, dat goet moghen quijt coopen, vrijen und loesen met alsulcke penningen daer voor het verwonnen is, sampt restitutie van alle bewijslicke kosten und schade, gerichtelick und ongerichtelick daer om gedaen

Caput XV.

De redemptione rei per executionem evictæ.

ART. 1.

QUando res aliqua penitus evicta ac actori addicta pluris valet quàm id cujus causâ ad evictionem processit, integrum erit illi, qui ejusdem antè fuit proprietarius, proximo inde sexennio prædictam rem liberare ac redimere ea pecuniæ summa pro qua evicta fuit, cum restitutione omnis tam judicialis quàm extra-judicialis impensæ ac damni probabilis, nec

daen und gheleden, wie oock van de kentlicke beterschap, soo eenighe daer aen geschiet mochte syn, Allet tot taxatie und moderatie des Gerichts, und wat genot daer en tusschen van den goede gekomen, sal de verwinner sonder reekenschap ofte restitutie mogen beholden, soo hy wil.

non perspicuæ meliorationis, si qua facta apparet, prævia tamen judicii æstimatione & moderatione. Quicquid autem interim ex re perceptum est emolumenti, retinebit, si ita vult, is qui evictionem impetravit absque ullo onere reddendæ rationis.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *De redemptione rei immobilis addictæ.*
2. *Quare dicatur in textu,* gewesene eigenaer.
3. *Tempus redemptionis quomodo tum hic tum alibi in Gelria variet.*
4. *Remedium redemtionis magis consuetudinarium, quàm juris communis,*
5. *Præter hoc non datur facultas experiundi remediis ordinariis juris communis. De anno reluitionis ex moribus Saxonum, remissivè.*

1 S*Al des goets gewesene eigenaer in de naeste sess. jaeren &c.)* † De redemtione rei mobilis jam addictæ actum fuit *suprà cap.* 13. *art.* 2. ubi dixi in glossa 3. quæ hic non inutiliter repeti queunt. Agitur hoc capite de redemtione rei immobilis similiter jam evictæ & ad-
2 dictæ. † Significanter autem dicitur, *gewesen eigenaer*, quasi ut olim non amplius post addictionem rei suæ sit proprietarius *art.* 10. *sup. cap.* 14 & præstituitur spacium sexennii, quo redimere possit ac (ut loquuntur jura) *pietatis intuitu in rem suam humanum habeat regressum.*
3 † Aliter circa tempus statuunt Reformat. Zutphan. *tit.* 8. §. 11. & Leges insular. Bommel. & Tiel. *art.* 23. ut qui peregrè absunt, hoc est, ut alibi interpretatus sum, extra fines Ducatus Gelriæ & Comitatus

tatus Zutphaniæ, habeant sexennium, cæteri verò triennium tantùm à die plenariæ (ut ita dicam) executionis. in quo sequuntur transactionem Ducum ac Ordinum Gelriæ & Cliviæ *art.* 23. *an.* 1538. Idem jus nuper in comitiis Arnhemiensibus *an.* 1629. concessum fuit scabinis Bommeliensibus. † Et quamvis hoc remedium redemptionis quodammodo firmari possit ex *l. fin.* §. 3. *C. de jure domin. impetrand.* quam attigi in dict. gloss. mea: tamen cum eadem testibus Bart & Bald. ibid. pridem in desuetudinem abierit, ac contra pugnet textus *in l. Si finita.* 15. §. *posteaquam.* 33. *cum gloss. ibid. ff. de damn. infect.* satius est planè extraordinarium ac consuetudinarium dicere, quàm à jure communi scripto derivare. Quod ex moribus Hispaniæ quoque agnoscit Joan. Parlador. *rer. quotidianar. lib.* 2. *cap. fin. part.* 5. §. 16. ‡ Neque tamen admisero ut moribus nostris præter extraordinarium hoc supersit adhuc facultas experiundi remediis ordinariis à jure communi proditis, de quibus id. Parlador. *dict. loc. num.* 6. cum ad vitandam litium multitudinem & perplexitatem unicum illud abundè sufficere debitori judicaverint Reformatores. De anno reluitionis ex jure Saxonico concesso habes apud Math Berlich. *practic. conclus. part.* 1. *conclus.* 81. *num.* 191.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Redemptio non conceditur nisi persoluto debito.*
2. *Alibi in Gelria non redimitur nisi duplo ejus quod debetur soluto,*
3. *Quo casu videtur cessare repetitio meliorationum.*

1 M*Et alsulcke penningen daer voor het verwonnen is)* † Redemptio non conceditur nisi exsolutis nummis, id est, debiti quantitate persoluta, cujus respectu ad evictionem & addictionem processum fuit. Quod ut consuetudini Zutphan. ita juri quoque consentaneum

esse arguit *l. Edicto.* 3. *C. Si advers. fisc. l. Si quis. fin. C. Si propter publicas*
2 *pensitation. l* 1. *C. de fid. & jure hast. fiscal. lib.* 10. † Magis rigidæ sunt consuetudines modò dictæ insular. Bommel. & Tiel, item transactio *an.* 1538 ac jus istud in comitiis *an.* 1629. Bommeliensibus concessum: Quæ singula in redemptione duplum pretii exigunt, *met dob-*
3 *belden gelde*, ut loquuntur. † Quo tamen casu non malè quis putaverit cessare repetitionem meliorationum, cum in præcitatis nulla earundem habita ratione, solùm caveatur de impensis, vel, ut loquuntur, damnis judicialibus, aliter atque hoc loco fit.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Arbitrium judicis versari circa taxationem impensarum & meliorationum,*
2. *Adduntur nonnulli autores de hoc tractantes.*
3. *In æstimandis meliorationibus an respiciatur ad tempus præteritum an præsens, plenè declaratur.*

1 W*Ie oock van de kentlicke beterschap*) † De expensis judicialibus & extra judicialibus, itemque meliorationibus egimus suprà *cap.* 14. *art.* 22. *gloss.* 3, & 4. ubi in iisdem taxandis & moderandis judicis arbitrium multum versari probatum fuit, quod utrobique confirmat textus in verbis: *tot taxatie ende moderatie des gerichts.* † Cujus quidem
2 animus, si casus obtigerit, post ibid. citata, optimè quoque instrui potest ab iis quæ ubertim tractant Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 6. *cas.* 503. & Anton. de Gamma *decis. Lusitan.* 310. quò retulisse pro instituto suffecerit. † Sed quæritur in specie, an circa dictarum
3 meliorationum æstimationem habendus sit respectus ad tempus præteritum quo factæ sunt, an verò ad præsens quo æstimandæ? Hoc affirmant plurimi *per text. in l. Domos. ff. de legat.* 1. & sunt autores ibid. Bart. Paul. Alexand. & Jas. & post hos Negusant. *tractat. de pignor.*

4

4. *memb.* 5. *part. num.* 16. Menoch. *recuperand. possess. remed.* 15. *num.* 557. Andr. Gail. 2. *obs.* 121. *num.* 12. ubi communem esse opinionem asserit: Illud verò amplectuntur non pauciores qui adducuntur à Mazz. *in tractat. de fideicommiss. quæst.* 65. *vers. regula enim est.* & Anton. Tessaur. *decis.* 251. *num.* 1. moti textu *l. In fundo.* 38. *verb. solum quod impensum est. ff. de rei vindicat.* Unde prædictæ quæstionis admodum dubia redditur solutio, adeò ut Anton. de Gamma *decis. Lusitan.* 137. relatis solùm utrimque opinantibus nihil definire maluerit, ac Tessaur. *dict. decis.* 251. *num.* 4. dicat nullam harum opinionum diserta lege defendi posse, ac proinde ex mente jurisc. arbitrarium esse quid judex sequatur: utcunque ipse post decisionem Senatus Pedemontani priorum sententiam, temporis scilicet præsentis habendam esse rationem,
4 ut veriorem præferendam existimet. † A qua inspecto hoc textu, qui loquitur de meliorationibus perspicuis, id est, prout jam apparent, *de kentlicke beterschap*, recedendum non puto: quod confirmat quoque *art.* 8. *tit.* 2. *part.* 2. Consuetud. Transisulan. in verb. *nae de weerdie, soo ten tijde der scheidinge sal worden bevonden*, id est, secundum æstimationem, quæ tempore divisionis invenietur. Vide omninò Tessaur. *dict. loc.*

Glossa IV.

SVMMARIA.

1. *Nec expensarum nec meliorationum compensationem cum fructibus hic fieri.*
2. *Conciliatur cum hoc textu* l. sumptus. ff. de rei vindicat.
3. *Quod plenius illustratur.*
4. *Res judicata curiæ Parisiensis.*
5. *Remittitur.*
6. *Verba,* soo hy wil, *arbitrio possessoris committunt, ut factâ redemtione fructus retineat aut dimittat.*
7. *Qui eosdem dimittendo humanius est facturus, quod à diversorum egregiè dictis illustratur.*

Vnd

1 *UNdwat genot daer en tusschen &c.)* ‡ Nec expensarum nec meliorationum compensationem cum fructibus perceptis post addictionem permittit hic textus, etiamsi repugnare videatur *l. sumptus. 48. ff.*
2 *de rei vind.* † Cujus ratio diversitatis est, quod in dicta l. agatur de possessore rei alienæ, hic autem de eo qui solemni addictione rei per executionem evictæ jam factus fuit dominus *art. 10. supr. cap. 14. junct. l. Et si quis. 14. §. 1. in verb. dominium habet qui autore judice comparavit. ff. de religios. & sumpt. fun. l. Justè. 11. ff. de acquir. vel amittend. possess.*
3 † Cum qua ratione, apposité ad hunc locum, transit Anton. de Gamma *dict. decis. Lusitan. 310. num. 5. & 6.* ac faciunt ea quæ latè tractat Ar. Pinell. *ad l. 2. C. de rescind. vendit. part. 2. cap. 4.* inprimis verò Co-
4 varruv. *variar. resolut. lib. 2. cap. 11. num. 3.* ‡ Consimiliter judicatum refert in curia Parisiensi, de eo qui rem aliquam ex decreto venditam possidet, Joan. Imbert. *in enchirid. verb. possesseur de la chose adjugee par decret.* † Post hæc ad hujus textus majorem illustrationem videatur,
5 qui post hæc scripta ad manus venit, Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 1. constitut. 32. definit. 56.*

6 † Cæterùm notanda novissima hujus art. verb. *soo hy wil*, quasi velint Reformatores possessorem rei addictæ facta redemptione summo quidem jure retinere posse fructus à se interim perceptos, at non prohiberi, quo minus contentus sit post debiti satisfactionem, legitimarumque usurarum rationem, refusis tum meliorationibus tum judicialibus & extrajudicialibus expensis à se erogatis; imo humanius ac magis pro officio boni viri facturum. ‡ Nam per solam humanitatem Dei ser-
7 vatur imitatio, ut inquit Imperator *in l. ult. C. de donat. inter vir. & uxor.* & contrà observatum, ut, quod Comicus ait, jus summum sæpè summa sit malitia. Cui simile illud Columell. *lib. 1. de re rustic. cap. 7.* quod summum jus antiqui summam putabant crucem. Ac hoc fine meminisse oportet illius Gregor. *homil. 6.* quem locum & alibi adduxi, *in omni quod dicitur semper tacitè recurri debere ad mentem & interiorem testem & judicem requiri. Quid enim prodest* (inquit) *si omnes laudent & conscientia accuset, aut poterit obesse si omnes derogent & sola conscientia defendat?*

ART. 2.

ART. 2.

DEs en sal de verwinner sulcken verwonnen goet tyde der loess in syne substantie niet verergeren, of hy sal daer voor verantwoorden und ghenouch doen moeten, soo vern het gelost werde.

ART. 2.

CÆterùm is qui evictionem impetravit, pendente tempore redemtionis, rei evictæ substantiam non depravabit, vel ejus rationem reddet ac satisfaciet, si quando redimitur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Creditor re addicta abuti non debet, donec redemtionis tempus transierit, ubi rationes,*
2. *Multò minus eandem interim alienare potest ac competit debitori eo nomine tum actio ad id quod interest, tum ipsius rei vindicatio.*
3. *Removetur objectio quæ in contrarium moveri potest,*
4. *Confirmatur ab intellectu juris Saxonici & re iudicata.*
5. *An tempus sexennii redemtionis ex causa prorogari queat.*

† SUmma ratione nititur hic articulus. Interest enim debitoris propter spem redimendi ne re jam addicta abutatur creditor, etiamsi ejusdem post addictionem sit dominus factus, uti suprà notatum est. Et sic locus erit regulæ non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri *l.* 47. *ff. de reg. jur.* Accedit illud Justiniani Imperatoris §. *Sed hoc tempore.* 2. *Institut. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* expedire Reipublicæ ne sua etiam re quis malè utatur, idque publicæ disciplinæ & salutis causa, cujus major quàm rei privatæ habenda semper est ratio *auth. res quæ. C. commun. de legat.* quod notat *ad d.* §. 2. Wesenbec. † Consonat huic articulo *tit.* 8. *art.* 12. Reformat. Zutphan. & rectè arguitur juncto art. 2. *cap.* 13. *supr.* multò minus permitti

 credi-

creditori rei addictæ alienationem, antequam sexennium redemtioni præstitutum effluxerit. Competit etiam debitori, si contrà factum fuerit, ad id quod ejus interest actio in creditorem alienantem *l. Si ita quis. 135. §. Ea lege. 3. ubi gloss. & communiter Dd. ff. de verbor. obligat.* vel rei ipsius vindicatio adversus eum in quem translata est, prout hoc vel illud eligere maluerit. † Nec movet quod jus hoc redem-
3 tionis videri possit solùm personale ac proinde rem alienatam ejusve possessorem nequaquam sequi *l. ult. §. 1. ff. de contrahend. empt. l. 1. §. Si heres. 16. ff. Ad senatusc. Trebell. cum similib.* non secus ac de pacto retrovenditionis communis quasi Doctorum schola statuit, uti videre est apud Andr. Gail. 2. *obs.* 16. *num.* 3. *cum sequentib.* Siquidem notum est prohibitionem alienationis à lege, cujus vim statutum meritò obtinet, factam ipsam rem afficere in quemcunque pervenerit possessorem, ideòque etiam impedire dominii translationem *per notat. Doctor. in dict. authent. res quæ. C. commun. de legat.* Gail. *d. obs.*
4 *num.* 7. ‡ Ita etiam ad intellectum consuetudinis Saxoniæ tractat & judicatum refert Benedict. Carpzov. *ad constitut. elector. Saxon. part.* 1. *constitut.* 32. *num.* 53. ubi inquit *num.* 5. licet non actio realis, sed personalis puta condictio ex lege detur, ea tamen vi statuti in rem scripta videtur, ut mirum haud sit, adversus quemcunque possessorem agere posse debitorem. † Quod si præterea quæratur an tempus sexennii
5 art. præcedenti redemtioni præfixum ex causa prorogari queat, omissis consultorum disputationibus in promptu responsio est, non posse, quia ita ab Ordinibus Gelriæ in comitiis Noviomagensibus *an.* 1638. circa consuetudinem Comitatus Zutphaniæ ad petitionem Monasteriensium definitum extat. Cui propter autoritatem supremi regiminis acquiescendum est, etiamsi pro ratione circumstantiarum aliquando non inprobabiliter contrarium defendi posset ex iis quæ de lege agraria à Mose populo Israelitico lata tractat Petr. Cunæus *de republic. Hebræor. lib.* 1. *cap.* 2. & 3.

ART. 3.

ART. 3.

UNd sullen fiscus, minderjaerigen, und anderen teghens welcke geene præscriptie bestaet ofte plaets heeft, hier in hare prerogative ofte vordeel genieten.

ART. 3.

IN hoc autem suis fruentur privilegiis fiscus, minores aliique contra quos non currit præscriptio.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Sexennium redemtioni præstitutum contra quos non currat.*
2. *Conson. Reformat. Zutphan.*
3. *Fisci causam esse favorabilem,*
4. *In quibus potissimum iste favor consideretur.*
5. *Quatenus contra fiscum præscribatur, remittitur ad ea quæ alibi tractavi.*

‡ Usu hic venit quod dici solet, omnem definitionem, id est, regulam, juxta Joan. Mercer. *opin. lib.* 2. *cap.* 16. in jure esse periculosam, quia parum sit, ut non subverti possit *l. Omnis.* 202. *ff. de reg. jur.* Cum enim antè statuisent Reformatores sexennio finiri facultatem redimendi rem immobilem quæ per modnm executionis addicta erat, modò excipiunt locum id non habere in fisco, minore, aliisve, quibus hic similiter succurritur ac in præscriptione fieri consuevit. ‡ Cui convenit Reformat. Zutphan. *tit.* 8. *art.* 12. *junct. etiam ibid. art.* 8. ‡ Primo loco designatur fiscus, cujus causam maximis favoribus à legibus ornatam ese dicit Didac. Covarruv. *variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 16. prout latè de singulis post citat. à dict. Covarruv. tractat Marc. Anton. Peregrin. *tractat. de jurib. & privileg. fisci.* ‡ Summa omnium est, ut juris positivi strictis regulis non sit obnoxius, unde manavit, principem legibus esse solutum: item, jura fisci præcipuè

niti tum naturali æquitate tum jure gentium. † Quatenus autem
5 contra fiscum præscribatur disserui pluribus ante annos aliquot *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat. 3. cap. 9. num. 43. cum mult. sequentib.* quò brevitatis studio remitto.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Verbo* minderjaerigen *comprehendi tam pupillos quàm pupillas, qui quæve minores, sublatâ moribus tutelæ & curationis distinctione,*
2. *Horum harumve numero qui habendi,*
3. *Ut in præscriptione ita hic sexennii cursus prædictorum respectu suspenditur,*
4. *Confirmatur ex jure & simili statuto Delphinali.*

1 M*Inderjaerigen)* † Unico hoc vocabulo comprehendimus tam pupillos quàm pupillas, qui quæve promiscuè appellantur minores, sublata videlicet moribus tutelæ ac curationis distinctione & proinde
2 pupillari minorique ætate confusa. † Tales sunt masculini generis ad annum usque vigesimum, fæminini verò ad decimum octavum, utrobique completum, nisi ante id temporis matrimonium contraxerint *infr. cap. 29. art. 1.* dixi præterea *in supplemento ad tractat. Sand. de Effestucat. cap. 5. num. 14. & in Adversar. ad consuetud. Gelr. tractat. 4. §. 14.*
3 † Horum intuitu suspenditur cursus præscriptionis ac de jure dormire dicitur Balb. *tractat. de præscript. secund. part. sext. principal. incip. Nunc venio ad secundam &c.* Quod ex similitudine quadam in sistendo cursu sexennii ad redemtionem bonorum immobilium jam addictorum
4 præfixi imitantur hoc loco Reformatores. † Quibus suffragatur quodammodo *l. si creditor. 7. §. 1. ff. de distract. pignor.* ubi dicitur, *licere debitori annis viginti quinque minori, si hypotheca venierit, pecunia soluta eam recuperare, ac simile* ferè statutum Delphinale, Guid. Papæ *in decis. quæst. 31. ubi num. 2.* asserit, pupillum ipso jure manere illæsum nec currere adversus illum hujusmodi statutorum tempus.

Glossa

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Moribus Velaviæ adversus minorem non currere præscriptionem consuetudinariam.*
2. *Quis sit minor.*
3. *Non esse opus hic distinctione inter præscriptionem longissimi & longi temporis &c.*
4. *Remedium extraordinarium restitutionis in integrum moribus Gelriæ exolevisse, usurpatum tamen in tetrarchiâ Ruremundana.*

T*Eghens welcke geene prescriptie bestaet ofte plaets heeft)* † Ad verbum reddideris, *adversus quos nulla præscriptio consistit aut locum habet.* Unde rectè elicueris, moribus Velaviæ adversus minorem non currere præscriptionem consuetudinariam trientis seculi, vel potius eandem illius respectu dormire, hoc est, inchoatam tempore minoris ætatis ita cessare, ut tamen eodem exacto vim suam rursus exerat ac cum priore tempore continuetur, vid. Lessium *de justit. & jure lib. 2. cap. 6. dubitat. 16.* † Minorem dico, si mas sit, usque ad vigesimum, sin fæmina, usque ad decimum octavum ætatis annum completum, sublata scilicet distinctione pupilli & minoris, quæ in hac patria non agnoscitur, uti suprà *gloss. præcedent.* indicavi. † Neque ita opus fuerit confugere ad illam Doctorum communis juris distinctionem, quam sequi videntur Reformatores consuetud. tetrarch. Ruremund. *part. 3. tit. 4. §. 1. art. 5.* qua præscriptionem longissimi temporis currere nolunt adversus pupillum *l. sicut. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* ut nec longi temporis decem vel viginti annorum contra minorem *l. Non est incognitum. 3. C. Quib. non obiicit. long. temp. præscript.* at contra eundem minorem locum tamen habere prędictam longissimi temporis pręscriptionem, salvâ eidem restitutione in integrum intra quadriennium postquam major factus fuerit. *l. ult. C. de temp. in integr. restitut. tam minor.*

&c. vid. Guid. Papæ *dict. quæst.* 31. *num.* 3. *cum annotat. ibid.* † Quod
4 eò magis recipiendum erit, quia Gelriç moribus remedium illud extraordinarium restitutionis in integrum in usu non habetur, uti notavi *in supplement. ad tractat. Sand. de Effestucat. cap.* 6. *num.* 9. utcunque adhuc frequentetur in tetrarchia Ruremundana, quç regi Hispaniarum paret.

Glossa IV.

SUMMARIA.

1. *Quinam præterea prærogativâ utantur circa sexennii hujus prorogationem.*
2. *Non valenti agere non currere præscriptionem.*

1 UNd anderen) † Non solùm fiscus ac ætate minores, sed & alii nonnulli, quibus de jure non nocet præscriptio, singulari gaudent prærogativa circa predicti sexennii prorogationem. Hujus generis esse possunt omnes illi qui legitima aliqua causa impediti rerum suarum curam gerere nequeunt, sive ea sit bellum, pestis, absentia reipublicæ causa, quæ sine dolo malo accidit, sive alia his non dissi-
2 milis. † Nam & taliter impeditis non solet obesse præscriptio, propter regulam vulgatam, *non valenti agere non currere præscriptionem*, cujus sedes est *in l.* 1. §. *ne autem. C. de annal. except.* Cui ad majorem hujus loci illustrationem jungendus est elegans textus *in l.* 1. *ff. de diversi. temporal. præscript.* adde Cujac. *in paratit. Cod. quib. non objicit. long. temp. præscript.*

Dat XVI. Cap.	Caput. XVI.
Van volmachten und volmechtighen.	De mandatis ac procuratoribus.

Ad

Ad rubricam Glossa.

SVMMARIA.

1. *Usum procuratoris esse necessarium.*
2. *In Gelria olim non nisi impetratâ veniâ per procuratorem lis agitabatur,*
3. *Similis mos Galliæ.*
4. *Procurator alius ad negotia alius ad lites,*
5. *De utroque hic agi.*
6. *Descriptio procuratoris.*

1. VSus procuratoris (inquit Ulpianus *l.* 1. *ff. de procurator.*) perquàm necessarius est: ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint, vel agere vel conveniri. † Quò magis mirari libet moribus patriæ id olim quodammodo fuisse restrictum, dum non nisi impetrata à judice venia lis agitari per procuratorem solebat, veluti arguunt formulæ vernaculæ antiquiores, quæ adhuc alicubi extant, ac inprimis decretum Ordinum Gelriæ in comitiis Arnhemiensibus *an.* 1629. & Noviomagensibus *an.* 1631. quo illius antiqui juris mutatio facta à scabinis Bommeliensibus, itemque
3 judiciis insularum Tielæ & Bommeliæ confirmatur. † Cui simile quiddam Francorum in patria, ut loquitur, consuetudinaria notavit Bertrand. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit.* 3. *de procurator. ad rubric. num.* 3. item Jodoc. Damhouder. *prax. civil. cap.* 84. *ubi not. Nic. Tulden.* Alexand. Chassan. *in paratit. decretal. lib.* 1. *tit.* 38. *vers. olim.*
4 † Alius autem procurator est ad negotia solùm extra judicium, alius ad lites, qui & cognitor veteribus dicebatur, referente ita ex Asconio Pædian. Argentræo *dict. loc.* & post Budæ. Nic. Tulden. *in not.* ad

ad prax. Damhouder. cap. 85. *lit. a.* quorum ut distincta nomina ita
5 distinctæ quoque sunt functiones. † Cæterùm de utroque sub hoc titulo agitur, uti præcipuè indicio est *art.* 1. in verbis *eenige rechts-*
6 *vorderinghe wil aenheven, ofte contracten maecken &c.* † Itaque commodè *ex d. l.* 1. describo procuratorem hic esse, qui aliena negotia mandatu domini administrat. quo tota pariter hujus capitis inscriptio exhauritur, complectens & procuratores & mandata iisdem danda, quæ & procuratoria vulgò appellantur. Vide præ aliis de tota materia Math. Wesenbec. *in paratit. ff. de procurator.* Robert. Marant. *in repetit. l. Si actor. ff. eod. tit.*

ART. I.

SOo wie door eenen volmechtighen eenige rechts-vordering wil aenheven ofte contracten maecken, ofte guedinge ofte ontguedinge doen, die sal geholden wesen syn volmacht te geven voor den Drost van Veluwe ofte Richter van Veluwen-soom und gerichts-luiden ofte voor schepenen der steden.

ART. I.

QVicunque per procuratorem litem intendere, contrahere, bonis immobilibus sese exuere aut induere volet, tenebitur mandatum suum expedire apud satrapam Velaviæ aut judicem oræ Velavicæ præsentibus judicialibus, vel apud urbium Scabinos.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Mandata in Gelria requiri judicialia,*
2. *Nec locum esse* l. 1. & 65. ff. de procur.
3. *Neque admitti eum qui coram notario & testibus est constitutus. conson. Mechlin.*
4. *In feudalibus admitti mandata coram duobus curiæ paribus vel vasallis edita.*

1 † MAndata vel (ut loquuntur) procuratoria cujuscunque generis, sive ad negotia sive ad lites, ne suo effectu destituantur, ex generali

nerali Ducatus Gelriæ consuetudine requiruntur judicialia, quod nominatim cavetur *hoc art.* Cui consonat Reformat. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 8. *art.* 9. & Transisulan. *part.* 1. *tit.* 2. *art.* 11. Statutum urbis Zutphan. *tit.* 16. *art.* 17. ‡ Ita in desuetudinem hic abiit *l.* 1. *&* 65. *ff. de procurator.* ubi Wesenbec. *in paratit. num.* 6. quę extra judicium vel coràm, vel per nuncium aut epistolam, procuratorem constitui patitur: ‡ nec admittitur is qui coram notario & testibus alibi constitui consuevit. Similis videtur esse consuetudo Mechliniensium *tit.* 1. *art.* 25. & ibi P. Christin. *num.* 20. quo ad procuratorem litis causa constitutum. † Frequentantur tamen usu patrię in feudalibus mandata quę coram duobus curię paribus vel vasallis eduntur.

ART. 2.

OOck sullen alle fursten, graven, bannerheeren, steden, geestelicke prelaten und capittelen, voorts conventen und collegien onder haer eygen segelen mechtigen mogen, die welcke volmachten dan oock van volkomener weerden geholden sullen worden.

ART. 2.

ETiam principes, comites, barones, civitates, præsules ecclesiastici & conventus canonicorum, cęnobia porrò & collegia suis sub sigillis mandabunt, habebunturque rata eiusmodi mandata.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Quibusdam tamen concessum esse ut suis sub sigillis procuratorem constituant, ubi similes consuetnd.*
2. *Sigilla per se sufficere nec requiri ulteriorem subscriptionem,*
3. *Utilem tamen eandem esse evitandæ contentionis causa.*

‡ A Memorata modò Gelriæ generali consuetudine eximuntur non pauci *hoc art.* ordine enumerati, quibus concessum est suis sub

sigillis procuratorem constituere, quod præterea traditur in Reformat. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 8. *art.* 11. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 2. §. 12. Instruct. cur. Holland. *art.* 53. *apud Merul. prax. Holland. lib.* 4.
2 *tit* 18. *cap.* 9. Statut. urb. Zutphan. *tit.* 16. *art.* 18. † Quæ quidem sigilla cum ex consuetudine publica habeantur per se ad id sufficiunt nec opus habent ulteriori constituentis subscriptione, vel indicio hujus textus, cui post alios adstipulatur Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 113. *num.* 6. *vers. sufficere ergo &c.* & hunc sequutus Joan. Zanger. *tractat. de except. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 123. 124 &
3 125. adde Mantic. *de tacit. & ambig. conventionib. lib.* 7. *tit.* 10. † Neque tamen evitandæ contentionis causa improbandus est usus, quo plerumque post appensa sigilla ex mandato domini constituentis scribarum accedit subscriptio, quem confirmat constitutio electoralis Saxoniæ referentibus Zanger. *dict. cap.* 8. *num.* 27. & Berlich. *practic. conclus. part.* 1. *conclus.* 14. *num.* 86. Adde Joan. Goedd. ad *l.* 39. *num.* 3. *ff. de verb. significat.*

ART. 3.

Item sullen alle uytheimsche volmachten gepaßeert als recht is, und daer Veluische volmachten aengenomen worden, oock van sulcke weerde sijn, gelijck offe binnen lants gepaßeert weren, und anders geen.

ART. 3.

Item mandata extra provinciam legitimè expedita, ubique Velavica recipiuntur, non minus valida erunt quàm ea quæ in ipsa provincia data erunt, cæteris omninò exclusis.

Huic art. similis est articulus 14. legum Insular. Tielæ & Bommel.

ART. 4.

En volmechtiger sal mogen substituiren, soo veern hem dat selve in sijner principael volmacht toeghelaeten is.

ART. 4.

Liberum erit procuratori alium suo loco substituere, si de hoc in dato sibi mandato provisum est.

Glossa.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Procuratorem sive ad lites sive ad negocia moribus non rectè substituere, nisi ad hoc data sit potestas, contrà quàm jure communi.*
2. *Cessat ita quæstio, an substitutus alium substituere possit.*
3. *Quid si alium substituens ex data potestate moriatur, an propterea substitutio ista evanescat?*

1 †, RECepta juris est distinctio inter procuratorem ad lites & ad negotia, quod hic quandocunque alium suo loco substituere potest *text. in l. si procuratorem.* 8. §. *si quis mandaverit.* 3. *ff. Mandati.* ille verò non nisi post litem contestatam, quia tum quasi litis dominus factus existimatur *l. Quod quis.* 8. *l. Neque* 11. *in fin. l. procuratoribus.* 22. *l. Nulla.* 23. *C. de procurator.* Uterque autem sive ad lites sive ad negotia ex hoc textu non rectè substituit, nisi ad hoc in ipso procuratorio data illi sit potestas, cui convenit *art.* 15. *leg. insular. Tiel. & Bommel.* consuetud. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 2. §. 13. & eatenus succinit *cap.* 1. §. 1. *de procurator. in* 6. Gail. 1 *obs.* 74. *num.* 11. *& pragmatici passim.* † Ac per hoc tollitur dubium, an procurator substitutus alium substituere possit, de quo Mynsing. *cent.* 1. *observat.* 43. † Sed quid si ex vi procuratorii sui alium substituens diem suum obeat, anne per hoc substitutio evanescet? Decisum refert Papon in Parlamento Parisiensi *lib.* 6. *tit.* 4. *arrest.* 15. non morte substituentis sed primi constituentis finiri mandatum *juxta l. Inter causas.* 26. *ff. Mandati. l. mandatum.* 15. *C. eod.*

ART. 5.

OF yemant volmechtiger voor gherícht erschienen wol, die selve sal sijn

ART. 5.

QUicunque ut procurator in judicio comparere volet, pe-

syn volmacht, op versoeck synes wederparts, in syner eerster comparitie geholden syn te toonen, daer van die Lantscriver de sustantialia sal aenteicкenen und te signaet stellen.

tente adversario primo statim congressu mandatum sibi datum exhibebit, cujus præcipua capita actuarius ruralis annotabit ac in judicii adversaria referet.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Fœminæ non admittuntur procuratores ad lites; intellectus hujus art.*
2. *Ne quidem pro se, dato illis moribus curatore.*
3. *Procuratrices ad negotia extrajudicialia non prohibentur esse.*

1 OF *yemant*) † Utcunque masculinum vulgò dicatur concipere fœmininum, vel potius verbum *Si quis* tam masculos quàm fœminas complecti, ut est *in l. 1. ff. de verb. significat.* ubi post alios eleganter Gœddæ. quia tamen hic propriè sermo est de procuratore ad litem, quod non cadit in fœminam, quæ contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis sese immiscere aut virilibus officiis fungi prohibetur *l. 1. §. Secundò. 5. ff. de postuland. l. Neque fœmina. 54. ff. de procurator. l. fœminæ. 2. ff. de reg. jur.* fallet hoc loco pro materia subjecta, quò facit dict. Gœdd. *loc. citat. num. 50.* Argentræ. *ad consuetud. Britan. art. 96. not. 1.* † Et quamvis idem jus scriptum fœminas pro
2 se, seu in propria causa postulantes admittat *d. l. 1. §. Secundò. 5. ff. de postulando. l. Quia absente. 4. C. de procurator.* mores tamen absque curatore ad litem penitus prohibent, consuetud. Transisulan. *part. 1. tit. 2. art. 16.* Fredr. Sand. *ad consuetud. feudal. Gelr. tractat. 3. cap. 2.* Benedict. Carpzov. *ad constitut. elector. Saxon. part. 1. constitut. 1. definit.*
3 *30.* † Planè quin ad extrajudicialia negotia procuratrix fœmina admittatur

mittatur nec consuetudo nec jus commune refragatur *l. Ait prætor. 3. §. 1. ff. de negot. gest. & Dd. communiter in d. l. fœminæ. ff. de reg. jur. Argentræ. dict. loc.*

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Procuratorium primo statim litis ingressu esse exhibendum.*
2. *Non antè juris quàm personæ ratio quærenda.*
3. *Quod & in conjuncta persona servandum, non admissa satisdatione de rato:*
4. *Parte tamen adversa postulante, aliàs secus.*
5. *Quod dictum de conjuncta persona fallere in marito.*
6. *Similis Brabantiæ & Lovanii consuetudo.*
7. *Observatum aliquando in Gelria, admissam fuisse conjunctam personam cum satisdatione rati.*

1 DIe selve sal sijn volmacht &c.) † Quilibet ejusmodi procurator primo statim litis ingressu petente adversario suum exhibebit mandatum vel procuratorium. Quod similiter statuit Reformat. Zutphan. *tit. 5. §. 4.* Ruremund. *part. 5. tit. 8. art. 12.* junge *l. Licet. 24. C. de procurator. cap. 1. extr. eod.*
2 *tor. cap. 1. extr. eod.* † Primo inquam litis ingressu, quia non antè juris ratio, quàm personæ quærenda est *l. Quidam. 14. ff. de jure codicillor. §. ult. Institut. de jure natural. gent. & civil.* & huc aliquatenus pertinet quod vulgò dicitur, in omni judicio personarum legitimationem requiri, post Menoch. & alios Joan. Zanger. *tractat. de except. part. 2. cap. 8. num. 2.* † Adeò autem ex mente hujus statuti in promptu docendum est de legitimo mandato, ut absque eo nec conjuncta persona, nec quisquam alius cum satisdatione de rato (quæ materia tractatur *in l. Sed & hæ. 35. ff. de procurator. l. 12. C. eod. l. un. C. de satisdand. ubi utrobique Dd.*) admittatur, quandoquidem, ut antè indicatum, nullus

 olim

olim procuratorum fuit usus, quibus quis vices suas in judicio delegaret. Cui appositè consonant ea quæ disputat Argentræ. *ad consuetud. Britan. art.* 96. *not.* 2. *num.* 1. *sup. verb. en qualitè de procureur. & not.* 5. *sup. verb. faire apparoir*. Papon. *lib.* 6. *tit.* 4. *in append. arrest.* 3. ubi in certam mulctam condemnatus fertur, qui se sine mandato pro alio
4 stitisset. † Quod tum demum verum intellige si pars adversa id exigat, uti textus ipse satis apertè insinuat in verbis, *op versueck sijnes wederpaits*, sicuti in judicialibus necesse est, secus in extrajudicialibus juxta Bald. *in rubric. C. Depositi.* quem sequitur Math. de Afflict *decis.* 316. *num.* 4. Omissa enim petitione hac de exhibendo mandato, si litem contestatus fueris, præsumitur pro procuratore etiamsi de mandato non constiterit, donec contrarium probetur, ita post Immol. & Angel.
5 Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 80. Zanger. *dict. cap.* 8. *num.* 20. 22. & 88. † Cæterùm quod diximus ne conjunctam quidem personam admitti sine mandato, excipiente scilicet adversario, fallit omninò in marito, qui tam in lite quàm extra eandem nullo antecedente uxoris aut consensu aut mandato rebus ejus cum plenissima potestate superesse solet *per text. in art.* 3. *infr. cap.* 27. *Adversar. nostr. ad consuetud. Gel. tractat.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. *consuetud. Transisulan. part.* 1. *tit.* 2. *art.* 16. adeò nec cautione
6 de rato opus esse intelligitur contra *l. Maritus.* 21. *C. de procurator.* † De simili tam Brabantiæ generali, quàm urbis Lovaniensis speciali con-
7 suetudine testatur Joan. Wames. *cent.* 2. *consil.* 73. *num.* 2. † Vidi etiam alicubi in Gelria conjunctam personam absque mandato cum satisdatione rati, ut procuratorem alterius, fuisse admissam, secundum id quod jure communi cautum diximus. quod in foro quoque Saxonico servari refert Benedict. Carpzov. *ad constitut. elector. Saxon. part.* 1. *constitut.* 1. *definit.* 29.

ART. 6.	ART. 6.
NIemant sal voor Bancken het officie van voorspraeck ofte procureur mogen	NEmo nisi bonæ famæ ac juratus apud tribunalia officio pro-

mogen bedienen, ten waer die selve van goeden naem und faem, und daer toe beedet sy, daer beneffens elcke reis van den Drost of Richter oorlof und consent gehkreghen hadde, om partijen te dienen.

procuratoris fungetur, impetrata prætereà ad hoc quavis vice à satrapa aut judice venia agendi pro litigantibus.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Infamem de jure potuisse esse procuratorem;*
2. *Cui contrarius est hic art. ac usus judiciorum hodiernus.*

1 † CReditum vulgò est infamem posse esse procuratorem *ex text. §. ult. Institut. de except. l. Si quis procurationem.* 34. *C. de decur. lib* 10. *ubi gloß. & Dd.* cum hujus officium non habeatur dignitas, à qua aliàs infames arcentur, sed onus potius privatum ac vile, post alios Wesenbec. *in paratit. ff. de procurator num.* 4. *vers. infames autem.* Zanger. *de except. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 98. *cum seq.*
2 † Huic contrarium extat jus antiquius *lib.* 1. *recept. sentent. Paul. tit.* 2. Cui rursus similis est hic textus ac passim omnium judiciorum usus intemeratus, qui non alios quàm honestæ vitæ ac famæ admittit litis procuratores & quidem sacramento solemni ad hoc adactos Zanger *dict. cap.* 8. *num.* 101. 102. *&* 103. ubi de consuetudine cameræ imperialis ac jure Saxonico testatur, Consuetud. Britan. *art.* 100. ubi in hæc verba Bertand. Argentræ. *Nos usu & moribus, in his qui vulgò procuratoriam faciunt, & autoritate publica munus id in professione habent & sacramentum præstant non recipimus, ut infames esse possint, licet in his qui extra judicia negocia curant, aut ad unum fortè litis actum sunt constituti juris sententiam ferre & notam dissimulare possumus, infames certè tribunalia in foro non admittunt.*

ART. 7.

ART. 7.

SAl in den selven eedt ghelaven sijn partijen in haer recht getrouwelick te dienen, sonder die selve in oir onrecht, soo haest hy sulcx speuren kan, voor te staen, welcken eedt ten allen gherichten sal worden vernieuwet.

ART. 7.

PRomittet is eodem juramento fidelem operam clienti suo, & simul ac cognoverit injustitiã causæ, nullo modo se eandem propugnaturum, iterabiturque illud quotiescunque judicium habetur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Similis consuetudo Noviomag.*
2. *Quid contineat juramentum procuratoris.*
3. *Diligens sit procurator, & quando de negligentiæ teneatur.*
4. *Quomodo huic concilietur* l. 13. C. Mand.
5. *Iniquam causam sciens non foveat.*
6. *Differentia hujus art. & imperatoriæ constitutionis in* l. 14. C. de judic:
7. *Quando advocatus aut procurator tueri possit causam dubiam.*
8. *Quid in eo cavendum, ubi elegans locus Petr. de Vineis.*

1 † DE præstando juramento à procuratore ad lites cùm aliæ passim tum præcipuè similis huic est, imò largior consuetudo Noviomagensis *art.*20. & *l. Rem non novam.* 14. §. *Patroni. C. de judic.* quæ tamen propriè de advocatis, Merul. prax. Holland. *lib.* 4. *tit.* 16. *cap.*1. † Hic
2 autem duobus capitibus absolvitur, ut & fidelem sese operam clienti suo præstiturum & causam, quam injustam intelligit, haud defensurum promittat. Alterum est diligentiæ, alterum verò ingenuitatis vel potius bonæ conscientiæ. † Diligens inprimis esse debet procurator,
3 ne

ne si negligentius egerit, quanti mandatoris intereſt damnetur, juxta *l. ſi quis alicui.* §. *qui mandatum.* 2. *ff. Mandati.* & *l. ſi mandavero.* 22. §. *ult. ff. eod.* Quod tum demum locum habet ſi latæ culpæ reus arguatur, cujus finis eſt (ut inquit Paulus *l.* 223. *ff. de verbor. ſignificat.*) non intelligere id quod omnes intelligunt. Nam, quia nemo in officio aut artificio ſuo diligentior prudentiorve eſſe cogitur, quàm alii paſſim ejuſdem profeſſionis, excuſari convenit, ſi levi aut leviſſima culpa quid peccatum ſit, uti tractat Leſſius *de juſtit.* & *jure lib.* 2. *cap.* 7. *dubitat.* 7. & *lib. eod. cap.* 31. *dubitat.* 8. † Cui tamen contrariatur *l. A procuratore.* 13. *C. Mandati.* Gail. 1. *obs.* 45. *num.* 5. ſed ex circumſtantiis facti occurrentis jus dicentium prudentiâ conciliabitur. † Accedo ad ſecundum caput, ut clientis ſui iniquam cauſam ſciens non foveat, ac eandem ſtatim, poſtquam talem reſciverit, potius deſerat. Cui geminum ferè quod *in d. l.* 14. ejuſmodi extat: *Sacroſanctis evangeliis tactis juramentum præſtent, quod omni quidem virtute ſua omnique ope quod verum & juſtum exiſtimaverint clientibus ſuis inferre procurabunt, nihil ſtudii relinquentes, quod ſibi poſſibile eſt: non credita ſibi cauſa cognita, quod improba ſit vel penitus deſperata & ex mendacibus allegationibus compoſita, ipſi ſcientes prudenteſque mala conſcientia liti patrocinabuntur, ſed & ſi certamine procedente aliquid tale ſibi cognitum fuerit à cauſa recedent, ab hujuſmodi communione ſeſe penitus ſeparantes.* Nec abludit Quintilian. *Inſtitut. orator. lib.* 12. *cap.* 7. Neque verò pudor obſtet, quò minus ſuſceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter dicendum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam & in hoc maximum, ſi æqui judices ſumus, beneficium eſt, ut non fallamus vana ſpe litigantem. Neque eſt dignus opera patroni, qui non utitur conſilio. † In hoc autem Imperatoris iſta ſanctio differt à præſenti textu, quod illa in ſingulis controverſiis poſt litem conteſtatam ſacramentum hoc exigit, hic verò non niſi in unoquoque conventu juridico, *ten allen gherichten.* † Cauſam porrò dubiam quando poſſit tueri advocatus vel procurator optimè expedit Leſſius *dict. tractat. de juſtit.* & *jure lib.* 2. *cap.* 31. *dubitat.* 9. Summa eorum quæ in hoc argumento tractat eò redit, ut ſi

utrimque tam actoris quàm rei pariter sit probabilis, imò si compara-
tivè actoris probabilior, rei tamen absolutè considerata sit probabilis,
8 lis rectè suscipiatur. † Cavendum tamen ante omnia ne jure compe-
tat illud Petri Blesensis *epist.* 26. quod propter elegantiam hic adfero:
Hodie (inquit) *soli avaritiæ militant patroni causarum, illud quondam venera-
bile nomen, & gloriosa professio advocati vilescit venalitate, dum miser & per-
ditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rum-
pit, sopitarum litium cineres suscitat, pactiones violat, detractat transactiones,
privilegia frangit, & in capturam pecuniæ pedicas & retiacula tendens jura om-
nia intervertit. Et quemadmodum Pertinaci triduo antequam occideretur vi-
sas esse pupillas sine imaginibus quas reddere solent, scribit Spartianus; ita advo-
catis, quibus est lucri præcipua cura, deest veræ virtutis imago.*

ART. 8.

ALle procureurs sullen oire muntlicke bedinghen und wat sy voor schrifturen overgheven by sittende ghericht met corte verstendelicke woorden dicti-eren.

ART. 8.

OMnes procuratores quicquid ore tenus aut scripto profe-runt, durante judicum consessu, brevibus ac perspicuis verbis di-ctabunt.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Locus ex jure huic art. ferè similis.*
2. *Consuetud. consonantes.*
3. *Verbosus advocatus ab officio removendus.*
4. *Modus inter excessum & defectum tenendus.*
5. *Cui illustrando adducitur locus elegans Plinii cum lepido epigrammate Martialis.*

1 † COnvenit ferè quod circa provocationes statuit Imperator Justi-
nianus in *l. Ampliorem.* 39. *C. de appellationib.* ubi inquit: *caveant
tàm*

um litigatores, quàm libellorum dictatores verbosis uti adsertionibus, & ea quæ um perorata sunt iterum resuscitare: sed hæc sola eis inscribere, quæ compen- liosa narratione causas provocationis possunt explanare, vel aliquid novi conti- ent, vel addere quod derelictum est. † Eòdem quoque partinet *art.* 9. & 11. *infr. hoc cap. & art.* 2. *tit.* 8. *part.* 5. consuetud. Ruremund. *art.* 26. consuetud. Noviomagens. item *cap.* 1. Ordinat. judiciar. Joan. Georgii Elector. Saxon. † Adeò autem brevitati studendum est in judicio, ut verbosum advocatum ab officio removere videatur gloss. *in l. Ex ea causa. in princip. vers. ut quia nimis verbosus erat. ff. de postuland.* quam post alios sequitur Paris de Put. *tractat. de syndicat. verb. de excess. advocat. vers. advocati. num.* 3. *& vers. & judex.* † Modus tamen hic ut
4 ubique tenendus inter excessum & defectum ac (ut loquitur Mantic. *de conjectur. ultimar. volunt. lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 7.) tum vitandum est vitium superfluitatis, quando id commodè & rationabiliter fieri potest.
5 † Eleganter in hanc rem elegantissimus epistolarum scriptor Plinius *lib.* 1. *epist.* 20. *Frequens* (inquit) *mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquè in causis agendis ut brevitas placet: quam ego custodiendam esse consiteor, si causa permittat, alioqui prȩvaricatio est transire dicenda, prȩvaricatio etiam cursim & breviter attingere quȩ sint inculcanda, infigenda, repetenda: nam plerisque longiore tractu vis quȩdam & pondus accedit. Vtque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quàm mora imprimitur.* & nonnullis interjectis: *utque in agricultura non vineas tantùm, verùm etiam arbusta: nec arbusta tantùm, verùm etiam campos curo & exerceo: utque in ipsis campis non far aut siliginem solam, sed ordeum, fabam, cȩteraque legumina sero: sic in actione plura quasi semina latius spargo, ut quȩ provenerint colligam. Neque enim minus inperspicua, incerta fallaciaque sunt judicum ingenia, quàm tempestatum terrarumque.* Addo lepidum epigramma Martialis in Posthumum, qui ineptè rem exilem profusa oratione prosequebatur, adeòque, quod vulgò dicitur, parvo pedi magnos inducebat calceos, quale est:

Non de vi, neque cæde, nec veneno:
Sed lis est mihi de tribus capellis,

Vicini queror has abeſſe furto.
Hoc judex ſibi poſtulat probari,
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic Poſthume de tribus capellis.

ART. 9.

UNd ſullen hare bedingen in forme van aenſpraeck, antwoort, replicq, duplicq ſummarie, wie van olts ghewoonlick, te bouck doen brenghen, t'ſy datſe ghewonnen ofte verlooren hebben, op dat die ſaecken te beter naegeſien und in memorie gheholden moghen worden.

ART. 9.

CUrabuntque dictamina ſua ad formam libelli, reſponſionis, replicationis, & duplicationis ſummatim, uti antiquitus conſuevit, in acta referri, ſive vicerint ſive ſuccubuerint; quò tantò facilius ipſæ cauſæ retractari ac earundem recentior memoria haberi poſſit.

ART. 10.

SAl oock aen den gherichte de een den anderen in ſijn woort niet vallen, dan ſal een yeder ſijn nootdruft, nae dat die ſaeck uyteiſchende is, inſtellen und voordraghen, und dat reverentlick ſonder eenighe haeſtige und onbeleefde ofte injurieuſe woorden te gebruicken, op pene van vier pondt, und anders nae ghelegentheit der ſaecken arbitralick gecorrigiert te worden.

ART. 10.

NEque præterea alter in alterius orationem irruet apud judicium, ſed quiſque reverenter proferet quod cauſa exigit, idque ſine verbis ſtomachoſis, incivilibus aut injurioſis ſub pœna quatuor librarum, aut pro negocii circumſtantiis arbitraria.

Gloſſa.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Consuetudines conformes, itemque locus ex jure ac Plinio.*
2. *Omni seculo in conviciando exorbitarunt sæpè advocati, ubi locus Amm. Marcellini.*
3. *Rectè hujusmodi conviciatores arbitrio judicis puniuntur, ac interdum postulandi honore privantur.*
4. *Exemplum ex Symmacho de causidico togæ forensis honore privato.*
5. *Remittitur pro ulteriori declaratione.*

† COnfer cum art. hoc 10. *cap*.5. *art*.13. *supr*. item Consuetud. tetrarch. Ruremund. *part*. 5. *tit*. 8. *art*. 4. Noviomagens. *art*. 22. Reformat. Zutphan. *tit*.5. *art*.19. Agant (inquit *l. Quisquis*. 6. §. 1. *C. de postuland.*) quod causa desiderat, temperent se ab injuria. Advocati potius fidem (ut sequar Plinium *lib*.7. *epist. ult.*) quàm inimici amaritudinem impleant. † Proclive omni seculo vitium fuit, ut hac in parte exorbitaverint causarum patroni. *Cum ad inopiam* (ait Ammian. Marcellin. *lib*.30.) *muniendarum venerint allegationum, ad effrenatam deflectunt conviciandi licentiam, quo nomine ob assidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati.* & paulò post: *sellulariis quæstibus inescati inter se hostiliter dissident & rupta maledicendi ferocia, ut dictum est, multos offendunt: quam tunc effutiunt, cum commissarum sibi causarum infirmitatem rationibus validis convelare non possunt.* ‡ Meritò itaque *d. l. Quisquis*. obviam it, opinionis imminutione plectendo eum qui probris & conviciis magis in causa agenda certaverit quàm rationibus. Sed optimè hoc loco consulunt Reformatores, dum non solùm quatuor librarum mulcta, verùm etiam pro facti qualitate arbitrio judicantium gravius puniri hoc admissum volunt. Nam & publicæ disciplinæ vigor exigit ut istiusmodi convitiatoribus in exemplum aliquando postu-

landi honore interdicatur, ſicut olim, referente Bernardo Autumno *ad d. l. Quiſquis:* edicto ſanxit Carolus ſeptimus Galliæ rex, & cavetur *c. infames. 2. vers. arcentur etiam. caus. 3. queſt. 7.*
4 † Illuſtre extat exemplum apud Symmachum *lib. 5. epiſt. 39.* de quodam cauſidico, cui nomen Epictetus, pro quo dum ille intercedit in hunc modum verba facit: *Vir clariſſimus Epictetus cauſidicorum more prolapſus, dum vult impenſius favere ſuſcepto, Sanctium Sabinum probatum omnibus bonis incauto ſermone perſtrinxit. Ea res omnium veſtrum, quibus ille curæ eſt, animos creditur exaſperaſſe. Nec immeritò querela Rectoris etiam Prætorianas acuit poteſtates. Quid multa? Epictetus togæ forenſis honore privatus eſt.*
5 † Videantur pro ulteriori declaratione Cacheran. *decis. Pedemont. 1. num. 14.* Marquard. Freher. *tractat. de exiſtimat. lib. 3. cap. 13. num. 3. & 4.* item Benedict. Carpzov. *ad conſtitut. Saxon. part. 1. conſtitut. 1. definit. 19.*

ART. II.

OM prolixiteit van diſputen te vermijden, und geen tijt te vergeefs te ſlijten, ſal een procureur in eener ſaecke niet meer dan twee mael ſpreecken, und ſijne nootdruft voordraeghen, ſulx dat hinc inde met twee bedingen ſal worden geconcludeert, ten ware dat het gericht meer als twee bedinghen noodigh achte.

ART. II.

QUo evitentur prolixiores diſputationes & ne tempus fruſtra teratur, bis tantùm in qualibet cauſa dicet ac id quod neceſſe erit proponet procurator. Hac quidem ratione ut duplici dictamine hinc inde peroretur, niſi tamen ulterius quid neſſarium putaverit judicium.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Reip. intereſſe ut lites abbrevientur.*
2. *Quâ mulctâ puniantur advocati in contrarium laborantes.*
3. *Remittitur.*

Notatum

NOtatum memini suprà *art.* 8. & hunc articulum abbreviandarum litium causa poni. ‡ Hoc ut fiat Reipublicæ maximè interest *l. Properandum.* 13. *in princip. C. de judic.* Nec abit à mente Reformatorum nostrorum *l.* 1. *C. Theodos. de episcop. judic.* quæ inquit: *malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant.*
2 ‡ Hinc à Justiniano *in d. l. Properandum. §. illo procul dubio.* 9. causarum patroni, per quos stat quò minus lis suo marte decurrat, duarum librarum auri mulcta puniuntur. Nemo (inquit *l. Quisquis.* 6. §. 4 *C. de postuland.*) ex industria protrahat jurgium. Et scitè dixit Ulpianus *in l. Item.* 4. *ff. de alienat. judic. mutand. caus. fact.* quod verecunda cogitatio ejus qui lites execratur non sit vituperanda.
3 † Huc etiã faciunt ea quæ tractat Anton. Sola *ad consuetud. Sabaud. tit. de judic. decret. ad causarum. gloss.* 1.

ART. 12.

INsgelijcken sullen sich partijen und die procureurs wachten wanneer eenige interlocutoir of definitive oordelen by den gerichte ofte den oordelwijser sullen uytgewesen sijn, daer tegen yetwes verachtelijcks te seggen of te schriven, by peen van twintigh pond, die sy sullen moeten betaelen, al eer sy in eenige saecken wederom gheboort sullen worden, und daer beneffens noch staen tot arbitrale correctie.

ART. 12.

CAvebunt similiter litigantes eorumque procuratores, postquam vel interlocutoria vel definitiva sententia lata fuerit à judicio aut referente, ne in eam contemptim dicant aut scribant, sub pœna viginti librarum solvendâ antequam in aliis causis audiantur, vel etiam arbitraria.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Iudicis autoritas illæsa servanda.*

2. *Similis constitut. regis Galliæ, & consuetudo Noviomag.*
3. *Exempla advocatorum punitorum ob injuriam judici illatam.*
4. *Alia ratio quare à conviciis in judicem abstinendum sit.*

1 † UTi suprà *art.* 10. actioni & orationi inter ipsos litigantes eorumve procuratores moderantur Reformatores: ita hoc loco cavent ne judici injuria inferatur, cujus ut sarta ac tecta autoritas conservetur oppidò quoque Reipublicæ interest.
2 † Similis est constitutio Francisci I. Galliæ regis apud Bernard. Antumn. *in l. Quisquis. C. de postuland. & art.* 23. consuetud. Noviomagens.
3 † Exempla autem patronorum parum reverenter inter litigandum judices appellantium à suprema Mechlinensi curia diversimodè punitorum suppeditat Paul. Christin. *decis. cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 100. adde Marquard. Freher. *tractat. de existimat. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. *vers. Multò magis. & num.* 5.
4 † Vel ob hoc solùm etiam causarum patronis ac procuratoribus abstinendum erit à contumeliis in judicem, ne clientium suorum causæ pessimè consulant, cum satius sit placatum eundem quàm offensum habere *l. Non distingues.* 32. *§. cum quidam.* 14. *ff. de recept. qui arbitr. junct. l. Apertissimi.* 16. *C. de judic.*

ART. 13.

NIemant van voorspraecken sal part of deel hebben in saecken daer in sy partijen dienen, noch eenighe actie moghen coopen of contracten maecken dien aengaende, dan sullen te vreden sijn met behoorlick salaris, op pene van twintigh pondt, und dat sulcke beloften und contracten nul und van onweerden sijn, dat oock de contraventeurs van desen

ART. 13.

NUllus causidicorum participabit de lite cui patrocinatur, neque actionem ullam emet aut hujus respectu contractum cum aliquo inibit: sed debito omnes contenti erunt salario, sub pœna viginti librarum, ac irrito prætereà infectoque hujusmodi contractu stipulationeque, indicta ad hæc

desen articul daer en boven noch arbitralick gecorrigeert worden sullen.

hæc pœna arbitraria iis qui contra hunc articulum deliquerint.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Loci juris consonantes & consuetudines, itemque dictum Quintiliani.*
2. *Locus ex capitular. Caroli Magni.*
3. *Quæ de advocatis in jure eadem rectè transferri ad procuratores.*
4. *Confirmatur à rebus judicatis.*
5. *Legatum in ultima voluntate advocatis à suis clientibus non subsistere.*
6. *Ratio quare de lite participare prohibeatur advocatus.*
7. *Palmarii nomine quid & conveniens honorarium sibi pacisci non vetatur.*
8. *Refellitur opinio Menochii.*
9. *Tractatur, an ut pactum de quota litis improbetur, si heres à coherede partem litis stipulatur, recepto in se onere ferendi expensas.*

1 *Niemant van voorspraecken sal part of deel hebben &c)* † Huc spectat quod egregiè dixit Quintilian. *Institut. orator. lib.* 12. *cap.* 7. Paciscendi piraticus ille mos, & imponentium periculis precia procul abominandus. & consonat consuetud. Noviomag. *art.* 20. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 8. *art.* 5. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 2. *art.* 15. item text. *in l. sumptus.* 53. *ff. de pact. l.* 6. *§. ult. & l. salarium.* 7. *ff. Mandati. l.* 1. *§. si cui cautum.* 12. *ff. de extraordinar. cognit. l. si qui advocatorum.* 5. *C. de postuland. l.* 6. *§. præterea.* 2. *eod. cum similibus.* post alios complures citatos Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 6. *cas.* 522. † adde capitular. Carol. Magni *lib.* 7. *cap.* 114. *si advocatus* (inquit) *in causa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus, à conventu honestorum & à judiciorum communione separetur.* † Et

quamvis prædicti juris communis loci propriè respiciant advocatos, non tamen procuratores & ejus generis alii excluduntur propter similitudinem rationis, uti notat Menoch. *dict.cas.522. num.3.* Guid. Papæ *decis.102. circa fin.* Nec dubitare permittunt nostra Velavica cæteræque modò adductæ consuetudines hoc ipsum disertè exprimentes.
4 † Quibus oportunè adstipulantur variæ res judicatæ à supremis quibusdam Galliæ curiis, quas recensent Gerard. Maynard. *notabil. quæst. lib.*
5 *3. cap. 12.* Joan. Papon. *lib.6. tit.4. arrest.3.* † Imò si quid iisdem à clientibus in ultima voluntate donatum legatumve fuerit non valere aliquoties judicatum extat apud Ludovic. Charond. *in respons. jur. Gal-*
6 *lici lib.7. respons. 166.* Maynard. *dict. cap. 12. num.2.* † Ratio autem prohibitionis perspicua est & duplex assignatur post alios à Menoch. *dict. cas. 522. num.4.* ac ibidem *num. 5. 6. & 7.* triplici modo quis de lite participare vel (ut loquuntur Dd.) de quota litis pacisci dicitur, quò, ut brevior sim, illustrandi hujus textus gratia remisisse sufficere
7 puto. † Ut tamen conveniens honorarium vel salarium, itemque modicum quid palmarii nomine, id est, si causam obtineat, sibi paciscatur sive advocatus sive procurator jura non prohibent. *l. 1. §. in honorariis. 10. cum seq. ff. de var. & extraordinar. cognit.* Menoch. *d. loc. num.8. & 9.* Gail. *1. obs. 44. num.2.* Borcholt *de pact. cap. 5. num.86.*
8 † Unde corruit meritò opinio Menochii *d. loc. num.7.* indefinitè asserentis, pactum de quota litis dici ac proinde prohiberi, si in casu victoriæ promittatur quid à re, de qua lis est, diversum; præsertim quando Angel. ab ipso citatus *in l. sumptus. ff. de pact.* contrarium visus est docere, quem sequuntur Guid. Papæ. *decis. 102. num.4.* Georg. de Cabed. *practic. observat. part. 1. decis. 19. num. 1. vers. potest tamen pacisci.* adde Francisc. Marc. *dec. Delphin. 19. num. 2. part.1.* Borgn. Cavalc. *Fiviz. dec. 41. num.45. part.1.*

9 † Pro hujus etiam glossæ coronide quæro, an, ut pactum de quota litis improbetur, si heres à coherede partem ejus dimidiam aliamve minorem vel majorem stipulatus fuerit, ea conditione ut solus litis expensas ferat ac judicatum faciat? Et quidem ex textu *l. sumptus. ff. de pact.*

pact. propter indefinitam ejus orationem affirmandum videtur: Sed quia ratio prohibitionis cessat probabilius est negare, prout etiam decidit curia Parisiensis annotante Louet. *in arrest. lit. L.* §.2. & ibid. Julian. Brodeau. Mornac. *ad l. si remunerandi. 6. §. Maurus. ff. Mandati.*

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Contra bonos mores esse actiones aliis competentes emere.*
2. *Quibus nominibus hujusmodi emptores insigniantur.*
3. *Affines quodammodo habentur parricidis.*

NOch eenige actie mogen koopen) † Id est, cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properare, ut loquitur *l. Per diversas. 22. C. Mandati.* Quod esse contra bonos mores ac illicitum ostendunt *l. Litem. 15. C. de procurator. l. si contra. 20. C. Mandat.* † Hujusmodi actionum redemptores *in l. Nec quicquam. 9. §. 2. ff. de offic. proconsul.* dicuntur causarum redemptores, item ergolabi & litium redemptores, de quibus Cujac. *observat. lib. 8. cap. 31.* † Videntur criminis gravitate affines parricidis, atque ideò quodammodo in hos competere illud Virgilii 6. *Ænied.*

Hic quibus invisi fratres dum vita maneret,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti.

Ubi Servius iniquit: *Ex lege 12. tab. venit, in quibus scriptum est: Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto.* Vide quæ tractavi in Adversar. ad consuetud. Gelr. *tractat. 3. cap. 4.* & Gerard. Mynard. *notabil. quæst. lib. 7. cap. 90.* quem postea legi.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *De debito salario solvendo advocatis &c.*
2. *Illustratur ex loco Cassiodori.*
3. *Locatio & conductio magis quàm mandatum intercedit inter clientem & procuratorem.*
4. *Acta causæ non retinenda ob non solutum salarium, secus propter litis impendia.*
5. *Non improbatur ut pactum de quota litis si de retinendo judicato convenerit respectu sumptuum erogatorum.*

1 D*An sullen te vreden sijn met behoorlick salaris)* † De debito salario procuratorum ex consuetudine Velaviæ habes *infrà. cap.* 35. *art.* 45. 46. *&* 47. Hoc ut iisdem bona fide exsolvatur & jus & æquum postulat, quia nemo justa laboris mercede fraudandus est. *l. salarium.*
2 7. *ff. Mandati.* † *Tribuenda est* (inquit Cassiodor. *variar. lib.* 2. *epist.* 28.) *justis laboribus compensatio meritorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem. Sudores bellicos civica corona testatur. expectant etiam equos præmia sua: & tanta justitiæ vis est, ut nec illis tardius detur laboris pretium, qui sen-
3 tire non poterant denegatum.* † Neque propriè negotium quod inter procuratorem & clientem intercedit mandatum dicetur, quod gratuitum originem suam ex officio atque amicitia trahit: sed interveniente salario ad locationem & conductionem potius respicit *l.* 1. *ff.*
4 *Mandati.* ‡ Ratione tamen debiti salarii necdum soluti acta vel instrumenta causæ sibi concredita nequaquam retinere poterit, secus verò propter litis impendia bona fide à se facta, *facit text. in l. Quæ omnia.* 25. *in fin. l. seq.* 26. *junct. l. Qui proprio.* 46. §. 6. *ff. de procurator. Bart. ibid.* Boer. *decis.* 15. *num.* 3. Molignan. *tractat. de retent. quæst.* 75. & omnium optimè Guid. Coquil. *in quæst. cap.* 197. ubi juxta modò traditam

traditam distinctionem judicatum refert. † Multò minus improbabitur ut pactum de quota litis, si procurator respectu sumptuum erogatorum de retinendo judicato convenerit cum cliente cui inservit, per ea quæ tradit Anton. Faber. *in Cod. Sabaud. lib. 2. tit. 8. de procurator. definit. 22.*

ART. 14.

EEn procureur sal sijn aenghenomene partije niet verlaeten buyten erheffelicke oirsaecken, tot erkentenisse des gerichts, und sal een procureur sijner partije wederdeel in de selve saeck niet mogen dienen, by veertigh pondt und voorts by arbitrale correctie.

ART. 14.

PRocurator non deseret patrocinium litigantium semel susceptum nisi ex justa & judicio approbata causa, neque licebit eidem clientis sui adversario in eadem causa inservire aut mulctabitur quadraginta libris vel etiam pro arbitrio.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Illustratur hic art. à jure communi & simili aliqua consuetud.*
2. *Quæ sint justæ causæ ob quas procurator deserere possit clientis sui causam,*
3. *Earundem fit specialis enumeratio & plenior declaratio.*
4. *Casu existente dominabitur arbitrium judicis.*
5. *Inter justas causas suorum infirmitatem non malè haberi.*

EEn procureur sal sijne aengenomene partije niet verlaeten buiten erheffelicke oirsaecken) † Hoc ipsum circa advocatos huic loco convenienter exprimit Imp. Justinian. *in l. Properandum. 13. §. 9. C. de judic.* dum inquit: *necessitate advocatis imponenda, ex quo litem peragendam susceperint,*

eam usque ad terminum (nisi lex vel justa causa impediat) implere, ne ex eorum recusatione fiat causæ dilatio. & not. in l. Invitus C. de procurator. consonat consuetud Transisulan. *part.* 1. *tit.* 2. *art.* 14. Paul. Christin. *decis.*
2 *cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 103. *num.* 3. † Vult autem textus noster non deseri à procuratore causam clientis semel susceptam, nisi ob justas causas, *om erheflicke oirsaecken:* Quas quidem compendio quodam reduci posse existimo ad tria illa præcipua capita, & quæ his subserviunt, de quibus agitur *suprà tit.* 9. *art.* 5. videlicet, corporis discrimen, aquarum
3 magnitudinem, & jussum sive præceptum superioris. † Nam & jure proditum est excusari procuratorem ob adversam valetudinem, inimicitias capitales cum suscepto, vim fluminis, tempestatemve, necessariam peregrinationem, absentiam Reipublicæ causa, dignitatem, urgentem propriorum negociorum occupationem, aliasque similes his justas causas *text. in l. Filius familias,* 8. §. *fin. l.* 9. *l.* 10. *ff. de procurator. junct. l.* 2. §. 3. *ff. si quis cautionibus in judicio sistend. l. Licet.* 15. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* Wesenbec. *in paratit. ff. de procurator. num.* 8. *vers. nisi videlicet justissima &c. & num.* 11. *vers. E contrario quoque.* latè & eleganter Jan. Langlæ. *semestr. lib.* 1. *cap.* 2. ubi inter cætera apposite inquit: *Illud generatim admonuisse sufficiat, toties excusandum advocatum* (tu dic cum textu procuratorem) *quoties quid incidit, quod si futurum prospexisset, credibile sit eum patrocinium suscepturum non fuisse arg. l. Et si qua. ff. de recept. qui arbitr. Tunc enim* (infit Seneca de benefic. *lib.* 4. *cap.* 35.) *fidem fallam, tunc inconstantiæ crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum. Alioqui quicquid mutatur, libertatem facit de intergo consulendi, & meam fidem liberat. Promisi advocationem, postea apparuit per illam causam præjudicium in patrem meum queri. promisi me peregrè una iturum: sed iter infestari latrociniis nunciatur. in rem præsentem venturus fui: sed æger filius, sed puerpera uxor tenet. Omnia esse debent eadem quæ fuerint cum promitterem, ut promittentis fidem teneas.* Et Cicero 1. *de offic. si constitueris* (inquit) *te cuipiam advocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non*
4 *sit contra officium non facere quod dixeris* † Quamobrem ubi casus extiterit

multum

multum meo judicio circa ejus definitionem dominabitur arbitrium judicis, uti indicant verba textus, *tot erkenteniſſe des gerichts*, & annotaſſe quoque memini *ſuprà dict. cap.9. art.5. gloſſ.2.* de juſtis impedimenti cauſis quæ à contumacia excuſant, quo loco dicta hic repeti ex uſu
5 fuerit. † Neque tamen ut ibi ſuorum infirmitatem à numero juſtarum cauſarum excluſimus, itidem & hoc loco reſpectu procuratoris faciendum eſt, ceſſante nimirum textu ad hoc ut ibidem expreſſo, ac ſuccedente noto aliàs juris axiomate, pro affectu in his magis quàm in ſe plerumque homines terreri *l. Iſti.* 8. *in fin. ff. Quod met. cauſa. cum ſimilib.* Langlæ. *dict. cap.2. verſ. Quæ verò de incommoda advocati valetudine &c.*

Gloſſa II.

SUMMARIA.

1. *Cauſarum prævaricatores reprimuntur.*
2. *Prævaricationis crimen grave pro arbitrio judicis puniendum.*
3. *Quomodo intelligendum, quod & certa & arbitraria pœna deſignetur.*

1 UNd ſal &c.) † Altera hujus articuli parte reprimitur eorum procuratorum improbitas qui malo more utrimque & actori & reo in eodem negocio inſerviunt. Prævaricatores dixeris juxta priorem hujus vocis acceptionem, quam cum aliis tradit Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib.2. cent. 4. caſ.323. num.3.* quando videlicet advocati vel procuratores clientem produnt detegendo adverſario illius cauſæ ſecreta, vel etiam eundem adjuvando *l. 1. ff. de prævaricator. l. Prævaricatores.* 212. *ff. de verbor. ſignificat.* Weſenbec. *in paratit. ff. d. tit. de præva-*
2 *ricator. num.3.* ‡ Crimen omninò grave adeòque gravi pœna vindicandum, uti fieri ſolere in ſuprema Mechlinienſi curia ait Paul. Chriſtin. *deciſ. cur. Belg. vol. 2. deciſ.103. num.4. in fin.* pro arbitrio ſcilicet judicantium, ex verbis hujus textus, *und voorts by arbitrale correctie*.

Cui

Cui accedit *d. l. 1. in fin. l. 2. ff. de prævaricator.* Menoch. *dict. cas.* 323. *num.* 1. & 12. ‡ Nec tamen pugnat, quod paulò antè definiatur
3 pœna non arbitraria, sed certa, quadraginta scilicet librarum. Siquidem id ea mente accipiendum est, ut quamvis certum quid statuerint Reformatores, non eo minus permittant judicem arbitrari si causæ circumstantiæ exegerint, prout in simili declaravi *suprà cap.* 3. *art.* 2. *gloss.* 5. Convenit constitut. criminal. Carol. V. *cap.* 115. ubi post certam proenam, pro delicti qualitate tamen non excluditur arbitrium judicis. vid. ibid. Nicol. Vigel. & Bernard. Zierits. *in notis suis.*

ART. 15.

SOo veer een procureur ofte volmechtiger sijner partijen recht versuijmden, die selve sal gheholden sijn alle schade und interest tot kennisse van den gerichte, dien daer by geinteresseert sal bevonden worden op te leggen und te betaelen, und soo veer het selve duckmaels geschiede sal sulcken procureur van sijnen dienst voor een tijt langh opghebolden ofte ontset werden, tot discretie van den gherichte, partijen recht und actie teghens den selven procureur nochtans onverkort.

ART. 15.

QVicunque procurator litigantium jus neglexerit tenebitur parti læsæ de damno ac omni eo quod illius interest secundum id quod judicantibus visum fuerit: Et si frequenter contingit suspendetur idem ad tempus ab officio, quousque judicio videbitur, jure tamen actioneque partium salva in ejusmodi procuratorem.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Consonantes consuetud.*
2. *Obligatio, quæ inter dominum & procuratorem, consistit, mandati actionem parit.*

3. Utrum

3. *Utrum procurator ex eo quod clientis nomine gessit finito officio conveniri queat, reservata illi actione contra clientem?*

1 † Assimilis est consuetudo Noviomag. *art.* 29. Ruremund. *part.* 5. 2 *tit.* 8. *art.* 13. *& facit art.* 7. *in fin. cap.* 19. *& art.* 2. *cap.* 21. *infr.* † Ea verò obligatio, quæ inter dominum & procuratorem consistere solet mandati actionem parit, ut sunt verba *l. Licet.* 42. §. 2. *ff. de procurator.* quâ ob commissam negligentiam ad damni reparationem & id quod interest convenitur Gail. 1. *obs.* 45. *num.* 4. Wesenbec. *in paratit. ff. de procurator. num.* 8. *vers. ad effectum obligationis procuratoriæ &c.* adde quæ dixi suprà *hoc cap. in gloss. ad art.* 7. † Nec abs re fuerit hic quærere, an procurator ex eo quod clientis aut mandantis nomine gessit finito officio conveniri possit, reservata illi actione mandati contraria in eundem mandantem? Placet negantis Bartoli opinio *in l. Procurator.* 67. *ff. de procurator.* etiamsi Doctorum plerique per eund. text. contrarium senserint, quod notat Costal. *ad l. Plautius.* 61. *ff. eod. tit.* Siquidem actus agentium ex jure non operantur ultra eorum intentionem *l. Non omnis.* 19. *l. si tibi pecuniam.* 20. *ff. de reb. credit. si cert. pet.* neque cuiquam officium suum debet esse damnosum. Ita post eund. Bart. Elbert. Leonin. Gelriæ Cancellarius *consil.* 84. *num.* 2. 6. & 7. & hunc aliosque sequutus Joan. Sand. cum judicato curiæ Frisicæ *lib.* 3. *decis. Fris. tit.* 7. *definit.* 1. Quod moribus nostris convenire aliquando referebat bonæ memor. parens meus Martin. Goris Gelriæ quoque quondam Cancellar.

ART. 16.

Die procureurs sullen haere saecken te bouck brenghen binnen die tijdt van een maent nae den dagh dat het gericht in Veluwen-soom geeindicht sal sijn, by pene van thien dalers, half voor den Heere und half voor den armen.

ART. 16.

Referent procuratores causas suas in acta intra mensem unum à die finiti judicii in ora Velaviæ, sub poena decem dalerorum, æqua portione dividenda fisco & pauperibus.

ART. 17.

Sullen oock niet ter bancke komen partijen te dienen sonder eerst ghenouchsaem van die selve geinformeert te sijn.

ART. 17.

NEque accedent ad tribunal clientibus suis patrocinaturi, nisi ab iisdem antè abundè instructi.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Procuratorem imparatum in expensas esse condemnandum,*
2. *Quod ipsi soli non domino nocet.*

1 † HOc ipsum quod *art.* 17. statuitur inculcat Jodoc. Damhouder. *prax. civil. cap.* 92. *num.* 7. addens præterea ibidem procuratorem imparatum ac de præcipuis rebus ad causam pertinentibus interrogatum respondere nescientem condemnandum esse in expensas.
2 † Quod quidem ipsi soli non domino nocere æquum est *arg. l. unic. §. si procurator.* 2. *ff. si quis jus dicent. non obtemp.* Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat. de appellat. art.* 18. *num.* 8. vide quæ disserit Jan. Langlæ. *semestr. lib.* 1. *cap.* 2. *vers. sequenti capite statuitur &c.* ubi invehitur in advocatos qui in ipsis demum curiæ cancellis aut repagulis agitandæ vel instruendæ litis capiunt consilia.

Dat XVII. Cap.

Van burchtocht.

Caput XVII.

De fidejussione.

Ad rubricam

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Alius ab eo, qui proprio nomine obligatur, securitatis causa accipitur.*
2. *Fidejussores,* Burgen *& his cognomines unde dicti.*
3. Burchtocht *ipse fidejubendi actus. ubi ejus discriptio.*

† PLerumque ab eo (inquit Gajus *in l.* 1. §. 8. *ff. de obligat & act.*) quem proprio nomine obligamus, alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur, dum curamus ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur. Cui similis text. in princip. Institut. de fidejussor. † Taliter accepti vocabulo nobis vernaculo, tam superiori quàm inferiori Germaniæ communi, appellantur *Burgen*, Gallis *pleges & respondans*, medii ævi scriptoribus, *plegii*, Latinè, fidejussores. Ab eo scilicet dicti, quod ad interrogationem, *fide tua esse jubes*, responderi solitum fuit, *fide mea esse jubeo. l. Quæro. ff. Locati. l. ubi. §. illud. ff. de verb. obligat. l. si ita fidejussorem. ff. de fidejussor.* Joan. Parlador. *rer. quotid. lib.* 2. *cap. fin. part.* 4. §. 6. *num.* 9. ‡ Ipse autem fidejubendi actus dicitur *Burgtocht*, *plegerie*, *fidejussio*: quæ est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit. Ita nuper definivit Lessius *de justit. & jure lib.* 2. *cap.* 28. *dubitat.* 1. *num.* 1. Eleganter Ludovic. Charond. *in pandect juris Gallici lib.* 2. *cap.* 36. *le fidejusseur* (inquit) *est baillé au creancier pour plus grande seureté & caution & pour pleger le debteur, c'est a dire, asseurer & promettre qu'il est solvable & qu'on respond pour luy.*

ART. 1.

WAnneer een ofte meer personen voor yemandt burge geworden sijn, und die

ART. 1.

QUando unus aut plures pro aliquo fidejusserunt, ac ipsa fide-

die burghstellingh mede brenght, Een voor al, *soo mach mensich ofte aen den principael ofte aen eenen van de burgen, soo daer meer als een waren, holden und sulx tot optie ofte keur van den crediteur.*

fidejussio præ se fert, *Vnus pro omni*, in arbitrio est creditoris aut principalem debitorem aut è fidejussoribus unum, si plures sint, convenire.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *In arbitrio creditoris olim fuisse principalem debitorem aut fidejussorem convenire,*
2. *Istius juris mutatio.*
3. *Beneficium ordinis & divisionis.*
4. *Quando ex hoc articulo utrumque & ordinis & divisionis beneficium cesset. ubi de loquutione,* Een voor al.

1 † UT dextrè hic articulus intelligatur operæ pretium fuerit paulò altius repetere jure antiquo Romano in arbitrio fuisse creditoris quem vellet principalem debitorem aut ejusdem fidejussorem convenire *l. In duobus. 3. in fin. ff. de duob. reis. l. Non rectè. 3. l. jure nostro. 5. ubi communiter Dd. C. de fidejussor.* accuratè Rittershus. *in method. exposit. Novellar. part. 2. cap. 2. num. 18.* & non ita pridem Claud. Salmas.
2 *de modo usurar. cap. 16. non procul à fin. pag. mihi 742. & 743.* † Huic Novella sua constitut. 4. cap. 1. unde sumpta est authentica Præsente. C. de fidejussor. derogavit Imperator Justinianus, dum statuit præsentem & solvendo existentem ipsum debitorem principalem esse excu-
3 tiendum, antequam fidejussor compelletur. † Hoc beneficium excussionis, itemque ordinis appellant juris communis interpretes. Cui & alterum accedit quod vocant beneficium divisionis ex epistola D. Hadriani, quo id quod in solidum ab unoquoque plurium confidejussorum debetur opposita exceptione in partes cujusque viriles scinditur *l. Inter.*

4 *l. Inter. 26. ff. de fidejussorib. §. si plures. 4. & ibi Dd. Institut. eod.* † Utrumque autem & excussionis sive ordinis, & divisionis beneficium cùm multis modis cessat, de quibus latè Doctores & post omnes inprimis Anton. Hering. *tractat. de fidejussor. cap. 27. part. 1. & 2.* tum eidem pariter ex hoc textu derogatum censetur, si in ipso fidejussionis instrumento posita sit clausula, *Een voor al*, id est, *quilibet in solidum*, vel ad verbum, *unus pro omni*, quod Galli significantius efferunt, *un pour le tout*. Cui succinit consuetudo Ruremund. *part. 4. tit. 8. §. 1. art. 8.* Transisulan. *part. 2. tit. 12. §. 4.* itemque usus Hollandiæ de quo Hug. Grot. *in introduct. ad jurisprudent. Holland. lib. 3. cap. 3. vers. die haer verbinden een voor al &c.* statut. urb. Lubecensis *lib. 3. tit. 5. art. 2.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Quomodo & quando fœminæ pro aliis fidejubendo obligantur.*
2. *Auxilium Senatusconsulti Velleiani apud multas gentes ferè abolitum esse.*
3. *Non sufficit fœminarum generalis renunciatio, sed specialis requiritur istius Senatusconsulti.*
4. *Senatusconsultum Velleianum in Gelria eatenus non obtinet, quatenus sese mulier cum marito obligat. ubi notatur error Pontani in histor. Gelr.*
5. *De mulieribus sui juris, non coniugatis, accipienda hactenus dicta: quæ quidem moribus absque maritis haud rectè contrahunt,*
6. *Remittitur de diverso effectu judicialis & extrajudicialis renunciationis quo ad jus commune.*

W*Anneer een ofte meer personen &c.*) †Oratio hæc indefinita ut masculos ita fœminas quoque complectitur. quia & hæ pro aliis fidejubendo validè obligantur, modò sui juris ac justæ ætatis & certioratæ sive præmonitæ beneficio Senatusconsulti Velleiani, seu judicialiter

ſeu extrajudicialiter, renunciaverint, prout uſus oſtendere videtur, cui adſtipulatur *l. ult. §. Si mulier. 4. ff. ad Sc. Velleian.* ubi eleganter Gothofred. *in not.* Andr. Fachin. *controvers. lib. 2. cap. 60. vers. Nec fundamentum.* Hieronym. Treutler. *vol. 1. diſputat. 25. thes. 4. lit. f.*
2 *& vol. 2. diſp. 28. thes 2. lit. b.* ‡ Et facit præcipuè quod notat Conrad. Ritterhus. *in method. expoſit. Novellar. part. 2. cap. 4. num. 23.* multarum civitatum ſtatutis ferè abolitum eſſe auxilium Senatusconſulti Velleiani, etiamſi mulieres eidem non renunciaverint. item Bernard. Antomn. *en la conference du droict. Franc. avec le Romain ad tit. ff. de Senatusc. Velleian.* ubi dicit eundem titulum anno 1607. eſſe abrogatum conſtitutione Henrici 4. Galliæ regis, quod videtur etiam innuere
3 ibid. Mornac. † Neque tamen ſat eſt generaliter cujuſcunque generis auxilio aut juri renunciaſſe, niſi hujuſce ſenatusconſulti ſpecialis fiat mentio, prout in curia Pariſienſi judicatum refert Ludovic. Charond. *in reſpons. jur. Gallici lib. 2. cap. 43.* & in ſenatu Dolano Ioan. Grivell. *decis. Dolan.* 132. adde quo ad mores Saxonum Benedict. Carp-
4 zov. *ad conſtitut. Saxon. part. 2. conſtitut. 16. definit. 19.* ‡ Videtur autem erraſſe vir doctus Ioan. Iſac. Pontanus *hiſtor. Gelr. lib. 1.* dum aſſerit generaliter Senatusconſultum Velleianum non habere in Gelria locum, cum illud verum ſolùm ſit, quatenus ſeſe mulier fidejubendo cum marito pro alio obſtringit, ut pridem obſervavit Fredric. Sand. *in ſua Gelr. deſcript.* quem prædictus Pontanus malè intellectum ſequutus vi-
5 detur. † Dixi porrò fœminas ſui juris, ut conjugatæ arceantur, quia dum ſub tutela maritorum vivunt, ut contrahere ita fidejubere abſque eorum conſenſu prohibentur *arg. art. 3. cap. 27. infr.* ſtatut. Daventr. *part. 3. tit. 13. art. 9.* Freder. Sand. *ad conſuetud. feudal. Gelr. tractat. 1. tit. 1. cap. 1. num. 2.* Nic. Burgund. *ad conſuetud. Flandr. tractat. 1. num. 23. cum ſeq.* Petr. Gudelin. de jure noviſſ. *lib. 1. cap. 7. vers. Hoc enim*
6 *jure &c.* Ioan Sand. *decis. Fris. lib. 2. tit. 4. definit. 3.* † Atque hæc quidem de moribus hodiernis, cæterùm quin ex jure civili probabili ratione controverti poſſit, an mulieri extrajudicialis renunciatio æquè noceat ac judicialis, non equidem diffiteri volo. Tu animi gratia vide

Petr.

Petr. Costal. *ad d. l. fin. ff. ad Senatusc. Velleian.* Math. Wesenbec. *in paratit. ff. eod. num.* 9. Gomez. *variar. resolut. tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 17 & post hos aliosque citatos novissimè Anton. Hering. *dict. tractat. de fidejussor. cap.* 7. *num.* 466. *cum multis sequentib.*

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Vis & effectus clausulæ*, Een voor al.
2. *Confirmatur à consuetudine Ruremund. & praxi patriæ.*
3. *Accedit jus Gallicum, & adducitur illustrandi gratia locus ex Ludovic. Charond.*
4. *Reditur moribus Velaviæ ad jus antiquum, quod obtinuit ante introductionem beneficiorum ordinis & divisionis,*
5. *Nec attenditur opinio existimantium præter clausulam*, quilibet in solidum, *ad prædictum effectum requiri etiam generalem renunciationem eidem subditam.*
6. *De clausulis*, als principael, als voor sijn eygen propre schult, *earumque effectu plenior enarratio.*
7. *Remittitur porrò ad aliquot autores.*

1 U*Nd die burgstelling mede brengt, Een voor al.)* † De hac clausula dixi obiter suprà in glossa 1. quæ ex hoc textu tam efficax habetur, ut nulla etiam accedente speciali renunciatione beneficiorum ordinis & divisionis sola creditori permittat arbitrium eligendi quemcunque, seu debitorem principalem seu fidejussorum aliquem. Quid enim voluntatis admittamus quæstionem, quando tum hic tum in sequenti art. verborum nulla est ambiguitas, ut usurpem aliquo modo verba
2 Pauli *in l.* 25. *ff. de legat.* 3. † Cui nominatim consentit consuetudo tetrarch. Ruremund. *dict. part.* 4. *tit.* 8. §. 1. *art* 8. ac inprimis patriæ huius

hujus praxis quotidiana, quæ insuper habita curiosa verborum subtilitate potissimùm mentem contrahentium & vim terminorum, ut ita
3 loquar, quibus usi sunt, respicit. † Quod similiter de jure Gallico annotavit Ludovic. Charond. *in pandect. jur. Gall. lib. 2. cap. 36.* cujus verba hunc locum commodè illustrantia adscripsisse non pigebit: *Autrefois* (inquit) *on a tenu par l'usage de France, que si en l'obligation des co-obliges n'estoit expreßement convenu sans division ne discution, encores que le contract portast chacun d'eux seul & pour le tout, ils ne pouvoyent estre contraincts solidairement pour toute la chose ou somme promise, dont Papon auroit recité un arrest du 16. Juillet 1514. Toutesfois a esté depuis jugé en telle espece, que les co-obligez estoyent tenus pour obligez solidairement & l'un d'iceux auroit esté condamné a payer toute la somme, sauf son recours, par arrest du 12. May 1565. & autre du 19. Iuillet en l'audience 1590. car le droict François ne regarde tousjours aux subtilitez des mots desquels sont conceus les contracts, ains plustost a l'intention des contractans & effect des termes, d'ont ils auroyent usé: & quand aucuns s'obligent l'un pour l'autre & chacum d'eux seul & pour le tout, ils declarent aßez qu'ils renoncent a la division & discution.* Hactenus Charondas, cui accedit Guid. Coquille *in quæst. ad consuetud. Galliæ cap. 196. vers. mais nostre coustume &c.* Paul. Math. Wehner. *in practic. observat. lit. E. verb. einer fur alle.* Anton. Hering. *dict. tractat. de fidejussor. cap. 17. num. 53.* quos sequitur Math. Berlich. *conclus. practic. part. 2. conclus. 22.*
4 *num. 55. vers. Et hac sententiam &c.* † Et sic reditur ad jus illud antiquum, quod obtinuit antequam introduxerit vel Justinianus suum illud ordinis vel Hadrianus divisionis beneficium, qualis reductio in jure ut favorabilis, ita proclivis esse solet *arg. l. si unus. 27. §. 2. ff. de*
5 *pact.* ‡ Unde meritò facessit opinio Paponis *lib. 10. tit. 4. arrest. 25.* Joan. Borcholt *tractat. de pact. cap. 5. num. 80.* aliorumque existimantium per prædictam clausulam, *een voor al, quilibet in solidum*, non tolli beneficium sive exceptionem divisionis, nisi eidem protenus subdita sit generalis quædam renunciatio, quasi, cum ipso jure in solidum teneantur fidejussores, nihil amplius dictum, sed superfluum quid sit adjectum. Vide omninò Hering *d. cap. 17. num. 50. 51. & 52.*

‡ Huic

6 † Huic porrò affinis eſt alia noſtratium clauſula, quæ habet, *als principael*, *item*, *als voor ſijn eigen ofte propre ſchuldt*, quando videlicet quis ſe pro alio non ſimpliciter fidejuſſorem, ſed cum adjectione, ut principalem conſtituit. Circa quam, dum quæritur an hoc modo ſatis ſuperque beneficio excuſſionis ſive ordinis renunciatum cenſeatur, magna utrimque Doctorum tum affirmantium tum negantium oritur altercatio. Ego, ne præter inſtituti rationem litem hanc meam faciam, obſervatum aliquoties ſcio, affirmantium opinionem convenire magis moribus noſtris, quibus ut ſimplicitati amicis & contrahentium menti ſolùm intentis memorata clauſula pro omni alia ratione ſufficere viſa eſt. Nam niſi ita eſſet, quod interpretes notant, contra juris rationem otioſa ejuſmodi verba haberentur in contractu, ac ineptiſſimè eòdem recideret & principalis & ſimplex fidejuſſor, cum tamen hic tanquam acceſſorium ab illo plurimum differat. Ne dicam quod multorum municipiorum conſuetudines beneficia iſta ordinis & diviſionis non receperint, uti ſcriptum reliquit Gudelin. *de jure noviſſ. lib.4. cap.7. in fin.* Eandem quoque probant conſuetud. Ruremund. *dict. part.4. tit.8. §.1. art. 5.* Mechliniens. *tit.7. art.15.* & poſt Hippol. de Marſil. *ad rubric. ff. de fidejuſſor.* Andr. Gail. 2. *obs.* 28. Florez Diez de Mena *pract. quæſt. lib.1. quæſt.11. num.48.* Andr. Fachin. *controvers. lib.8. cap. 54.* ac noviſſimè & omnium latiſſimè Anton. Hering. *dict. tractat. de fidejuſſor. cap.27. part.1. num.81. cum mult.* ſequentib. ubi etiam *num.* 123. 124. *&* 125. aliquot rebus judicatis firmat.

7 † Si quis autem paulò curioſior Doctorum hic inter ſe pugnantium ſeriem ſatis longam videre aveat, inſpiciat eund. Flor. Diez de Mena *dict. cap.11. num.8. &* 11. Hering. *d. cap.27. num. 67. 68. &* 69. *item num.118. 119. &* 120. & poſt hos Math. Berlich. *practic. conclus. part.2. conclus.23.*

ART. 2.

M*Aer ſoo veern ſulcke clauſel*, Een vooral, *in de burghſtelling niet en*

ART. 2.

SIn autem talis clauſula, Unus pro omni, fidejuſſione non com-

en waer begrepen, als dan sal die principael schuldenaer eerst aengesprаecken, verwonnen und gediscutieert worden, eer dat men tot de burgen mach komen, und so die principael niet genouchsaem waer om te betaelen, ofte dat hy sunst uytlendigh und sijne goederen niet te bekomen waren, als dan sal men de burgen, nae advenant und beloop van eenes yederen aenpart der schult, daer voor sy gelaest, met recht mogen aenspreecken und vorderen, die dan gheholden sullen sijn op te leggen und te betaelen.

comprehenditur, ipse principalis debitor conveniendus & discutiendus erit antequam ad fidejussores devenire licet. Et si idem principalis debitor non fuerit solvendo, aut aliàs absit facultatumque suarum nulla detur copia, conveniendi demum erunt fidejussores, singuli pro rata debiti cujus nomine spoponderunt, tenebunturque iidem dependere ac solvere.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Deficiente clausula*, Een voor al, *locum habere beneficia ordinis & divisionis*;
2. *Ita tamen ut æquipollens clausula tantundem operetur, aut si renunciatum sit.*
3. *Tractatur, utrum generalis renunciatio sufficiat, aut specialis requiratur.*

1 M*Aer soo veern sulcke clausul &c.)* † Hactenus actum fuit de effectu clausulæ, *Een voor al*, *quilibet in solidum*, instrumento fidejussionis inseri solitæ: nunc autem per adversativam ostenditur quid eâdem deficiente obtineat. Suum nempè tunc retinere vigorem utrumque, & ordinis seu excussionis, respectu debitoris principalis, & divisionis beneficium, respectu confidejussorum, prout de jure competere dictum
2 est. † Adde tamen idem etiam fallere si alia æquipollens clausula fuerit inserta, de qua suprà ad *art.* 1, *gloss.* 3. *vers. Huic porrò affinis* &c. aut

aut omninò præmemoratis beneficiis renunciatum deprehendatur *juxta Novell.* 136. *cap.* 1. *de argent. contract. l. si quis in conscribendo.* 29. *C. de pact.* & communem Doctorum traditionem, de qua post alios He-
3 ring. *in tractat. de fidejussor. loco à me citat. supr. ad art.* 1. *gloss.* 1. † Quæ quidem renunciatio utrum generalis sufficiat, an verò specialis exigatur, quæstio est propter probabiles utrimque rationes admodum dubia, quæque idcircò Doctorum ingenia in varias partes distraxit, uti, ne propositum egrediar, videre est apud Tiraquell. *ad leg. Si unquam. C. de revocand. donat. in princip. à num.* 112. *ad usque num.* 132. Math. Coler. *tractat. de processib. executiv. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 381. *cum mult. sequentib.* Sed moribus nostris, quibus præcipuè curæ esse dixi ad contrahentium mentem advertere, optimè, meo judicio, convenerit sententia Jacobi Tomingii in decisionibus suis *decis.* 1. Distinguendum nimirum esse inter verba renunciationis generalia in genere summo, seu, ut loquuntur, generalissima, & ea quæ generalia sunt subalterna, diverso respectu nunc specialium nunc generalium loco habenda. Priori modo renunciasse, veluti si dixerit fidejussor, sese renunciare omni beneficio, vel sese soluturum absque omni exceptione, ad excludendum memorata beneficia non suffecerit; cum hujusmodi verba (ut inquit Toming. *dict. decis.* 1. *num.* 28.) tam re quàm genere sint incerta, vel, cum Baldo, omni careant nota specificæ demonstrationis ac proinde nihil operentur *l. Qui mutuam.* 56. §. *salarium. junct. gloss. in verb. pollicitationis. ff. Mandati. l. Salarium.* 17. *junct. gloss. ibid. C. eod.* Posterior verò modus, dum paucissimæ sub hoc genere comprehenduntur species, quia mentem renunciantis non minus perspicuè aperit quàm specialis singulorum beneficiorum tum ordinis tum divisionis enumeratio *arg. l. si duo.* 51. *ff. de administrat. tut.* quin iisdem beneficiis tollendis satis sit non equidem dubitem, per ea quæ tractat idem Toming. *dict. decis.* 1. *num. præsertim* 41. 42. & 43. verbi gratia, si dixerit fidejussor, se renunciare quibuscunque beneficiis fidejussoribus jure competentibus, vel omni legum aut juris auxilio pro se facienti. Sequitur Hering. *tractat. de fidejussor. cap.* 17. *à num.* 39. *ad*

num. 49. Nec alieni ab hac opinione videntur Coler. *dict. cap.* 10. *num.* 396. & 397. Joan Koppen *in decis. quæst.* 53. *num.* 12. Modestin. Pistor. *in quæst. jur. commun. & Saxon. part.* 4. *quæst.* 163. Et si casus evenerit autor omninò sim ut non perfunctoriè inspiciatur omnium accuratissima aliquoties jam citata prima decis. Jacob. Tomingii.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Excussis facultatibus debitoris principalis fidejussor simpliciter acceptus demum convenitur,*
2. *Supervacuâ ita definitione excussionis.*
3. *Quid si excussus principalis debitor, dum pro residuo in fidejussorem agitur, postea fortunis auctus solvendo fiat, an creditor petente fidejussore ad eundem regredi queat? & num.* 4.
5. *An inficiatus fidejussisse beneficium excussionis amittat? remissivè.*

1 A*Ls dan sal die principael schuldenaer eerst &c.*) † Excussis viribus, facultatibus aut bonis debitoris principalis, prout diversè his phrasibus utuntur *l. si mandavero.* 42. *ff. Mandati. l.* 1. §. *si inter.* 9. *ff. de magistrat. conveniend. l.* 1. *C. de revocand. his quę in fraud. creditor.* adversus simplicem fidejussorem demum venitur. Ad quod præterea non ineptè adduci potest *l. Decem.* 116. *ff. de verb. obligat. l. Moschis.* 47. *ff. de jure fisci.* Anton. Tessaur. *decis. Pedemont.* 166. *num.* 1. Eo fine servandus est ordo procedendi à jure Velavico præscriptus, quò refero verba textus, *aengespraecken, verwonnen,* quæ subserviunt verbo, *gediscutieert,* quia haud aliter commodè quàm utroque illo modo excussione defungimur, quæ peracta probabitur ex publicis judicii actis. † Unde
2 non est quod ulterius laboremus de definitione excussionis, neque quomodo illa fieri debet, de quo tractat Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 4. §. 7. qui tamen illustrandi gratia inspici poterit.

† Quid

† Quid autem si principalis debitor excussus, dum pro residuo adversus fidejussorem agitur, facultatibus rursus auctior solvendo fiat, an creditor petente fidejusore ad eundem regredi possit? Sunt in hac quæstione pugnantes Doctorum opiniones, ut videre est apud Anton. Gabriel. *commun. conclus. lib. 3. rubric. de fidejussor. conclus. 1. num. 80.* ego in negantium sententiam concederem, quia jam semel extitit conditio sub qua fidejussor acceptus fuit, quod per text. hunc sufficere videtur in verbis: *als dan sal men de burgen &c.* item, *die dan gheholden sullen sijn op te leggen &c.* accedente eo quod mores nostri longiorem omnem tractum, ex quo litium perplexitates, respuunt. † Confirmatur re judicata à suprema Brabantiæ curia, quam refert Paul. Christin. *decis. cur. Belg. vol. 4. decis. 179. num. 24.* † De illo porrò dubio, an inficiatus se fidejussisse, si mendacii postea convincitur, beneficium excussionis perdat, plenè post multos citatos tractavit Anton. Tessaur. *decis. Pedemont. 50.* Anton. Hering. *tractat. de fidejussor. cap. 27. part. 1. à num. 210. ad num. 238.* & nuper Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 2. constitut. 18. definit. 6.* qui proinde si casus obtigerit consulendi.

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Debitore inope aut absente justè conveniri fidejussorem. Inopia quæ sit, & num. 2.*
3. *Quot modis quis non solvendo probetur, remissivè.*
4. *Quis hic habeatur absens.*
5. *Si absens bona reliquerit in loco non convenitur fidejussor ante eorundem excussionem,*
6. *Similiter si relicta uxore & familia aliquò discesserit, & quare.*
7. *Quatenus in fori nostri usum deducenda Authent. Præsente. C. de fidejussor.*

1 *UNd soo die principael &c.)* † Debitoris principalis vel inopia vel absentia justam tandem præbet causam conveniendi eum qui simpliciter fidejussit *hoc text.* Inopia est, si non sit solvendo, vel, ut sequar textum, non sufficiat solutioni, quod *authent. Præsente. C. de fidejussor.* inquit, si inventus sit minus idoneus sive in totum sive in par-
2 tem. † Nam is nullam videtur habere actionem, cui propter inopiam adversarii inanis actio est *l. 6. ff. de dolo mal.* Quod eleganter expressit Martialis hoc disticho:

Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur,
Debet enim si quis solvere Sexte potest.

Unde meritò succidaneus ex promisso suo interpellatur fidejussor.
3 † Quot autem modis quis non solvendo esse probetur accuratè post mult. citat. tractavit Anton. Hering. *de fidejussor. cap. 27. part. 1. num.* 200. *&* 201. quo remisisse pro instituto satis erit. † De absente, qui
4 in textu *wtlendich*, nunc dicamus, quem non eum hic intelligo qui peregrè abest extra Ducatum Gelriæ *juxta art. 2. cap. 10. art. 6. cap. 14.* & quæ ibi tractavi, sed & qui in ipso territorio Velavico non reperitur. quia nimis grave esset longiori sufflamine in aliena jurisdictione lassare creditorem, adeò omnibus à se invicem distinctis patriæ tribunalibus. Quomodo etiam in materia hac excussionis principalem debitorem existentem in alio territorio quàm ubi judicium agitatur pro absente habet Phil. Decius *in l. fin. num. 26. ff. si cert. pet.* quem sequitur Iacob. Cancer. *variar. resolut. part. 2. cap. 5. num.* 157. adde Bertazol. *in tractat. clausul. instrument. claus. 40. gloss. 4. num. 2. vers. & in proposito.* Anton. Fab. *in Cod. Sabaud. lib. 8. tit. de except. 24. definit.* 23.
5 Gail. 2. *obs* 27. *num.* 35. † Cæterùm si idem absens bona ibidem reliquerit, non æquum est iisdem haud excussis fidejussorem convenire, quod & textùs innuit in verbis: *und sijne goederen niet te becomen waren*, cui accedit, & ita in praxi observatum testatur Bertazol. *dict. claus.* 40.
6 *num.* 2. Fab. *dict. definit.* 23. Anton. Tessau. *decis Pedemont.* 40. † Similiter obtinebit si debitor principalis relicta uxore & familia territorium

torium Velavicum excesserit, quia revertendi animum habere putatur *arg.* §. *Pavonum. & ibi Dd. Institut. de rer. divis.* Atque ita videtur quoque sensisse Angel. *consil.* 269. dum vult absentem non dici qui reliquit uxorem & liberos, utpote partem sui corporis, & eidem adhæret Paul.. Christin. *decis. Cur. Belg. vol.* 1. *decis.* 136. † Cui conse-
7 quenter non absque ratione in fori nostri usum deducetur *dict. authent. Præsente. C. de fidejussor.* eatenus scilicet, ut petente fidejussore eidem à judice definiatur certum tempus, intra quod principalem debitorem adducat primò conveniendum, seipso in subsidium servando. In quo, posthabita eorum opinione, qui sex menses præstituunt, arbitrium judicis moderabitur secundum loci ac personarum qualitatem aliasve circumstantias, uti optimè tractat Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 40. quem recentiores omnes sequuntur.

Glossa IV.

SVMMARIA.

1. *Beneficium divisionis consuetudine Velaviæ competere ipso jure, nec necessariò opponendam esse exceptionem ex epist. D. Hadriani.*
2. *Quando confidejussorum aliquis ab initio non solvendo existit cæteros nequaquam onerat, secus quàm de jure communi.*
3. *Divisionis beneficium utile quoque esse heredibus fidejussoris.*

1 A*Ls dan sal men de burgen nae advenant &c.)* † Exacto beneficio ordinis sive excussionis succedit divisionis, in verbis: *nae advenant und beloop van eenes yederen aenpart der schult.* Circa quod notandum, vi hujus consuetudinis (cui videtur convenire statut. Daventr. *part.* 3. *tit.* 13. *art.* 6.) ipso jure illud competere fidejussoribus, adeò ut ulterius creditori actio denegetur: ac proinde exceptionem, quam dat epistola D. Hadriani, in foro nostro necessariò non esse opponendam, innova-

innovatâ prorſus *l. Inter.* 26. *ff. de fidejuſſor.* & §. *ſi plures.* 4. *Inſtitut. eod.*
2 † Ex quo porrò ſequitur, cæteros nequaquam onerare, ſi quis ex fidejuſſoribus ab initio non ſoluendo extiterit, neque denegari repetitionem, quando per errorem ſolidum ſolutum eſt, contrà ac in locis jam citat. deciſum fuit. quia (ut utar verbis Dionys. Gothofred. *ad d. l.* 26.) *quæ ipſo jure ſunt diviſa ſemper ſunt diviſa: quæ diviſa ſunt ope exceptionis, ante exceptionem oppoſitam non cenſentur diviſa.* Atque ita quoque eleganter advertit Argentræ. *ad conſuetud. Britan. art.* 212. *gloſ.* 1. & *art.* 213. *gloſ.* 2. ubi *in d. gloſſ.* 1. idem præſenſiſſe dicit gloſſam *in d.* §. *ſi*
3 *plures. verb. tenentur. Inſtitut. de fidejuſſor.* quam vide. † Nec ſolùm ipſi feidejuſſori ſed & ipſius heredibus utile eſt hoc diviſionis beneficium, quibus etiam ſuccurrendum eſse dixit Pomponius, referente Ulpiano *in l. ſi plures.* 27. §. *ſicut.* 3. *ff. de fidejuſſor.* Hering. tractat. *de fidejuſſor. cap.* 27. *part.* 2. *num.* 27. 28. ubi quæ in ſpeciem contraria removet.

Gloſſa V.

SUMMARIA.

1. *Finis fidejuſſionis cum onere ſolutionis quo ad fidejuſſorem illuſtratur,*
2. *Sequi idem onus defuncti fidejuſſoris heredes;*
3. *Quando illi ab eodem onere rectè eximantur tractatur, & num.* 4.
5. *Quæſtiones, quando fidejuſſor in ſortem obligatus teneatur in uſuras? an termini prorogatione liberetur fidejuſſor? Quando fidejuſſor agere poſſit ut ab obligatione liberetur? remiſſivè.*

1 D*Ie dan geholden ſullen ſijn op te leggen und te betalen)* † Finis fidejuſſionis eſt ut de eo quod ſibi debetur ſecurus ſit creditor, cui comes individua ſolutio non ſatisfaciente principali debitore. Quò ſpectat illud ſapientiſſimi regis Proverb. *cap.* 6. *Fili mi, ſi ſponderis pro amico*

tuo, percussisti alieno manu tua: Illaqueatus es verbis oris tui, captus es eloquiis oris tui. Et quod in ludo septem sapientum sub persona Thaletis eleganter exprimit Ausonius,

Nos ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, *dicimus.*
Latinum est, sponde, noxia est præsto tibi.
Per mille possum currere exempla, ut probem
Prædes, vadesque pœnitudinis reos.

2 † Sequitur verò idem onus, defunctis fortè fidejussoribus, eorundem heredes, cùm reorum locum obtineant *l. Potest. 4. ff. de fidejussor. §. Fidejussor non tantum. 2. Institut. eod. cum similib. passim.* Christoph. Besold. *part. 2. consil. 35. num. 2. &.* novissimè Benedict. Carpzov. *ad con-*
3 *stitut. Saxon. part. 2. constitut. 20. definit. 1. & 2.* † Circa quod tamen in usum recipi posse puto, ut iidem heredes excusentur, si jam antè convenerit, quod hoc aut illo ex fidejussoribus decedente, alii in defunctorum locum substituentur confidejusores. Nam cum contractus quilibet ex conventione legem accipit. *l. 1. §. 6. ff. Depositi.* videtur in personam tantùm intercessisse obligatio, quæ cum vita fidejussorum desinit nec ulterius ad eorum heredes porrigitur *arg. §. At si ita stipuleris. cum gloss. ibid. Institut. de verb. obligat.* † Nec obstat quod hæc magis sit divinatio, quàm quod ita disertè dixerint. quia substituendo alios morte decessuris verisimiliter videntur exemisse heredes ab obligatione. In quo habet creditor quod sibi imputet, dum legem contractui non apertius dixerit *l. Veteribus. 39. ff. de pact. junct. l. Campanus. 47. ff. de oper. libert.* accedente præsertim eo, quod in dubio favorabiliores reputentur rei quàm actores *l. favorabiliores. ff. de reg. jur.* Sic tractat & judicatum refert Math. Coler. *part. 1. decis. 30. num. 6. cum seqq. & tractat. de processib. executiv. part. 1. cap. 10. num. 279. 280.* quem cum aliis sequitur facultas juridica Tubing. apud Christoph. Besold. *part. 2. consil. 35. num. 4.* & nuper Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 2. constitut. 20. definit. 5.* ubi similiter judicatum dicit.
5 † Pro auctario hujus capitis, ne præter institutum excurram, de tribus

quotidianis in hac materia quæstionibus remitto. I. An & quando fidejusſor obligatus in ſortem teneatur in uſuras.? vid. Hering. *tractat. de fidejuſſor. cap.* 24. *num.* 216. *cum mult. ſeqq.* Joan. Sand. *decis. Fris. lib.* 3. *tit.* 10. *def.* 4. Joan. Gœd. *tractat. de contrahend. & committend. ſtipulat. cap.* 11. *conclus.* 10. Weſenbec. *in paratit. ff. de fidejuſſorib. num.* 6. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib.* 6. *tit.* 14. II. An termini prorogatione liberetur fidejuſsor? Vid. Sand. *dict. loc. def.* 5. Joan. Koppen. *in decis. quæſt.* 40. Argentræ. *ad conſuetud. Britan. art.* 208. Benedict. Carpzov. *ad conſtitut. Saxon. part.* 2. *conſtitut.* 19. III. Quando fidejuſsor contra principalem debitorem agere poſſit, ut ab obligatione liberetur? vid. Ludovic. Peguer. *decis.* 190. Papon. *lib.* 10. *tit.* 4. *arreſt.* 20. Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib.* 2. *cent.* 1. *cas.* 41.

Dat XVIII. Cap.

Hoe men voor den gericht procediren und de ſaecken bedinghen ſal.

ART. 1.

En aenlegger ſal ghehouden ſijn by ſijner aenſpraeck alle ſijn bewijs, ſchijn und beſcheidt tot verificatie der ſelver aenſpraecke eenighſins dienlick over te legghen, insghelijcken ſal de verweerder alle ſijn bewijs, ſchijn und beſcheidt waer mede hy vermeint des aenleggers aenſpraeck af te lenden und te vernietighen by ſijn antwoort voeghen, und

Caput XVIII.

Quomodo coram judicio procedetur ac cauſæ ibidem diſceptabuntur.

ART. 1.

Tenebitur actor cum libello ſuo edere quaſcunque probationes & documenta eidem ſtabiliendo utcunque utilia, ac ſimiliter faciet in ſua reſponſione reus ad refutandam & enervandam actoris intentionem, neque ſimpliciter, uti hactenus factum, negando reſpondebit. Uterque porrò actor & reus

und niet simpliciter, wie wes anher gheschiet, negative antwoort gheven, voorts sullen beide aenlegger und verweerder respective repliciren und dupliciren, daer mede het proces gesloten und ten oordeel bedongen sal worden, Welverstaende dat d'aenlegger by sijn replicq geen bewijs, schijn of bescheydt sal inbrenghen moghen tot verificatie und bestedigung van de aenspraecke, dan alleen om des verweerders antwoort und bewijs-stucken daer in aenghetoghen te straffen.

ART. 2.

V*An ghelijcken sal de verweerder by sijn duplicq geen bewijs of bescheidt inbrengen mogen tot verificatie und bekrestigunge sijner antwoort, dan alleenlick om des aenlegghers replicq und bewijs-stucken daer in bygebracht te straffen und wederleggen, Allet tot erkentenis des gherichts, Beheltelick dat die saecken die albereits aenhengich ghemaeckt und anders dan voorss. bedinght sijn, oiren voortganck genieten und nae gebruick des gherichts wie wesher usurpiert, ge-eindicht und ghedecideert sullen werden.*

ART. 3.

E*Doch sullen partijen mede hebben te procediren by memorie und anders, in*

& reus hinc inde replicabunt, & duplicabunt, quibus tenus processus concludetur ac super ea ad sententiam provocabitur. Intellige autem actorem in replicatione libello suo confirmando nullas adducere posse probationes, verùm eas solùm, quæ responsioni rei ac huic adjunctis probationibus refutandis deserviunt.

ART. 2.

REus pariter cum duplicatione nullas adferet probationes firmandæ responsioni suæ; verùm eas solum, quæ actoris replicationi eidemque adjunctis probationibus refutandis erunt, salvo judicantium arbitrio. Quæcunque tamen causæ jam pendent ac secus quàm dictum in judicium sunt deductæ suo marte decurrent, usuque hactenus in judicio usurpato terminabuntur & decidentur.

ART. 3.

VErùm procedent etiam partes exhibito commentario aut

in aller gestalt alst by den gherichten, nae gelegentheit van saecken sal worden geordonneert, und sal daer op soo wel contumacie vallen, als in processen gedient by aenspraeck, antwoort, replicq, duplicq.

quo alio libello, prout ex causæ conditione à judicio decernetur, eritque & tum contumaciæ locus, non aliter quàm si actione, responsione, replicatione & duplicatione lis agitata fuisset.

ART. 4.

ALle scrifturen, wtgesondert die duplicq, sullen dubbelt overghegeven worden, daer van het een deel sal gaen aen de wederpartye, und het ander verbliven by den Lantscriver, om t' syner tijdt versonden te worden aen den Ordelwÿser.

ART. 4.

OMnes scripturæ, excepta duplicatione, geminæ edentur, quarum altera dabitur adversario, altera remanebit apud actuarium ruralem, ut suo tempore transmittatur ad Referentem.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Modus procedendi nobis multò facilior & expeditior quàm jure communi.*
2. *Consuetud. consonantes.*
3. *Quando dicatur conclusum in causa,*
4. *Post istiusmodi conclusionem ex officio posse admitti ulteriorem probationem.*

1 †HIsce articulis ac toto passim capite præscribitur modus procedendi quando in scriptis, quod dicitur, litigatur. Qui quidem tantò facilior & expeditior est, quantò paucioribus, quàm juris communis processus, de quo *text. & Dd. in cap. Quoniam. 11. extr. de probat.* ambagibus, quæ aliquatenus irrepserant, absolvitur. Et sanè (ut utar verbis Juvenalis *Satyr. ult.*) *tunc quoque mille ferenda tædia, mille moræ.* A quibus quantopere militaria majorum nostrorum ingenia abhorruerint testis est communis ferè totius Gelriæ consuetudo huic statuto

2 ſtatuto parum diſſimilis. † Inprimis conſonat ſtatut. Noviomag. *art.* 42. & 43. urbis Zutphan. *tit.* 16. *art.* 5. 6. 7. Arnhem. *art.* 74. & 78. quibus quodammodo accedit conſuetud. Tranſiſulan. *part.* 1. *tit.* 10. *art.* 2. 4. & 5. Mechlinienſis *tit.* 1. *art.* 22. & denique Saxonica, de qua Benedict. Carpzov. *ad conſtitut. Saxon. part.* 1. *conſtitut.* 1. *definit.* 7. 8. item praxis Galliæ, teſte Ludovic. Charond. *Pand. jur. Gall. lib.* 4. *cap.* 29. *circa fin.* variante tamen reformata conſuetudine comitat.
3 Zutphan. *tit.* 5. † Notanter autem dicitur in primo art. *daer mede het proceſs geſloten und ten oordeel bedongen ſal worden*, id eſt, poſt petitionem, reſponſionem, replicationem & duplicationem finis imponetur probationibus ac porrò ibitur ad ſententiam, quod propriè eſt concludere in cauſa, prout *poſt Caſtr. in l. Admonendi. num.* 27. *ff. de jurejurand.* declarat Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 35. *num.* 1. quia tunc eodem autore dicitur liquere judici ſecundum gloſſ. & Dd. *in c. Significaverunt. in verb. liquere. de teſtib.* Felin. *in c.*
4 *cum dilectus. num.* 1. *de fid. inſtrument.* † Quod tamen non ita præcisè accipiendum eſt, ut, ſi cauſa ejuſve circumſtantiæ id poſtulent, prohibitum putetur poſt hujuſmodi concluſionem ulteriorem probationem ex officio injungere *per text. in cap. Cum Ioannes.* 10. *cum gloſſ. in verb. poſtquam. extr. de fid. inſtrument. poſt Felin. Iaſon. Alexand.* Andr. Gail. 1. *obs.* 107. *num.* 5. *cum ſeqq.* Menoch. *dict. quæſt.* 35. *num.* 15. & 22. Hieron. de Cævall. *ſpecul. commun. opinion. contr. commun. quæſt.* 650. item probationes poſtmodum bona fide repertas, nedum juris allegationes admittere *cap. Paſtoralis* 4. *de exept.* Gail. *dict. obs.* 107. *num.* 10. & 13. Menoch. *dict. loc. num.* 13. & 21. Cui ſatis congruit uſus judiciorum noſtrorum, quibus non infrequens ſolet eſſe interlocutio, *litem nullatenus eſſe in eo ſtatu ut commodè definiri poſſit.* ad exemplum ſcilicet illud veterum Romanorum: *Non liquere.*

ART. 5.	ART. 5.
UNd om cortheit van proceduren te vorderen, ſal nae gedaene aenſpraeck	ATque ut litium fiat compendium, porriget reus intra ſpacium

ſpraeck de verweerder binnẽ drie maenden extraordinarie aen handen van den lantſcriver voor twee geerſden dienen van antwoort, und d'aenlegger voorts binnen gelijcke drie maenden van replicq.

cium trium menſium, poſt inſtitutam actionem, extra ordinem ad manus actuarii ruralis, teſtibus duobus immobilium poſſeſſoribus, ſuam reſponſionem, datis inde ſimiliter tribus menſibus replicationi actoris.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Tractatur plenè totâ hac gloſſâ, quot dies in unoquoque menſe ſint computandi. Menſium diſtinctæ appellationes referuntur.*
2. *Civiles menſes qui & quot diebus conſtent.*
3. *Magnam ſemper fuiſſe pugnam circa numerum dierum cujuſque menſis,*
4. *Refertur opinio magis approbata,*
5. *Cui convenit conſuetudo Germaniæ.*
6. *Pluribus indicatur quid potiſſimùm huic art. conveniat & ſequendum ſit. & num. 7. 8.*
9. *Elapſo ſpatio, hoc art. definito, non admittitur exhibens quæ ad proceſſum pertinent.*

B*Innen drie maenden)* Occaſione hujus trimeſtris ſpacii indagare con-
1 venit, quot dies in unoquoque menſe hic computandi ſint. † Cui præſtruo, juxta Cenſorinum de die natali, quem ſequitur Alphons. à Caranza *tractat. de partu cap.* 11. §. 1. *num.* 9. menſes omnes dici aut naturales aut civiles. Et illi quidem omnium gentium ac antiquiſſimi aut ſolares ſunt aut lunares, qui rurſus periodici, ſynodici & illumina-
2 tionis, uti latius apud eund. Caranz. *dict. loc.* † Civiles verò unius generis ſunt ab inſtituto cujuſque civitatis vel Reipublicæ profecti. Hi in jure ſinguli interdum diebus triginta abſolvuntur, ut ſunt textus

in

in l. Lecta. 40. ff. ſi cert. petat. l. ſi venditor. 28. junct. l. Ædiles aiunt. 38. ff. de ædil. edict. Novell. 115. cap. 2. unde ſumitur authent. jubemus. C. de judic. l. ult. §. ſin autem dubius. & §. donec. tamen. C. de jure deliber. Interdum verò uno & triginta, de quo l. 2. l. ult. §. 1. C. de tempor. & reparat. ap-
3 pellat. † Propter quam diverſitatem, accedente præſertim lege 101. ff. de reg. jur. quæ duobus menſibus unum & ſexaginta dies attribuit, magna tum inter antiquos tum recentiores ſemper fuit pugna circa numerum dierum cujuſque menſis, quod notat Menoch. de arbitrar. judic. quæſt. lib. 2. cent. 1. cas. 50. num. 1. & poſt hunc Philip. Math. ad
4 dict. l. 101. ff. de reg. jur. † Pragmatici tamen, & plerique etiam theorici, eò ferè inclinarunt, ut, ubi nihil ſpecialiter definitum eſſet, menſis appellatione dies triginta contineri voluerint Cujac. de divers. temp. præſcript. cap. 10. Joan. Andræ. in c. quam ſit. de elect. in 6. Alexand. conſil. 114. num. 13. lib. 5. & complures alii quos adducit Menoch. dict. cas. 50. num. 12. 13. & ſequentib. aliquot. Caranz. dict. tractat. de partu cap. 12. §. 5. num. 42. ubi num. 43. aliorum exploſa traditione hanc hujus opinionis rationem mihi convenientiſſimam dicit, quod (ut ſunt ejus verba) ad communem gentium uſum tricenus menſis accommodatior eſſet, ut qui ſemper uno æquali & rotundo numero conſtaret, & ita facilius conciperetur. l. Labeo. cum notat. ff. de ſuppellectil. legat. Quin ex eadem menſis dimenſione facilius negocia expediantur dubia, liteſque ceſſent in majore mimoreve parte die-
5 rum, aliàs menſibus aſſignanda. † Hactenus Caranza, ac conſonat communis Germaniæ conſuetudo, de qua teſtatur Mynſing. cent. 6. obs. 40. num. 18. omniumque latiſſimè & accuratiſſimè propugnat refutatis
6 contrariis Andr. Rauchbar. part. 2. quæſt. jur. civil. & Saxon. 24. † Ex quibus utcunque effici poſſe videtur, textui noſtro nihil magis eſſe accommodum, quàm pro unoquoque horum trium menſium dinumerare dies triginta: uſui tamen popularium, à quo ſtatuta ut plurimùm interpretationem recipiunt, juxta notat. Alderan. Maſcardi de general. ſtatut. interpretat. conclus. 3. meo judicio, potiſſimùm convenerit, eo dierum numero quemlibet complecti menſem, quo fortè in calendario occurrerit, ſive ille triginta ſive unius & triginta ſit, ſumpto

de

7 de sequenti quodcunque in præcedenti defecerit. † Et juvat ipse textus, dum trimestre spacium statuit à die institutæ actionis, vel potius exhibitæ petitionis ac huic vicissim contrariæ responsionis, *nae gedaene aenspraeck &c.* Quo casu, designato sciliet termino à quo, non aliam recipi computationem communiter tradidere Gloss. *in l. 2. ff. de divers. & temporal. prescript. junct. gloss. verb. mensem in cap. quam sit. de elect. in 6.* Bartol. *in l. Cum bissextus. ff. de verb. significat.* post eund. & Abbat. *in cap. Licet. de supplend. negligent. prelat.* Wurmser. *practic. observat. tit. 50. observat. 5.* eleganter Thom. Sanchez *de matrimon. lib. 2. disputat. 24. quæst. 4. num. 15.* ac demum multis ad hoc citatis Menoch. *dict. cas. 50. num. 21.* declarando ad hunc modum *ibid. num. 23.* simile ferè statutum Mediolani. Quibus etsi, quasi nulla juris ratione innixis, obloquatur Caranz. *dict. tractat. de partu cap. 12. §. 5. num. 45. & 46.* fatetur tamen ad extremum communem eam & inveteratam Docto-
8 rum assertionem in praxi esse tenendam ac sequendam. † Sed ut res tota exemplo fiat illustrior, si quis, verbi gratia, ad præscriptum hujus statuti apud actuarium ruralem libellum sive petitionem suam in scriptis exhibuerit ad diem vigesimum tertium mensis Augusti, terminabitur trimestre spacium die vigesimo tertio Novembris, & sic pro numero dierum cujusque mensis vel triginta vel unus & triginta dies in
9 menstruo quoquo spacio à statuto computabuntur. † Elapso porrò trimestri hoc spacio offerens suam vel responsionem vel replicationem vel duplicationem nequaquam audietur ex mente hujus art. quia ad tempus permissa post illud censentur prohibita *l. statuliberum. 11. §. Stichum. & ibi Castr. l. Titia. 34. §. fin. ff. de legat. 2. cum simil.* Tiraquell. *de retract. convent. §. 1. gloss. 2. num. 46.*

ART. 6.

Item of yemandt dingde op sijn doode handt, dien het van de doode handt aengekomen weer, die sal sulcx moghen genieten wie van oldts gebruickelick, te weeten,

ART. 6.

QUisquis provocabit ad manum mortuam, à qua ei jus quæsitum est, fruetur eadem prout antiquitus consuevit, in proximum

weeten, wes ten naesten Gericht toe, und sal als dan antwoort geven ofte der aenspraecke vellich sijn, Vnd soo hy de doode handt niet bewijsen konde sal daer aen ghebreuckt hebben thien pondt, half voor de Heer und half voor partije, soo veel min of meer, als by den Gericht erkendt sal worden, Welck beneficie van de doode handt mede sal te ghenieten staen by weedvrouwen ten aensien van hare afgestorvene mannen, Vnd wie de doode handt genoten heeft die sal gheen waer genieten.

mum scilicet diem juridicum, quo respondebit vel in petitionem actoris condemnabitur. Et si prædictam manum mortuam non probaverit mulctabitur decem libris, ex æquo dividendis inter Fiscum & partem adversam, aut pluris minorisve uti judicium decreverit. Fruentur præterea beneficio manus mortuæ respectu maritorum defunctorum viduæ, & qui eodem semel usus est non provocabit ad autorem fundumve.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Beneficium manus mortuæ quid sit,*
2. *Æquum esse nec destitui ratione juris communis,*
3. *Cui detur.*
4. *Quid intelligatur per manum mortuam,* die doode handt.
5. *Differre ab eo quod Gallis dicitur,* main morte.

1 † CONsuetudinarium planè est beneficium manus mortuæ, de quo *hic art.* item Reformat. Zutphan. *tit.* 5. §. 1. statut. urbis Zutphan. *tit.* 16. §. 20, 21. Arnhem. *art.* 76. Cujus hæc potest dari qualiscunque descriptio, ut sit dilatio, sive diei prolatio in gratiam conventi qui hereditario jure in alterius locum successit, vel aliàs titulo singu-
2 lari à defuncto quid consequutus est. † Quod quidem ut maximè æquum, ita juris communis commoda ratione destitutum non videtur, siquidem in alterius locum succedentes justam habent causam

 igno-

ignorantiæ, an id quod peteretur deberetur *l. Qui in alterius.* 42. *& ibi Decius ff. de reg. jur.* tolerabili existente errore in alieni facti ignorantia *l. ult. in fin. ff. Pro suo.*
3 † Datur verò, ut dixi, non actori qui deliberatò ad agendum procedit *dict. l.* 42. sed reo convento, qui præter spem ad judicium trahitur, ut loquitur *l. si quando.* 2. *C. de dilat. junct. l. Petendæ.* 6. *C. de tempor. in integr. restitut.* & quidem petenti, vel potius, per modum exceptionis eòdem provocanti. Unde in Reformat. Zutphan. *d. tit.* 5. §. 1. dicitur exceptio & quidem dilatoria, cui convenit *art.* 38. *cap.* 35. infrà in verbis: *soo daer by den Verweerder eenighe voorgengen, van op de doode handt te vallen, ofte der gelijcken genomen worden.*
4 † Cæterùm per manum mortuam, quæ in textu nuncupatur *de doode handt*, synecdochicè hic intelligimus hominem mortuum, vel, ut ita loquar, personam defunctam, in cujus jus quis seu universali seu singulari titulo successit. Ita similiter constitutiones Gulielmi ducis Juliæ & Caroli quinti Imperatoris Ducum Gelriæ super jure repræsentationis in successionibus ab intestato, quarum fit mentio *infrà cap.* 31. *art.* 5. vulgò inscribuntur edicta de successione manus mortuæ, *placcaten van de successie der dooder handt.* Et in statuto Noviomag. tit. de jure domus mortuariæ sibi invicem aliquoties opponuntur *manus mortua & manus vivens, die doode ende levendighe handt.* Nec abludit vulgatum istud vernaculum, *verstaen te hebben van goeder handt*, pro eo
5 quod quis accepit ab homine sibi amico vel fide digno. † Ex quo liquet, servilis conditionis homines, *gens ou hommes de main morte*, de quibus passim consuetudinarii Galli, itemque manum mortuam pro ecclesia, civitate, collegio aut alio quocunque corpore ecclesiastico vel seculari, uti tractat Peck. *de amortizat. bonor. cap.* 2. longè à præmemorata ejusdem vocis significatione differre.

ART. 7.

UNd of yemant op sijn waer gedongen hadde, und de waer int gericht intrede, die selve waer sal staen in plaets

ART. 7.

AUtor, ad quem quis provocavit, judicio sese sistens, loco principalis iisdem cum illo utetur dila-

plaets sijner principalen met tijdt und stond te ghenieten, te excipieren und te antwoorden und sunst allet te moghen voorwenden, ghelijck de principael had mogen doen of hy op geene waer ghedongen hadde.

dilationibus, exceptionibus, responsionibus aliisque remediis quibus usus fuisset, non secus ac si ad autorem non provocasset.

ART. 8.

SOo eener gedonghen hebbende op sijn waer, die selve ten daghe dienende niet bestendichlick en konde inbrengen, sal hy daer aen oock ghebreuckt hebben tien pondt, te verdeilen als boven, ofte anders nae geleghentheit der saecken tot erkentenis des gherichts, und sal sich als dan selfs voor sijne waer mogen inbrengen und sijn selfs waer sijn.

ART. 8.

QVi, postquam ad autorem suum provocasset, eundem die constituto non debitè producit mulctabitur similiter decem libris, dividendis ut suprà, aut aliàs pro arbitrio judicantium ex causæ constitutione, eritque tum ipse sibi autor.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *De exceptione laudationis*, op sijn waer dingen, *similes consuetud.*
2. *Loci ex jure civili, quibus illustretur textus.*
3. *Diversæ appellationes istius exceptionis,*
4. *Eandem ante litem contestatam esse proponendam.*

1 †DE dilatione quæ manus mortuæ ergo conceditur actum fuit art. præcedenti, nunc sequitur ea quæ dari solet laudanti autorem suum, quod est in textu, *op sijn waer dingen*. De quo itidem textus huic similes in Reformat. Zutphan, *tit.* 5. *art.* 2. 3. statut. urbis Zutphan. *tit.* 16.

tit. 16. *art.* 22, 23. Arnhem. *art.* 75. statut. Lubec. *lib.* 3. *tit.* 6. *art.* 10.
2 † Quibus illustrandis præcipuè faciunt *l.* 2. *C. ubi in rem act. l. Emptor.* 8. *& ibi Dd. C. de evict. cap. Quoniam frequenter.* 5. §. *in aliis. vers. Quod*
3 *si super. cum gloss. ibid. extr. Vt lite non contest. proced.* † Et dicitur ea dilatio apud Jodoc. Damhouder. *in prax. cap.* 115. *num.* 10. exoneratoria ad summandum guarandationem, aliàs etiam exceptio laudationis dilatoria, affinis declinatoriæ, quia quis autorem suum sibi substituendo se ipsum quodammodo liti eximit Bart. *ad dict. l.* 2. *C. Vbi in rem act.*
4 Zanger *tractat. de except. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. 2. 3. † Quum verò omnium dilatoriarum sit commune, ut ante litem contestatam proponantur, quod innuit *art.* 10. *hujus cap.* ubi pluribus dicemus, quis non videt pariter de hac laudationis exceptione fieri oportere? Vid. Zanger. *dict. cap.* 2. *num.* 6. Etymon porrò vocis *Waer* hic non attingo, quia *suprà cap.* 14. *art.* 12. abundè de eo egimus, quò lectorem remitto.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Finis hujus exceptionis laudationis.*
2. *Locus huic art. similis ex Argentræ. & Afflict.*
3. *Comparente nominato ab instantia absolvendum nominantem, mutato etiam libello.*
4. *Habere hanc exceptionem locum tam in personali quàm reali actione, & quando.*
5. *Magis propriè competit ei cui movetur actio realis.*

1 U*Nd de waer int gericht intrede &c.)* † Finis hujus laudationis est ut autor nominatus suo tempore litem in se suscipiat, ac loco laudantis, qui hic principalis dicitur, seu excipiendo, seu respondendo, seu quodcunque aliud utile fuerit moliendo defendat, non secus ac si hic nunquam ad guarendum, ut ita loquar, provocasset. † Cui non ab-
2 simile est quod notat Argentræ. *ad consuetud. Britan. rubric. des garends &*

re-

requestes. num. 2. ubi addit, *hos garendos formales appellari*, & facit
3 quodammodo Math. de Afflict. *decis.* 15. † Ex quo non ineptè cum Bartolo *ad l.* 2. *C. Vbi in rem act.* inferendum videbitur comparente nominato ab instantia judicii absolvendum nominantem sive laudantem ac novum contra illum dirigendum esse libellum: accedente etiam ratione, quod ex libelli conclusione quæ in nominantem ibat nominatus condemnari non possit. Ita post eund. Bart. Marant. *specul. aur. part.* 6. *membr.* 6. *num.* 9. Zanger. *dict. tractat. de except. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. adde Anton. Solam *ad consuetud. Sabaud. rubric. de jure emphyteut. decret. Rempublicam. part.* 1. *gloss.* 1. *num.* 3. Firmat textus *in l. solutione.* 23. *ff. de solut. l. Quia etiam.* 3. *§. fin. ff. de alienat. judic. mutand. caus. l. sed etsi lege.* 25. *§.* 17. *vers. Quid tamen. ff. de hered. petit.* quamvis ex iis quæ tractat idem Bart. *cons.* 219. non absque ratione ad hoc requiri videtur consensus actoris *l. si actor.* 29. *& ibi Marant. in repetit. num.* 73. *ff. de procurator. fac. etiam l. officium.* 9.
4 *ff. de rei vindicat.* † Nec verò hæc laudationis exceptio solùm locum habebit in reali sed etiam personali actione, ad exemplum ejus quod de provocatione ad manum mortuam statuit Reformat. Zutphan. *tit.* 5. §. 1. Modò personalis ista actio ejus sit conditionis ut tertium aliquem guarendum admittat, cujus exemplum ponit Marant. *dict. membr.* 6. *num.* 8. in eo qui convenitur quod mandatu alterius damnum dedisset, dummodò nulla ejus arguatur culpa, & post hunc ejusdem generis tum ex Bart. ac Cravetta adducit Zanger. *dict. cap.* 3.
5 *num.* 8. *&* 9. † Nam propriè loquendo, non competit nisi quando alicui movetur actio in rem Masuer. *in pract. tit.* 2. *num.* 12. cùm personaliter ut plurimùm quis convenitur ex propria promissione & suo ipsius facto, non discedente actione à persona promittentis aut facientis, prout tractat Argentræ. *dict. loc. num.* 4.

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Quomodo mulctetur qui autorem nominatum tempore debito non producit.*
2. *Nemo temerè propria defensione fraudandus. & ab autore nominato destitutus utiliter protestatur.*
3. *Non sufficere autorem nominare sed eundem sistere oportet.*

1 UNd *sal sich als danselfs voorsijn waer &c.*) ‡ Ratione non caret, ut præter mulctam etiam litis expensis in eum usque diem factis, quod addit Reformat. Zutphan. *tit.* 5. §. 2. coerceatur quicunque dilatoria laudationis exceptione usus die constituto autorem nominatum non producit. Siquidem absque hoc frustratoribus litium proclive erat trahere judicia non sine detrimento boni publici. vide quæ
2 dixi *suprà cap.* 13. *art.* 7. ‡ Et hoc meritò sufficere visum est, ne quis temerè domestica ac propria sua defensione protenus fraudetur, veluti indicant postrema hujus art. verba. Quo casu, postquam scilicet ab autore suo destituitur, utile esse pragmatici docent protestari contra eundem de lite mota illius periculo persequenda ac, ubi opus fuerit, repetendo damno hujus respectu dato & omni eo quod qualitercunque interierit Masuer. *in sua praxi cap.* 2. *num.* 13. † Cæterùm
3 ex verbis textus, *niet bestendichlick konde inbrengen*, rectè arguitur, non sufficere solam nominationem ut laudans ab observatione judicii liberetur, verùm ad eum finem necesse esse ut nominatus sistatur, quod etiam docet Imbert. *institut. Forens. lib.* 1. *cap.* 20. quem judicando sequuta est Curia Ultrajectina, teste præsid. Radelant. *decis. Vltrajectin.* 1. licet in Gallia contrarium judicatum referant Annæ. Robert. *rer. judicatar. lib.* 4. *cap.* 9. Ludovic. Charond. *in respons. jur. Gall. lib.* 3. *respons.* 71.

ART. 9.

ART. 9.

VAllen daer eenige voorordelen die selve sullen gewesen worden und men sal daer op geen appellation ghenieten, dan op voorordelen die kracht hebben eener definitive sententie, tot erkentenisse des Gerichts.

ART. 9.

SI qua incidunt præjudicia eadem definienda erunt, nec ab iis appellabitur, nisi vim habeant sententiæ definitivæ, secundum id quod judicio videbitur.

Glossa.

SUMMARIA.

1. Voorordelen *sententiæque interlocutoriæ quæ.*
2. *Quatenus sententia interlocutoria habeat vim definitivæ, remissivè.*

1 ‡HUic art. similis est Reformat. Zutphan. *art.* 13. *tit.* 5. & sunt utrobique *voorordelen*, quas in praxi appellamus sententias interlocutorias, quarum apud gloss. *in Clem.* 1. *vers. definitiva. de sequestr. possess. & fruct.* talis extat descript. ut sint sententiæ judicis quæ feruntur inter principium & finem causæ super aliquo incidenti vel emergenti Marant. *specul. aur. part.* 6. *de sentent. num.* 2. Damhouder. *in prax. civil. cap.* 216. *num.* 2. † Quatenus autem istiusmodi interlocutoriæ vim
2 habeant definitivarum ac proinde sint appellabiles judicantium hic arbitrio permittitur. Cui, si casus eveniat, dux meo judicio erit non contemnendus Marant. *dict. part.* 6. *de sentent. passim*, & præcipuè Alvar. Valasc. *consultat. tom.* 1. *consultat.* 47. ubi latè tractat, quomodo tum communi tum regio jure dignoscantur sententiæ interlocutoriæ quæ vim habent definitivarum.

ART. 10.

WOlde de Verwerder eenige exceptie declinatoir of dilatoir voorwenden, dat

ART. 10.

REus antequam litem contestatur declinatorias & dilatorias suas

dat sal hy mogen doen eer hy der principael saecke recht antwoort geeft of hy sal nae gegevener antwoort ten principalen van de selve exceptien versteecken sijn, und sal eerst op sulcke voorgegevene exceptien by sittenden gericht recht gedaen und volgents ten principalen geprocedeert worden nae behooren.

suas exceptiones proponet, post litem autem contestatam ab earum jure exclusus erit. Et primùm omnium super hujusmodi propositis exceptionibus, durante judicium consessu, jus dicetur ac porrò, ut decet, in causa principali procedetur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *A statuto rectè præfigi terminum dilatoriis exceptionibus, qui peremptorius habetur.*
2. *Laudatur institutum Reformatorum in hoc art. adductâ simili constitut. Saxon.*
3. *Declaratur & quibus modis fallat indicatur & num. 5.*
4. *Moribus exolevisse* l. nulli. 10. C. de judic.
6. *Remittitur porrò.*

1 † QVemadmodum judicantibus permittitur dilatoriis exceptionibus reorum certum præfigere terminum, ut est *in cap. Pastoralis. 4. de except.* Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 3. cas. 240.* qui quidem peremptorius vulgò habetur *d. cap. Pastoralis. & ibi Dd. communiter*: itá multò magis à Statuto id fieri posse rectè existimatum est Zanger. *tractat. de except. part 2. cap. 22. num. 27.* † Unde, breviandarum
2 litium causa, laudabiliter hoc loco statuunt Reformatores, seu declinatorias seu aliter dilatorias exceptiones omnes ante litem contestatam à reo esse proponendas, idque sub pœna privationis earundem. Cui parilis est constitutio electoralis Saxoniæ *part. 1. constitut.* 3. ad quam commentatur Dan. Moller. & confirmatur *per text. in l.* 12. *&* 13. *C. de except. l. Ita demum,* 13. *C. de procurator.* Wesenbec. *in paratit.*

ff. de

3 *ff. de except. num. 7. vers. Hæ autem omnes.* † Quod tamen rursum, ad pleniorem textus declarationem, temperandum venit ex subsequentibus. Fallit enim primò, si harum exceptionum aliqua post litem contestatam demum emergat, veluti si judex ut suspectus recusandus sit *cap. Insinuante. 25. & ibi Felin. num. 8. de offic. & potestat. jud. delegat.* Math. Coler. *ad cap. Pastoralis. de except. num. 8.* Secundò, si eadem quidem nata, ad notitiam tamen rei non venerit, modò is juramento suo hoc affirmet *d. cap. Pastoralis. de except.* Reformat. Zutphan. *tit. 5. art. 12. vers. t' sy dat hy &c.* ac probabilis interveniat facti non juris ignorantia, quæ excusare non solet Math. Coler. *ad d. cap. Pastoralis. num. 9. ubi latè.* Jacob. Cancer. *variar. resolut. part. 1. cap. 18. num. 5.* & remittendo Dan. Moller. *Semestr. lib. 1. cap. 1. num. 4.* Tertiò, si judicium, ut loquuntur, retrò nullum reddat, qualis est si arguatur judex esse furiosus, aut procurator nullum habere mandatum, cum similibus *l. licet. 24. & ibi Bart. ac Dd. C. de procurator.* Marant. *spec. aur. part. 6. tit. de except. num. 10. & 57.* Cacheran. *decis. 1. num. 36.* Cancer. *d. cap. 18. num. 4.* Quartò, si eo fine opponatur ne causæ continentia dividatur Jas. *in l. Ita demum. num. 5. vers. decimosextò limitatur. C. de procurat.* † quæ tamen rarissimè usu venit, cùm ob separatas & suis limitibus determinatas passim hodiernas jurisdictiones moribus quodammodo obsoleverit *l. Nulli. 10. C. de judic.* † Quintò similiter fallit in exceptione dilatoria quæ supponit gravamen continuum, qualis est loci suspecti vel non tuti Mynsing. *cent. 2. observat. 73.* Moller. *d. cap. 1. num. 5.* Math. Coler. *ad d. cap. Pastoralis. num. 11.* Sextò denique in exceptionibus mixtis, ita dictis, quod tam in vim dilatoriarum quàm ad perimendam actoris intentionem opponi possunt, veluti sunt transactionis, rei judicatæ & juris-jurandi Zanger. *tractat. de except. part. 2. cap. 22. num. 24. & 25.* qui in hoc sequutus est Moller. *dict. semestr. lib. 1. cap. 1.* ‡ Consule omninò circa totam materiam Felin. *ad cap. exceptionem. extr. de except.* ac modò citat. Zanger. *dict. part. 2. cap. 22. num. 7. 8. 9. 10. & toto passim capite.* Wesenbec. *in paratit. dict. tit. ff. de except. num. 10.* adde, quem post hæc scripta vidi, Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 1. constitut. 11. definit. 15.*

ART. 11.

ITem soo in veele gerichts-bancken dagelicx gebruick wort, dat d'aenlegger sijne aengehevene rechtsvorderungh vallen laet als hy sijn uytdraegende vonnisse hebben solde, und daer nae deselve aenspraeck weder aenheft, om sijn wederpartije uyt oire actie te vertrecken und die muhe te maeckē, sulcx sal d'aenlegger niet meer als eenmael op verloss sijner gheheeler actie moghen doen, te weeten instantie te renuncieren, Ten waer saeck, dat hy den gerichte soodaenich nieuwe ghevonden schijn und bescheidt toonde, daer door t'gericht veroirsaeckt worde, hem nieuwe procedure te gestaden, Des sal hy verplicht und geholden wesen sijn vordere aenspraeck voor den selven ghericht, soo veern den gerichte eenighsins de judicature daer van competeren mach und die aldaer geuyttert kan worden, und voor geenen anderen gerichte van nieuwes te instituere, Doch eer hy sijne actie alsoo wederom à novo instituiere, sal hy schuldigh sijn sijn wederpart niet alleen die gerichtelicke, sondern oock de verteerde und andere bewijslicke kosten wederom t'erleggen, welcke kosten staen sullen tot erkentenisse und moderatie des gerichts.

ART. 11.

QUoniam in multis tribunalibus quotidie usurpatur, ut actor litem motam jam sententia finiendam deserat, ac eandem denuò resumat, quò adversarium jure suo frustretur ac fatiget, idcircò eidem nisi semel licebit renunciare instantiæ sub pœna amittendæ totius actionis suæ. Fallit autem si de novo reperta instrumenta & documenta judicium movent, ut denuò causam agere permittat. Quo casu tenebitur actor ulteriorem suam actionem instituere coram eodem non alio judicio, modò istius ea sit notio ac ibidem definiri possit. Antequam tamen dicta actio instituitur restituendæ erunt adversario non solùm judiciales sed & aliæ probabiles impensæ, secundum id quod arbitrabitur & moderabitur judicium.

Glossa.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Illuſtratur art. à conſuetudinibus ſimilibus & jure communi.*
2. *Cautionem Peckii per hunc art. eſſe ſupervacuam.*
3. *Renunciare inſtantiæ & renunciare liti quomodo differant. & num. 6.*
4. *Inſtantia quæ ſit.*
5. *Actio quæ ſit.*
7. *Quomodo ſubinde fallat hic textus ac quando plus quàm ſemel inſtantiæ renunciare liceat.*
8. *Ratio quare renuncians ante novæ litis inſtitutionem refundat expenſas,*
9. *Quod præterea ex cauſa temperatur.*

1 † AD hujus art. illuſtrationem confer *art.* 21. tranſactionis inter Carol. Ducem Gelriæ ac Joan. Ducem Cliviæ itemque Ordines Ducatus Gelriæ *an.* 1538. conſuetud. tetrach. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 11. *art.* 11. 12. *&* 13. item *authent. Qui ſemel. C. Quomod. & quand. jud. ſentent. profer. deb. & Novell.* 112. *cap.* 3. *unde dicta authent. deſumpta eſt*, ac utrobique Dd. & inprimis Peck. *tractat. de jure ſiſtendi cap.* 48. ubi egregiè diſputat quatenus arreſtans invito arreſtato liti renunciare
2 queat. † Quo tamen loco addendum puto, motam ab illo difficultatem de metu ac incommodis novæ arreſtationis alibi fortè repetendæ per hunc noſtrum textum aliquatenus ceſſare, qui jubet iteratam actionem apud eundem judicem, ſi ejus ſit notio, inſtituere, cui
3 conſonat Ruremund. *dict. loc. art.* 13. † Ad hæc notanter ajunt Reformatores, *te weeten inſtantie te renuncieren*, id eſt, *inſtantiæ renunciare.* Siquidem ipſo effectu longè hæc differunt, renunciare inſtantiæ & renunciare liti aut cauſæ. Nam qui liti aut cauſæ renunciat nunquam

postea eandem instaurare potest actione omni penitus exclusus *l. postquam.4. C. de pact. ubi Bart. junct. l.2. ff. judicat. solvi.* qui verò instantiæ solum renunciavit non prohibetur iterum eandem litem movere, *ut hic, & not. in dict. authent. Qui semel.* Joan. Petr. Ferrar. *in pract. form. libell. quo agit. ut pact. servent. gloss.4. num.28.* adde, quem postea vidi,
4 Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxonicas part.1. constitut.3. def.16.* † Est autem instantia (juxta Alciat. *ad l. si diversa.14. num.22. C. de transact.*) nihil aliud quàm actionis exercitatio à litis contestatione in definitivam sententiam certo tempore coarctata *l. Properandum. C. de judic.* Ma-
5 rant. *spec. aur. part.5. num.2.* † Actio ipsa est jus persequendi, quod definitis jure aut consuetudine præscriptionis temporibus demum solvitur Nicol. Sudor. *civil. disputat. lib.1.* quem sequitur & citat Hieron.
6 Treutler. *vol.1. disputat 12. de judic. thes. 15. lit. c.* † Atque hanc instantiæ & actionis differentiam satis quoque insinuat ipse hujus art. textus, quando semel tantùm vult renunciari instantiæ sub pœna amit-
7 tendæ totius actionis, in verbis: *op verloss sijner geheeler actie*. † Quod rursum non immeritò temperatur, nisi judici à renunciante nova oblata fuerint documenta, quia tunc cessat calumniandi & litem trahendi animus, præcepti hujus tam stricti præcipua ratio, ut patet. Nam & rem judicatam longè majoris efficaciæ ex noviter repertis instrumentis, si de errore constet, rescindi æquitas aliquando postulat & usus judiciorum permittit, licet juris rigor aliàs contrarium statuat, de quo *in l. sub specie.4. C. de re judicat.* videatur omninò Hieron. de Cævall. *spec. aur. commun. opinion. contra commun. quæst.542. & quæst.838.* Mynsing. *cent.4.*
8 *observat.60.* † Ceterùm quod in fine hujus art. cavetur de refundendis expensis à renunciante antequam ad novæ actionis institutionem admittatur fundatur præcipuè in ejusdem præsumpta temeritate ac naturali illa ratione, quod æquum non sit alteri per alterum iniquam inferri conditionem *l.74. ff. de reg. jur.* vid. Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxonic. part.1. constitut.11. definit.9.* † Ubi tamen moderari con-
9 venit judici, si causa, ob quam quis antea renunciaverat, fortè de novo supervenisset, quia ante id justam litigandi causam habuit, nec propriè suc

succumbere dicitur qui liti renunciat post Bald. & Salicet. Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 3. tractat. de expens. damn. & interesse art. 1. gloss. un. num.* 12. 13. & 14. Stephan. Aufrer. *in addit. ad decis. Capell. Tholosan. quæst.* 5. & facit Peck. *dict. tractat. de jure sistendi cap.* 48. *num.* 1. & 2.

Dat XIX. Cap.

Van versteck.

ART. 1.



Aer tusschen besaet und ontsaet op erfgoet den dagh van rechte diende, und de verweerder compareerde niet und verdedichden sijn ontsaet, sal den aenlegger voorts prosediren moghen tot peindung.

ART. 2.

ITem diende den ghericht-dagh tusschen peindung und pandtkerung, soo de verweerder niet en quam und verdedighde sijne pandtkerung, sal d' aenlegger voorts procediren tot de eerste ruiming und soo voorts.

ART. 3.

VAn ghelijcken sal het gehalden werden tusschen In ende Wtleidung.

ART. 4.

Caput. XIX.

De repulsa.

ART. 1.



Ie judicii constituto in causa arrestationis rei immobilis eique contrariæ intercessionis, si reus non comparet suamque intercessionem propugnat, liberum erit actori progredi ad pignorationem.

ART. 2.

ITem die judicii constituto inter pignorationem eique contrariam oppositionem, si reus non comparet quò suam illam oppositionem tueatur, progredietur actor ad primam evacuationem ac sic deinceps.

ART. 3.

IDem observabitur inter Inductionem & ei contrariam eductionem.

ART. 4.

IN saecken met voorbaeding aengeheven, soo de gebade ten daghe dienende niet erschene, sal d'aenlegger voort mogen schrijden tot de peindung aen het gereede.

ART. 4.

IN causis quæ inchoantur à citatione si citatus die constituto non comparet progredietur actor ad pignorationem mobilium.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Remittitur ad antè dicta.*
2. *Argumentum art.*
3. *Reo salva esse debet legitimi impedimenti allegatio.*
4. *Purgatâ contumaciâ rem redire ad pristinum statum.*

1 † HOrum articulorum illustratio abundè peti potest ab iis quæ latè tractavi suprà *ad art.* 3. 4. *&* 5. *cap.* 9. ideòque ne onerem lecto-
2 rem superflua commentatione compendio utar. † Datur autem hic quasi gradatio quædam in eo, quod reo, propter contumaciam à defensione repulso in arrestatione rei immobilis progressus fiat ad pignorationem, in pignoratione ad primam evacuationem (immota tamen solita executione ubi mobilium pignoratio facta est *art.* 6. *h. cap.*) similiter in inductione, et, si judicium cæperit à citatione, ad pignorationem rerũ mobilium, donec tandem consummata & plenaria (ut ita loquar) executione actori satisfactum sit. † Quod ta-
3 men ita semper accipiendum est, ut salva maneat reo legitimi impedimenti allegatio, vulgò *rechtveerdige vernootsinninge*, ad purgandam scilicet contumaciam, per ea quæ statuuntur suprà *dict. cap.* 9. *art.*
4 3. 4. 5. *cum iis quæ ibidem dixi.* † Qua quidem purgata res redit ad pristinum statum, ita ut ordine judicii consueto denuò procedatur juxta tradita Jason. & Dd. *in l.* 2. *ff. si quis in jus vocat. non ierit & in l.*

2. Si

2. *Si quis caut. judic. sistend.* Math. Coler. *de processib. executiv. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 38. Jacob. Schultes *in addit. ad Math. Coler. decis.* 104. *num.* 33. *part.* 1.

ART. 5.

SOo veern d'aenleggerten aengestelden rechtsdage niet erschient, sal de verweerder, indien hy sulcx versouckt, van der instantie gheabsolviert und d'aenlegger gecondemniert werden in de kosten, sal oock de verweerder niet geholden sijn in de saeck wederom ten rechten te staen, eer hem de voorss. kosten, tot taxatie ende moderatie des gerichts, te rug gegeven und betaelt sullen zijn.

ART. 5.

Actore ad diem constitutum non comparente absolvetur reus, id postulans, ab instantia, condemnabiturque idem actor in expensas. Neque tenebitur reus eadem de causa rursus judicium subire, antequam illi satisfactum sit de expensis, quatenus judicium eas taxabit ac moderabitur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Remittitur ad locos juris communis & consuetudines similes.*
2. *Circumducto termino comparitionis propter absentiam actoris perimi solùm exercitium litis, non ipsam litem.*
3. *An in actore similiter ut in reo justa absentia excusatio admittatur.*

1 †ET hic brevior ero, quia satis superque elucescit præsens articulus ex collatione facta cum textu *l. Et postquam.* 73. §. 1. *cum seq. l. Eum quem temere.* 79. *ff. de judic. l. Properandum,* 13. §. 2. *C. eod.* Consuetud. tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 7. §. 2. *art* 1. Ord. procedend. urbis Noviomag. *art.* 3. consuetud. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 12. §. 5. & 6. Mechlin.

Mechlin. *tit* 1. *art*. 20. ubi Paul. Christin. addito præterea, pró generali declaratione circa contumaciam actoris, Andr. Gail. 1. *obs*. 59.
2 Bernard. Wurmser. *practic. observat. tit*. 7. *observat*. 2. † Quid autem sit instantia & quatenus à lite ipsa differat dixi suprà *in gloss. ad art*. 11. *cap*. 18. ex quo, juncto pariter hoc textu, liquet, circumducto propter absentiam actoris termino constitutæ comparitionis perimi magis litis exercitium quàm ipsam litem. quod elegantius exprimit Ulpianus *in d. l*. 73. §. 2. dum inquit: *Circumducto edicto videamus an amplius reus conveniri possit, an verò salva quidem lis est, verùm instantia tantùm edicti periit. Et magis est, ut instantia tantùm perierit, ex integro autem litigari possit.*
3 † Sed an non, ut in reo, ita in actore quoque justa absentiæ excusatio admittetur? Ita puto ob paritatem rationum *per text. in l*. 2. *ff. Si quis caut. in judic. sistend. caus. fact. l. contumacia*. 53. *l. quæsitum*. 60. *ff. de re judicat. l. Cum non*. 10. *C. Quomod. & quand. jud. sentent. profer. deb*. Modò ad hoc, si fieri possit, excusator aliquis ablegetur, ut dixi *suprà cap*. 9. *art*. 3. *gloss*. 2. Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib*. 4. *cap*. 6. *in fin*.

ART. 6.

Daer gepeindt wort aen gerede goederen sal geholden worden wie dus lang nae Lantrecht van Veluwe und Veluwe-soom ghebruicklick geweest, und daer binnen veerthien daghen nae ontfangene weete van peindung aen gereet goet geene pandtkerung gheschiet sy, daer sal men voorts tot der executie procediren mogen.

ART. 6.

Circa pignorationem rerum mobilium servabitur id quod hactenus ex jure rurali Velaviæ ac oræ Velavicæ usurpatum fuit. Ubicunque etiam post acceptam denunciationem factæ hujusmodi pignorationis intra quatuordecim dies non interceditur, progredi licebit ad executionem.

ART. 7.

ITem wanneer een saeck onder oordels gebracht is, und d'een of d'ander partije des oordels niet en vermaende, die sal

ART. 7.

ITem si alteruter litigantium, causâ ad definitionem judicialem jam compositâ, ad sententiam

sal gebreuckt hebben over een actie van hondert daler vier ponden, und dan meerder of minder nae advenant, tot erkentenisse des gerichts, een dardendeel voor de Heer und twee dardendeelen voor de vermaenende partije, und sal gelijcke wel, soo het gericht ofte den Oordelwijser vervat weer, gewesen worden als nae recht, und soo dit versuim geschiede by eenige procureur of volmechtigen, soo sal die selve in de voorss. breuck gevallen sijn und sijn partije daer van vrijen.

am non provocet, mulctabitur idem quatuor libris, in lite quæ summam centum dalerorum æquat, vel pluris minorisve pro rato, juxta id quod judicium arbitrabitur, unico ejusdem triente Fisco, cæteris autem duobus trientibus parti provocanti cessuris: Neque eo minus judicio aut referente ad hoc parato feretur sententia prout juris. Quod si hæc negligentia committitur à causidico aut procuratore, idem prædictæ mulctæ reus erit ab eaque liberabit clientem suum.

SUpervacuum fuerit circa hos articulos commentando laborare, quia aliunde ex iis quæ passim tractavimus illustrari queunt, ideòq; desino & lectorem eòdem remitto.

Dat XX. Cap.

Van contschappen und ghetuichnissen.

ART. 1.



OF yemant bewijs wolde doē met levendige kunden und tuygen, so sullen dat tuygweerdige personen wesen, ten weynichsten twee int getal.

Caput XX.

De testibus ac testimoniis.

ART. 1.



QUicunque quid probare volet testimoniis vivis ac testibus, homines adhibebit fide dignos, numero minimùm duos.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Loci juris Divini & Civilis ac Canonici huic art. similes.*
2. *Quatenus aliquando pauciores quàm duo testes sufficiant, remissivè.*
3. *Testes an fide digni sint arbitrio judicis relinquendum.*
4. *Materiam probationis plerumque esse arbitrariam.*
5. *Similiter arbitrarium est, quatenus in conflictu testium & testimoniorum alterum alteri sit praeferendum.*

1 ‡DE numero testium in qualibet causa huic art. consentaneus est textus vulgatissimus sacrae paginae, *in ore duorum aut trium consistere omne verbum. cap. In omni. 4. cap. Licet universis. 23. extr. de testib. l. 1. §. 2. junct. l. Vbi numerus. 12. ff. de testib. capitular. Carol. Magni lib. 5. cap. 162.* Re-
2 format. Zutphan. *tit. 6. §. 1.* † Quod enunciatum quatenus aut declaretur aut subinde fallat, videbis, si usu venerit, longè latèque tractantes Anton. Gabriel. *commun. conclus. lib. 1. tit. de testib. conclus. 1.* Joan. Crot. *tractat. de testib. part. 6.* Joan Campeg. *simili tractat. reg. 197.* & inprimis Menoch. *de arbitrar. judic. quaest. lib. 2. cent. 1. cas. 99.* Hieron. de Caeval. *spec. aur. commun. opinion. contr. commun. quaest. 494.*
3 Anton. Fab. *Cod. Sabaud. lib. 4. tit. 15. definit. 35.* † Sed quoniam testium fides diligenter examinanda est, ut ait Callistratus *in l. 3. princip. ff. de testib.* cum numero rectè hic desideratur, ut sint fide digni, *tuichweerdigh.* Circa quod praecipuè dominabitur arbitrium judicis *per text. in d. l. 3. §. 1. & 2. eod.* Menoch. *de arbitrar. judic. quaestionib. lib. 2.*
4 *cent. 1. cas. 90.* ‡ ubi exactè docet materiam probationis judici plerumque esse arbitrariam. sequitur Joan. Petr. Surd. *decis. Mantuan. 105. num.*

5 *num.* 13. † Atque eòdem quoque recurrendum, si disputetur quatenus in conflictu testium & instrumentorum sibi invicem repugnantium alterum alteri præferatur juxta Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 39. *num.* 4. cujus tamen *dict. observat.* nequaquam cæteræ negligendæ distinctiones ad pleniorem hujus dubii decisionem. addatur Joan. Wames. *cent.* 1. *secul. cons.* 65.

ART. 2.

WAnneer yemant, t'sy kleger of verweerder, contschappen wil laeten beleiden, die selve sal geholden sijn sulx te doen voor den Drost ofte Richter, ofte voor haeren ghesworen volmachtighen, und twee gerichts-luiden als voorss. Wel verstaende soo de contschap beleid worde voor den voorss. ghesworen, dat als dan de gerichtsluiden sullen kunnen lesen und schriven, und die kundtschap mede beteickenen.

ART. 2.

QUisquis, seu actor seu reus, testes examinandos producere volet, facere id tenebitur apud satrapam judicemve, aut eorundem procuratorem juratum, testibus duobus judicialibus: Ita scilicet ut, si producantur apud prædictum juratum, ipsi judiciales legendi ac scribendi periti testationi subscribant.

ART. 3.

DIe Drost sal die scholten autorisiren und volmechtigen, om tot gerijf van vreemde und reisveerdighe luiden und die sunst haest hebben contschappen te moghen verhooren ten overstaen van des ampts jonckeren, daerse sijn, ofte van andere bequame eerlicke mannen, als gherichtsluiden, Daer in sich de scholten der gestalt sullen hebben te draghen, datse niemant reden geven sich over hare partyschap ofte onachtsaemheit

ART. 3.

DAbitur prætoribus potestas à Satrapa recipiendi testimonia in usum peregrinorum adve iter accinctorum aut aliàs properantium, idque testibus præfecturæ suæ nobilibus, modò ibi reperiantur, aut aliis viris idoneis ac honestis tanquam judicialibus. In quo iidem prætores ita se gerent, ut nulli causam præbeant conquerendi de suo in alterutram

heit te beklagen, Vnd sullen die scholten ten allen maenden of ses weecken ten langhsten, aen den Drost schriftelicke advertentie doen, und verantwoorden van haer gebesoignirde in dit stuck.

partium affectu vel negligentia, significabuntque scripto singulis mensibus aut saltem post lapsum sex hebdomadum eidem Satrapæ, ac rationem reddent de eo quod in hoc negotio egerint.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Moribus nostris non alibi rectè examinari testes quàm apud judicem, quod illustratur.*
2. *Delegato, si asserat se constitutum esse ad audiendum testes, an credendum sit.*
3. *Examen testium à judice alteri rectè committi.*

1 † NOtissima judiciorum nostrorum praxis est, ut nullibi quàm apud eum qui juri dicundo præest ejusve delegatum testes examinandi producantur, exclusis penitus ab hoc exercitio actuariis aut notariis, uti notatur *hoc text.* & magis seriò exprimitur *art.* 57. Ord. proced. urbis Noviomag. Confer Wesenbec. *in comment. ad tit. Cod. de fid. instrument. authent. apud eloquentissimum aliquem. num.* 2. Fransc. Marc. *decis. Delphin.* 228. *num.* 1. & adde Math. de Afflict. *decis.* 317. *in fin.* Fransc. Viv.
2 *decis.* 78. *num.* 3. † Quid autem, si delegatus, ut puta prætor, quem *scultetum* dicimus, de quo hic, asserat se constitutum esse à satrapa ad audiendum & examinandum testes, an eidem, non exhibito mandato, credendum sit? Sic quidem usu pridem obtinuit, quamvis, meo judicio, acriter controverti possit ex iis quæ tradit Math. de Afflict. *d. decis. Neapolitan.* 317. *cum addit. ibid. Cæsar. Vrsill. junct. arg. decis.* 273.
3 † Et posse examen testium à judice alteri committi non solùm hic, sed & communi jure definitur *l. judices.* 18. *& ibi commun. Dd. ff. de fid. instrument.* Alexand. Trentacinq. *variar. resolut. lib.* 2. *resolut.* 10.

ART. 4.

ART. 4.

ALs yemant om contschap der waerheit ghebadet is, die sal in eerster badinge voorkomen, und der aenspraeck ofte vraeghstucken gheen afschrift ghenieten, ten ware den ghérichte ofte den officier und gerichtslui den bedochte, dat hy daer redelicke oirsaecken toe hadde, Waer toe als dan de officier und gherichtsluiden nae gelegentheit der saecken tijt sullen setten daer op te antwoorden.

ART. 4.

AD testimonium ferendum vocatus prima statim citatione comparebit, nec interrogationum apographum impetrabit, nisi tamen judicium aut officialis judicialesve existimaverint hoc ei ex justa causa deberi: quo casu pro causarum conditione tempus respondendi statuetur.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Citatus ad perhibendum testimonium venire debet, vel cogi potest.*
2. *Eadem tamen citatio necessaria est, etiamsi alicubi præsens sit testis;*
3. *Ratio ejus assignatur.*
4. *Venire recusans compellitur vel captis pignoribus vel inductâ pœnâ, & quidem arbitrariâ.*
5. *Quatenus quis cogatur ferre testimonium in causa capitali, remissivè.*
6. *Sumptus productionis testium pertinere ad onus producentis: In quibus quænam numeranda sint traditur.*

1 A*Ls yemant &c.*) † Citatus ad perhibendum testimonium prima quaque denunciatione adesse tenetur, quod similiter statuit Reformat. Zutphan. *tit.6. §.3.* item leges insular. Bommel. & Tiel, *art.19.* & visus est probare Plato 11. *de legib.* Nam & invitum cogi jus com-

mune permittit *l. 1. §. 1. vers. & hi. ff. de testib. l. si quando. 19. C. eod. cap. Cum. super. 2. & tot. tit. extr. de testib. cogend.* Gail. 1. *obs.* 100. Anton. Gomes. *resolut. tom. 3. cap. 12. num.* 24. quibus in locis uterque
2 prædictæ coactionis assignat rationes per te videndas. † Intellige tamen præire semper oportere debitam citationem *ut hic. & cap. 1. cap. super eo. 3. cum gloss. ibid. dict. tit. de testib. cogend.* Joan. Campeg. *tractat. de testib. reg.* 167. Gail. *dict. obs.* 100. *num.* 9. & 10. Quæ quidem usu forensi adeò necessaria reputatur, ut præsentem fortè testem ac in judicio repertum nihilominus citandum vel potius per apparitorem monendum existiment. Quod indicare quoque videtur Mynsing. *cent.* 6. *obs.* 16. *num.* 4. quando certiorem putat esse faciendum de hoc actu celebrando, adde Masuer. *in practic. tit.* 17. *num.* 35. Supervacua ita quæstione, an hoc casu de jure omitti queat citatio, de qua vidend. id.
3 Mynsing. *dict. obs.* 16. † Pro fundamento præcipuè est, ut omnis sinistra suspicio ingestionis evitetur *arg. l. Quæ omnia. 25. ff. de procurator. l. Vxori. 18. §. 1. & ibi appositè Bart. ff. de leg. Cornel. de fals.* dict.
4 Mynsing. *cent.* 4. *observat.* 3. † Si autem hujusmodi citatus venire recusat compellendus erit à judice, vel captis pignoribus, ad exemplum ejus, quo Romæ Senatores inviti in curiam venire cogebantur, de quo Cicero *in Philipp.* & Liv. *Histor. Roman. lib.* 3. vel indictione certæ pœnæ aut mulctæ Spec. *de test. §. pen. num.* 6. Wesenbec. *in paratit. ff. de testib. num.* 2. ubi citat *l. Curent. 22. ff. eod. cum similib.* quæ quia nec jure nec statuto certò definita est arbitraria meritò censebitur juxta Felin. *in cap. Dilectorum. 10. de testib. cogend. num.* 4 Jacob. Menoch. *de arbitrar.*
5 *judic. quæst. lib. 2. cent. 2. cas.* 280. & *cent. 4. cas.* 381. *num.* 32. † Qui & consulendus omninò est, ad hujus loci ulteriorem declarationem, *dict. lib. 2. arbitrar. judic. quæst. cent. 5. cas.* 487. de quæstione, quatenus quis cogendus sit testimonium ferre in causis capitalibus, adde Iacob. Cancer. *variar. resolut. part. 1. cap. 20. num.* 53. & 54. &, quem post hæc scripta vidi, Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part. 1. constitut. 16. definit.* 47. † De sumptibus porrò respectu hujus testium productionis
6 faciendis, quin ad onus producentis pertineant nullum est dubium
per

per text. *in l. Quoniam.* 11. *C. de testib. l. Eos. 6. §. Si quis autem.* 2. *C. de appellat. cap. Statutum.* 11. §. *penult. de rescript. in 6.* Andr. Gail. 1. *obs.* 99. In quo habita ratione qualitatis personarum, non solum viatica necessaria, sed & operæ diurnæ sive earundem mercedes meritò computabuntur Gail. *dict. loc. num.* 8. *&* 9. & latè Cacheran. *decis.* 46. ubi *in fine* ita à Senatu Pedemontano judicatum refert.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Deliberare non prohibetur testimonium perhibiturus.*
2. *Ut apographum interrogatorium non accipit testis, ita nec per scripturam, sed vivâ voce deponere debet;*
3. *Quod tamen limitatur duobus modis.*

1 UND *der aenspraeck ofte vraechstucken geen af-schrift genieten.*) † Deliberare tamen non prohibetur, uti tractat Abb. *in cap. Cum causam de jurament. calumn. & ibid. Barbat.* quos citat & sequitur Wurmser. *practic. obs. tit.* 19. *observat.* 2. atque ita aliquoties de facto observari
2 vidi † Et quemadmodum hic metu subornationis (quò facit *art. 6. princip. infr.*) apographum interrogatorium, quod copiam vulgò appellant, denegatur testi, nisi ex justis causis aliter videatur judici, cui contrarium statuunt Zutphaniens. *tit. 6. art. 3. in fin.* ita vicissim idem viva voce, non per scripturam deponere debet *can. Testes. caus. 3. quæst. 9. & can. Relatum. caus. 5. quæst. 2.* Francisc. Marc. *decis. Delphin.* 378. *num.* 1. *part.* 1. *& decis.* 689. *in fin. part.* 2. Boer. *decis.* 1. *num.* 38.
3 Joan. Campeg. *tractat. de testib. reg.* 259. † Quod per eundem Campeg. *dict. loc.* notanter limitabis, nisi id quod scriptum est judici à teste ipso prælegatur, aut si eodem judice ac parte adversa præsentibus contra id nihil excipiatur, quomodo etiam consuluit Tiber. Decian. *respons.* 51. *num.* 96. *vol.* 2. nec memini, cùm sæpiusculè in foro usu venerit, hæsitatum fuisse à jus dicentibus. adde aliquatenus Masuer. *in practic. cap.* 17. *num.* 52.

ART. 5.

WIe alsoo contschappen beleiden wil, die sal sijn aenspraeck ofte vraechstucken den officier ofte sijnen volmachtigen, wie voorss., und den gerichtsluiden over geven, und daer mede afwijcken, und als dan salmen elcken getuige bysonder op een bequame plaets, buyten den gericht, in absentie soo wel van de wederpartije als van den producent vlijtich examineren, den getuige mede afvragen de redenen und oirsaeck haerer wetenschap, die men oock in de contschap sal doen stellen, soo dat het getuich rechtveerdich und waerachtich toegae.

ART. 5.

QUicunque ita testes examinandos producere vult, tradet interrogationes suas officiali ejusve procuratori, uti dictum, ac judicialibus, continuòq; recedet. Deinde singuli testes separatim in loco idoneo extra judicium, absente utroque tum producente tum ejusdem adversario, diligenter examinabuntur, indagando pariter scientiæ suæ rationem ipsi depositioni inserendam, quò justè ac verè testatio procedat.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Modus examinandi testes.*
2. *Separatim unusquisque testium per se audiendus est, & quare.*
3. *Referuntur similes huic art. consuetudines, itemque jus canon, cum autoribus quibusdam.*

1 † MOdus examinandi testes hic ex parte traditur, ac inprimis ut seorsim à judice, utraque parte absente, ad porrecta interrogatoria diligenter audiantur. Quod *in l. Nullum.* 14. *C. de testib.* dicitur *ad judicantis intrare secretum.* facit Boer. *dict. decis.* 1. *num.* 39. Anton. Faber *Cod. Sabaud. lib.* 4. *tit.* 15. *definit.* 52. Joan. Campeg. *tractat. de testib.*
2 *reg.* 219. † Sed & sigillatim ac separatim unusquisque per se audiendus est

dus est, dum textus noster inquit: *elcken getuige bysonder*, quod confirmat gloss. *in cap. cum causam.* 37. *verb. procures. de testib. & attestat.* Campeg. *dict. tractat. reg.* 220. Masuer. *in practic. tit.* 17. *num.* 13. *Plurimum namque* (ut eleganter loquitur *l. De minore.* 10. §. 5. *ff. de quæstionib.*) *in excutienda veritate etiam vox ipsa & cognitionis subtilis diligentia adfert. nam & ex sermone, & ex eo qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret, vel cujus existimationis quisque in civitate sua est, quędam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt.* Cui geminum illud Ciceronis in orat. pro Flacco: *Videte* (inquit) *quo vultu, qua confidentia dicant, tum intelli-*
3 *getis qua religione dicant.* † Confer ad hunc art. *d. cap. Cum causam.* 37. *& ibi gloss. de testib. & attestat.* Reformat. Zutphan. *tit.* 6. *art.* 2. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 12. *art.* 9. 11. 12. *&* 13. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 13. *art.* 2. *&* 11. ac demum Joan. Crot. *tractat. de testib. part.* 7. *cum addit. ibid. Petr. de Moncada*, ubi latè tractatur de forma in testium examine servanda, moribus tamen multum immutata.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Simile jus Gallicum.*
2. *Dictum testis sine redditione rationis vix probare, pro arbitrio tamen judicis,*
3. *Quod plenius declaratur;*
4. *Quatenus prædicta plenior declaratio hic locum habere debeat.*
5. *In causa criminali testis etiam non interrogatus scientiæ suæ rationem reddere debet.*

1 D*En getuige mede afvragen de redenen &c.*) † Huic per omnia similis est lex Gallica à diversis regibus repetita & confirmata, uti ea extat in corpore juris Gallici *lib.* 4. *tit.* 4. *leg.* 8. §. 1. in verbis: *Tous commissaires qui examineront tesmoins soyent tenus de les interroger de la raison*

de leurs dicts & depositions, icelle raison rediger par escrit avec la deposition des
2 *tesmoins.* † Et, præter cæteros interpretes *ad l. Solam.* 4. *C. de testib.* rectissimè dixit Baldus: *Dictum testis sine redditione causæ non probat, nisi aliis adminiculis appareat esse probatum.* In quo arbitrio judicis multum tribuetur, qui interdum fidem adhibebit testibus rationem non concludentem reddentibus, post *dict. Bald. Aret. consil.* 48. *num.* 3. *& alios*
3 Joan. Petr. Surd. *decis. Mantuan.* 105. *num.* 12. 13. ‡ Quò autem hæc melius promptiusque intelligantur, ex mente Doctorum *ad d. l. Solam.* hactenus commentantium, contractis in compendium eorundem interpretamentis verbosioribus, sic habe: Aut agitur de iis quæ in sensum exteriorem vel corporeum, ut loquuntur, aut in judicium intellectus cadunt. Priore casu, veluti si testis deponat Titium injuria affecisse Mævium, item Titium possidere à multis annis fundum Tusculanum, quia hîc implicita quodammodo redditur ratio, quod viderit; si non interrogetur de ratione scientiæ valet testimonium, secus si interrogatus rationem non aperiat: Posteriore verò casu sive interrogatus sive non interrogatus rationem semper addere tenetur, nisi jure reprobari velimus datum testimonium. Verbi gratia, si Titius de jure non de facto deponat, Mævium esse dominum fundi Tusculani, nulla adducta ratione scientiæ, quod contractui venditionis interfuerit, viderit ve illi à venditore vacuam ejus possessionem tradi. Ita gloss. ferè *ad l. Solam. C. de testib.* Bart. Bald. Innocent. *in cap. causam. extr. eod.* & post hos eleganter Mornac. *in comment. ad d. l.* & servat omninò usus forensis, uti probant Wurmser. *tit.* 18. *observat.* 1. Masuer. *in practic. tit.* 17. *num.* 5. *& num.* 50. Jacob. Cancer. *variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 15. *&* 16. ‡ Neque tamen quis putet ideò à me
4 hic adduci prædictam distinctionem, ut integrum sit officiali pro arbitrio circa primum casum omittere inquisitionem de ratione dati testimonii; quando hoc quidem est contra hunc textum, qui, ut de statutis vulgatum, ad unguem servandus est: Sed quò salva juris ratione consulatur litigantibus, si forte is minimè circumspectus prudens hoc
5 Reformatorum præceptum neglexerit. † Cujus etiam rursus nulla habe-

habebitur ratio, quando causa agitatur criminalis, in qua speciale esse volunt ut testes ad validitatem testimonii non interrogati scientiæ suæ rationem reddant, præcipuè si deponunt, quod dicunt, ad offensam, juxta communem Doctorum opinionem, quam sequitur Jul. Clar. *pract. criminal.* §. *fin. quæst.* 53. *num.* 22. Cancer. *dict. loc. num.* 18. Videatur ad totam materiam tractat. Ioan. Campeg. *reg.* 192. 193. & 194.

ART. 6.

Niemant van den getuigen, veel weiniger die de getuigen vordert, ofte daer tegen sy gevordert werden, sal den anderen informiren, wat hy seggen of tuigen sal, und een yeder sal sijn getuigenisse verswijgen tot dat int gericht und anders geopenbaert sy.

ART. 6.

Nullus testium, multò minus eosdem producens, aut ii in quos producuntur, alter alteri præscribet quid dicendum testandumve erit. Reticebit præterea unusquisque testimonium suum, donec in judicio aut aliàs revelatum fuerit.

ART. 7.

D'Officier und gherichts-luiden sullen wel toesien und daer op letten, dat geene getuigen eenighsins beschenckt sijnde verhoort worden, die selve met vlijt waerschouwende van de kraft des eedts, und van de sware tijtlicke und eewige straffe des meyneedts.

ART. 7.

Officialis judicialesve diligenter cavebunt ne quoquo modo ebrii (*donati vel muneribus corrupti, etiam verteris, propter ambiguam significationem vocabuli beschenckt*) audiantur testes eosdem etiam atque etiam præmonentes de vi juramenti, ac gravissima tum temporali tum æterna perjurii pœna.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Horum articulorum compendium.*
2. *Consuetudines similes.*
3. *Testes instructi quare non admittendi & quinam hi habeantur.*
4. *Moribus non servari solennem publicationem depositionum, qualis de jure communi obtinet.*
5. *Testes quatenus jejuni potius examinandi.*
6. *Temulenti testes quare reprobentur.*
7. *Præmonitio de vi juramenti necessaria.*
8. *Moribus jusiurandum testium eorundem depositionem sequitur, secus quam jure communi.*
9. *Iisdem moribus pars adversa non citatur ad audiendum jurare testes.*
10. *Quid prædicta præmonitio contineat, quod illustratur.*
11. *Iuramentum quamvis necessarium rectè omittitur si à partibus remissum fuerit.*

1 † SUmma horum articulorum in quatuor capita contrahitur: Primò, ne testimonium perhibiturus à conteste, multò minus à producente aut ab eo in quem producitur instruatur: Secundò, ut testimonium datum celet, donec legitimè publicetur: Tertiò, ne testes deposituri quomodocunq; poti audiantur, quamvis & ambiguum textus vocabulum *beschenckt* de donatis aut muneribus corruptis intelligi queat: Quartò demũ, ut iidem cum cura præmoneantur de vi juramenti mox
2 præstandi ac pœna tum temporali tum æterna perjurii. † Quibus ferè conveniunt Reformat. Zutphan. *tit.* 6. §. 2. 8. *&* 9. Ruremund. *part.* 5. *tit.*
3 12. *art.* 6. *&* 14. Ord. procedend. urbis Noviomag. *art.* 53. † Primi capitis ratio est, quod testes instructi præsumantur subornati ac proinde suspecti

ſuſpecti poſt. *Gemin. conſ.* 142. *Dec. conſil.* 448. *Felin. conſ.* 2. Cardinal. Tuſc. *practic. conclus. tom.* 8. *conclus.* 221. Id verò inde præcipuè conſtabit, ſi unum eundemque meditatum ſermonem attulerint *l. Teſtium.* 3. §. *ideoque.* 1. *ubi Bart. num.* 5. *cum addit. ff. de teſtib.* Cardinal. Tuſc. *dict. tom.* 8. *conclus.* 220. Æſtimare igitur debet judex (inquit eleganter Budæus *ad d. l. Teſtium.*) an unum & eundem ſermonem teſtes & domi præmeditatum attulerint, an ad ea quæ nec opinatò interrogati ſunt, ex tempore, id eſt, derepentè veriſimilia reſponderint, quod indicium eſt puri ac ſinceri teſtimonii. Debet enim, ut ajunt, è re naſci
4 teſtimonium, non autem velut è commentario proferri. † Alterum caput ex praxi juris communis reliquum videtur, qua poſt examen teſtium eorundem depoſitiones præſentibus partibus, vel iiſdem abſentibus citatis, ſolenniter publicabantur. Speculat. *tit. de teſtib.* §. *ſatis utiliter.* Joan. Emeric. à Roſbach. *prax. civil. cap.* 60. Quod tamen moribus noſtris exolevit, indicto tantum ſilentio uſque dum aperiatur quod teſtati fuerint, *ut hic*, & notat Campeg. *tractat. de teſtib. reg.* 168.
5 *vers. ſextò teſtis debet*. † Ad tertium caput facit *cap.* 1. *extr. de teſtib. & atteſtat.* ubi ad teſtimonium dicendum nemo admittitur niſi jejunus. Capitular. Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 62. *in fin. & lib.* 3. *cap.* 10. 38. & 52. Quod etſi magis honeſtatis quàm neceſſitatis eſſe velint poſt *gloſſ. Spec. de teſtib.* §. 1. Weſenbec. *in paratit. ff. eod.* quin tamen locum habeat in ebrioſo, qui ex conſuetudine in ſingulos dies madidus eſt,
6 nemo negaverit & probat Maſuer. *in practic. tit.* 17. *num.* 12. † Tantum eſt, quod optima ratione hoc loco Reformatores à teſtimonio dicendo videntur arcere temulentum vel ebrium, quia, ut ex dictis ſapientum ac experientia teſte colligitur, per ebrietatem inducitur mentis naufragium, memoriæ exilium & inſaniæ ac dementiæ concurſus. adde Damhouder. *prax. civil. cap.* 170. *num.* 11. item quæ dixi *in ſup-*
7 *plement. tractat. Fredr. Sand. de effeſtucat. cap.* 5. *num.* 11. † Præmonitio porrò, de qua in quarto ac poſtremo capite, quoniam, ut forma, hic deſideratur, nullo modo ommittenda eſt juxta *tradit. ſupr. cap.* 10. *art.*
8 2. *in gloſſ.* Damhouder. *dict. prax. civil. cap.* 170. *num.* 2. *in fin.* † Ac eo

quidem minus quod moribus noſtris alicubi tamen variantibus teſtium jusjurandum eorundem depoſitionem non præcedat ſed ſequatur, contrà quàm communi jure ſervatur *cap. Fraternitatis. 17. extr. de teſtib.* poſt alios Hartman. Piſtor. *part. 1. quæſt. 43. num. 1. 2.* Mynſing. *cent. 3. obs. 80. & cent. 4. obs. 77.*
9 † Cui & alterum aſſidet ab eodem jure communi alienum, ut neceſſe non habeamus partem adverſam citare, quò præſens teſtes in ſe productos jurare audiat, contra *authent. Sed & ſi quis. C. de teſtib. Cap. In nomine domini. 2. extr. eod.* Utramque differentiam latius notavi in *Adverſar. meis ad conſuetud. Gelr. tractat. 4.*
10 *§. 22.* quò brevitatis gratia remitto. † Comprehendit autem iſta præmonitio hæc ferè, ut teſtis memor graviſſimæ tum temporalis tum æternæ pœnæ perjurii abſq; ullo in hanc illamve partem affectu negocii, de quo interrogatur, veritatem, quam noverit, dicat, juramento ſolenni (quod eſt juxta Joan. Calvin. *Inſtitut. Chriſtian. religion. lib. 2. cap. 8. §. 23.* Dei atteſtatio ad veritatem ſermonis noſtri confirmandam) mox confirmaturus quod depoſuerit *hoc text. junct. gloſſ. in dict. cap. Fraternitatis. 17. ad verb. juramentis. de teſtib. & gloſſ. ad l. jurisjurandi. 9. C. eod.* Maſuer. *in practic. tit. 17. num. 42.* Joan. Campeg. *tractat. de teſtib. reg. 168.* ac non ineptè eòdem traducitur elegans illud Juvenal. *ſatyr. 8.*

——— Ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

11 † Et licet tam de jure quàm conſuetudine juramentum dicatur neceſſarium in teſte, fallit tamen ſi à litigantibus utrimque remiſſum fuerit; quandoquidem horum ſolùm intereſt, quibus juri pro ſe introducto renunciare permittitur *l. penult. C. de pact.* atque ita definit. *cap. Tuis. 39. cum gloſſ. ibid. extr. de teſtib.* Mynſing. *dict. cent. 3. obs. 80. num. 6. & cent. 6. obs. 32.* noviſſimè Benedict. Carpzov. *ad conſtitut. Saxon. part. 1. conſtitut. 16. def. 31. num. 8. 9.*

Gloſſa II.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Perjurii duplicem esse pœnam.*
2. *De pœna perjurii respectu animæ,*
3. *Eadem etiam cognita fuit Gentilibus, ut ex variis probatur.*
4. *Pœna perjurii respectu corporis diversa apud diversas gentes fuit, sed gravissima;*
5. *Quænam hoc loco intelligatur.*
6. *Quo ad dictam pœnam plurimùm refert quibus circumstantiis perjurium muniatur, adeòque arbitrium judicis sæpè locum habebit.*
7. *Perjurium diversimodè accipi & de quo hic art. intelligendus sit.*

1 SWare *tijtlicke und eeuwige straffe des meyneedts*) † Perjurii duplicem esse pœnam, aliam animæ, aliam corporis antehac quoque notavit Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 319. *num.* 23. &
2 eòdem respiciunt hæc hujus articuli verba. † Animæ pœna, quæ hic æterna dicitur, insinuatur *in l.* 2. *C. de reb. credit.* dum inquit: *jurisjurandi contempta religio satis Deum ultorem habet.* Et ipse dominus Deus apud Zachar. *cap.* 5. *vers.* 3. & 4. *morabitur*, inquit, *maledictio in domo mendaciter jurantis in nomine meo.* † Quod ipsi etiam Gentiles, licet verum Deum ignoraverint, uno ore ut certissimum omnes professi sunt, ut videre est apud Pausan. *in Corinthiac. lib.* 2. Herodot. *lib.* 6. *cap.* 86. Aristid. *orat. posterior. de societat.* Aristot. *in Rhetor. ad Alexand. cap.* 18. Tibull. *lib.* 1. *eleg.* 9. Cic. *de legib. lib.* 2. Hesiodum, qui alicubi inquit:

——— Clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant,

ac com-

ac complures alios. Vide præterea Mornac. *ad d. l. 2. C. de reb. credit.*
4 Covarruv. *ad cap. Quamvis de pact. part. 1. §. 7. in princip.* † Pœna autem corporis, quæ hic temporalis dicitur, ut varia, ita graviſſima ſemper fuit in hoc crimine apud omnes ferè mundinationes, veluti de Romanis, Græcis, Ægyptiis, Scythis ac Indis ex diverſis autoribus latè docuerunt Covarruv. *dict. §. 7. num. 7. & 8.* & Nicol. Reuſner. *ſentent. ſive decis. lib. 3. decis. 2. num. 21. 22. 23. & 24.* & videtur notaſſe Joan. Calvin. *Institut. Christian. religion. lib. 4. cap. 20. §. 16.* dum inquit: *Falſum testimonium talionis pœna inter Judæos plectebatur: alibi gravi tantum ignominia, alibi ſuſpendio, alibi cruce.* † Sed hoc loco haud
5 dubiè intenditur ad pœnam illam perjurii temporalem, quæ ſtatuitur
6 *ſuprà cap. 4. art. 1. ubi in gloſſ. latè tractavi.* † Circa quam adverti velim, exiſtente hujuſmodi abominando delicto plurimum referre quibus circumſtantiis muniatur, ex quarum matura conſideratione modò dictum ſtatutum vel totum vel ex parte ſequi judicis fuerit circumſpecti. Nam & jure civili nullam ordinariam perjurio eſſe conſtitutam pœnam, ſed arbitrariam à judice imponendam pro modo ac ratione delicti, poſt alios pridem latiſſimè & accuratiſſimè dixit Nicol. Reuſner. *dict. decis. 2.* quam, ſi uſu venerit, utile fuerit inſpicere, junct. Ludovic. Charond. *in reſpons. jur. Gallic. lib. 12. reſpons. 7. in fin.* ubi quo ad arbitrariam pœnam convenire dicit uſum forenſem regni
7 Galliæ. † Cæterùm quoniam, juxta Leſſium *tractat. de juſtit. & jure lib. 2. cap. 42. dubitat. 14.* perjurium omne vel propriè pro juramento cui deeſt veritas aut præſens aut futura, vel generatim pro eo cui ſeu juſtitia, ſub qua veritatem quodammodo comprehendunt, ſeu judicium deeſt, accipitur; ſcire intereſt priore modo hoc loco intelligi, & quidem pro eo cui deeſt præſens veritas, ut puta, quando quis ſciens volenſque falſum confirmat, quomodo ut plurimùm apud juris autores accipi ſolet, teſtante eod. Leſſio *dict. loc.*

ART. 8.

UNd *sullen de contschappen voor schepenen der steden behoorlick gevuirt und verbrieft van gheen minder weerden und bestendigheit gheholden werden, als die voor den officier und gerichts-luiden ten platten lande beleidet sijn.*

ART. 8.

TEstimonia etiam coram scabinis urbium legitimè producta ac in scripturam redacta non minus valebunt ac rata erunt, quàm ea quæ in agro coram officiali & judicialibus producta sunt.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Notatur differentia morum & juris civilis in eo quod testes alibi producti in alio judicio fidem faciant.*
2. *Nullus ferè usus apud nos literarum mutui compassus, quamvis aliquando non inutilis earundem praxis.*

1 ‡ NOtabis ex hoc articulo, cui mores passim consonant, testes alibi legitimè productos in alio judicio fidem facere, atque ita testimoniis ex scripto recitatis non minus credi, quàm testibus ab ipso judice, coram quo causa agitatur, examinatis. Cum quo quodammodo pugnare videtur *l. Testium.* 3. §. *Idem divus.* & §. *Gabinio.* 4. *ff. de testib.* ubi dicitur alia esse autoritas præsentium testium, alia testimoniorum quæ recitari solent. cui non dissimilis *l. Lucius.* 21. *ff. de his qui notant.*
2 *infam.* Quod, ut dixi, moribus non anxiè curatur, ‡ quibus & ea de causa rarissimus est usus earum literarum, quas vocant mutui compassus, quibus in subsidium juris testium sub alieno territorio commorantium examen judici competenti committitur, vel ad scribentis tribunal iidem mitti postulantur, de qua materia text. *in l. judices.* & *authent.*

Apud. ubi Dd. commun. C. de fide instrument. Andr. *Gail. 1. obs. 96.* Negare tamen nolim illius practicæ, ut ita dicam, aliquando notabilem in foro nostro posse esse usum, si casus evenerit; sicuti etiamnum eadem usurpatur in Hollandia teste Paul. Merul. *Trax. Holland. lib. 4. tit. 65. cap. 2.*

Dat XXI. Cap.

Van Oordel und Oordelwijseren.

ART. 1.



'Officier sal in eener bancke aen eenen ghe-richts-man, t'sy van ridderen und knechten, ofte uyt den steden, niet meer als een eyndtordel bestaden, ten waer datter meer eyndtordelen te bestaden waren dan daer gherichts-luiden sijn.

ART. 2.

ALs een saeck ten ordel bedinght, und dat ordel aen een bestadet is, so sal d'aenlegger tusschen den naest aenstaenden gerichts-dach gehoden sijn dat proces versloten van den Lantschriver te lichten, und t'selve den ordelwijser tijtlick voor den gericht daer aen volgende behandigen, und dat by vier pondt voor den

Caput XXI.

De sententia ejusque relatoribus.

ART. 1.



IN quolibet tribunali officialis unicam tantùm definitivam sententiam deferet cuilibet judiciali, sive ille sit ex equestri sive civitatum ordine, nisi tamen plures ejus generis deferendæ sunt, quàm pro numero judicialium.

ART. 2.

POstquam ad sententiam provocatum eaque alicui judicialium delata est, incumbit actori, dum proximus expectatur dies juridicus, ipsam causam obsignatam ab actuario rurali accipere ac in tempore ante proximè futurum judicium relatori tradere, sub pœna

den armen, Vnd soo de procureur sulx versuymden sal die breuck by hem betaelt werden, des sal de lantschriver oock geholden sijn die processen op't spoedighste te veerdigen, of soo by gebreck van dien d'aenlegger in schade quame, sal die lantschriver de voorss. breucken moeten draghen, allet tot erkentenisse des gerichts.

ART. 3.

WAnneer die proceßen soo gants groot sijn, dat het gericht by overlesung der selver opgheholden und verlet solde werden, soo sal d'aenlegger mogen begeren, dat de drost ofte richter den ordelwijser und de bysittende ridderschap und gerichts-luiden ten weinighsten int getal van seven personen, by den gericht daer toe te deputiren, wolde op kosten van ongelijcken by den aenlegger te verschieten, op eenen seeckeren gheleghenen dagh voor den toekoemende ghericht doen verschriven ter naester bequame plaetse, t'sy in steden ofte in dorpen der gerichts-bancke, om dat proceß te visitiren, des Ordelwijsers voorraem aen te hooren, und volghens het ordel te concipieren soo moghelick, om t'selve op den naest-volgenden gerichts-dagh uyt te lesen.

ART. 4.

pœna quatuor librarum in usum pauperum. Et si procurator hoc neglexerit solvenda ab illo erit mulcta prædicta, ita tamen ut actuarius ruralis, quàm maturè fieri possit, causarum acta expediat, eandem mulctam subiturus si per eum actor damnum passus fuerit, salvo interim judicantium arbitrio.

ART. 3.

QVando causarum acta tam sunt diffusa, ut eorundem lectione distineretur ac impediretur judicium, petere poterit actor à satrapa aut judice, ut relatorem cum assidentibus nobilibus cæterisve judicialibus, numero minimùm septem, à judicio ad hoc delegandis, impensis ejus qui succumbet ab eodem actore tamen prærogandis, ad diem locumque certum & idoneum, sive is sit in urbe sive in pago ubi judicium habetur, convocet, ad examinandam causam, relatoris super ea opinionem audiendam, &, si fieri possit, sententiam concipiendam, quò eadem proximè sequenti juridico pronuncietur.

ART. 4.

ART. 4.

GElijcke extraordinaris bykompst sal t'ghericht ampts halven oock selfs mogen ordonniren, und sal als dan elcke gherichts persone und de lantschriver hebben twe daler daeghs tot haere verterung, und die Drost ofte Richter, soo die daer mede present were, dubbelt dach-gelt, of d'aenlegger sal t'gericht in plaets van de dagh-gelden verpleghen mogen, tot sijnen keur.

ART. 4.

IPsum quoque judicium ex officio similem extraordinarium conventum decernere poterit: Habebuntque tunc singuli judiciales pro diario duos daleros, & satrapa judexve præsentes duplum ejus, vel prospiciet actor, loco diarii, judicio de alimentis, prout elegerit.

ART. 5.

TOt dusdaenighe bycomsten moghen oock gedeputiert worden persoonen niet present of buyten den gerichte sijnde, soo wel als presenten, die sich daer mede goetwilligh sullen beladen laeten.

ART. 5.

AD hujusmodi quoque conventus delegari queunt tam absentes à judicio, quàm præsentes, qui istud oneris non inviti suscipient.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *De causarum relatoribus. & quis propriè Referendarius.*
2. *Monitio elegans ex Cicerone ad judices, itemque de eorundem officio locus ex capitular. Caroli Magni. Quod utrumque applicatur relatoribus causarum.*

1 †DE sententiis earumque relatoribus sive enarratoribus hic inscribitur titulus. Solet enim ex moribus Velaviæ aliarumque Gelriæ

riæ partium assessorum judicii aliquis constitui, qui causam examinat ac postea in judicio enarrat vel exponit *art. 6. infr. h. cap.* Referendarium non ineptè diceres, nisi is propriè esset, qui supplicum desideria principi refert & ejusdem jussiones judicibus rursus insinuat *Novell.* 10. 113. 124. Cassiodor. *variar. lib. 6. form. 17. ubi notat Petr. Brosse. Gothofred. ad l. Suggerente. C. de offic. ejus qui vicem alicujus jud.* † Quoniam autem longiore expositione non indigent hi articuli breviter claudam cum monitione ad eosdem Relatores, quâ circa judices usus est Cicero in orat. pro A. Cluentio, ac simul eleganti loco de officio eorundem judicum ex Capitular. Carol. Magni *lib. 1. cap. 62. Est* (inquit orator) *sapientis judicis, meminisse se hominem: cogitare tantum sibi à populo esse permissum, quantum commissum & creditum sit: & non solùm sibi potestatem datam, verùm etiam fidem habitam esse meminisse: posse quem oderit absolvere: quem non oderit condemnare: & semper non quid ipse velit, sed quid lex & religio cogat cogitare: animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cum hæc sunt videnda, tum verò illud est hominis magni atque sapientis, cum illam, judicandi causa, tabellam sumserit, non se putare esse solum, neque sibi, quodcunq; concupiverit, licere: sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, invidiam, metum cupiditatesq; omnes amovere: maximique æstimare conscientiam mentis suę, quam ab diis immortalibus accepimus, quę à nobis divelli non potest: quæ si optimorum consiliorum atq; factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu & summa cum honestate vivemus.* Et prædictus Imperator, *Vt quibus* (inquit) *data est potestas judicandi justè judicent, sicut scriptum est: justè judicate filii hominum. Non in muneribus, quia munera excæcant corda prudentium & subvertunt verba justorum. Non in adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum est. Quod justum est judicate, sive civis sit ille sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia dei judicium est. Primùm namque judicii diligenter discenda est lex à sapientibus populi composita, nec per ignorantiam à via veritatis erret. Et dum ille rectum intelligit judicium, caveat ne declinet, aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentis, aut per præmium à*

recto judicio. Rectum autem & honestum videtur ut judices jejuni causas audiant & discernant.

ART. 6.

EEn ordelwijser naedien het proceß by den gericht gelesen is, sal voor eerst daer op sijnen voorraem und goetduncken segghen met die redenen die hem daer toe beweghen, und by aldien sulcx by den gericht int gemein, ofte nae de meeste stemmen mede goet bevonden wort, sal de lantschriver daer van eene sententie concipieren, Dan soo d'ordelwijser de saeck so swaer bevonde, dat hy noodigh achte daer toe consultatie te gebruicken, als dan sal hy sich moghen beleeren met rechts-geleerden of wel ervarene personen binnen lants, te weeten alleen in het quartier van Arnhem woonachtigh, Soo sal dan noch een ordelwijser buyten lants oock consultatie mogen neemen, indien het hem nae geleghentheit der saecke noodigh dunckt, Des sal den aenlegger schuldigh sijn den ordelwijser middel te doen hebben tot de kosten des reisens und beleerens, maer in gheval de ordelwijser sulcke kosten wolde verschieten, soo sal hem den aenleggher die selve op sijne affirmatie restitueren, eer het oordeel uytghelesen wort.

ART. 6.

CAusæ relator, post lecta in judicio acta, dicet primò super eâ suam opinionem, additis rationibus quibus movetur: Quæ si universo judicio vel plurium votis probatur, concipiet inde actuarius ruralis sententiam. Sin autem idem relator eandem causam tam difficilem reperiat, ut consultatione opus existimet, consulere poterit juris consultos aliosve peritos indigenas, hoc est, commorantes in tetrarchia Arnhemiensi. Permittitur præterea eidem consulere extraneos, si pro causæ conditione necessarium judicat, ita tamen ut actor suppeditet expensas tam itineris quàm consultationis habendæ: Quas si relator ipse erogaverit, restituet eas actor ipsius fide, antequam sententia feratur.

Glossa.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Communis Gelriæ consuetudo in causis difficilioribus consulendi peritos: cui similis totius Germaniæ:*
2. *Quod tamen magis est arbitrii, sicuti etiam eorundem consilia sequi.*
3. *Quatenus consilium peritorum sequuti malè judicantes teneantur, remissivè.*
4. *Inferiorum judiciorum assessores Comitatus Zutphaniæ peritorum consultationes & petere & sequi debere. De similibus alii meminerunt.*
5. *Universitatis consilia præferri privatorum jurisperitorum sententiæ, eademque peti plerumque sumptibus succumbentis in causa.*

S*Oo de oordelwijser de saecke soo swaer bevonde &c.*) † Commune est omnibus Ducatus Gelriæ tribunalibus, ut in causis difficilioribus juris & consuetudinis peritos consulant, antequam sententia feratur. Et eandem generalem in imperio esse consuetudinem testatur Udalric. Zas. *in l. Qui jurisdictioni. num.* 13. *ff. de jurisdict.* quem sequitur Math. Stephan. *tractat. de offic. jud. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 5. † In ipsorum tamen hoc magis est arbitrio, quàm ut necessariò cogantur, quemadmodum & liberum est eadem peritorum consilia jam petita vel sequi vel repudiare, quod juri communi quoque consonat juxta Joan. Andr. *in addit. ad specul. lib.* 2. *part.* 2. *in princip. num.* 1. *item eund. specul. lib.* 1. *part.* 1. *tit. de requisit. consil. in princip. num.* 10. cum aliis quos citant & sequuntur Pax de Scala *tractat. de consil. sapient. lib.* 1. *cap.* 20. *& lib.* 3. *cap.* 25. Jacob. Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 1. *quæst.* 23. *& post Schrader.* Math. Stephan. *dict. tractat. de offic. jud. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 6. ‡ Quatenus autem iidem consilium peritorum sequuti malè judicantes teneantur tractat Hartman. Pistor. *in singular. observat. cap.* 149. quo,

quò, ut brevior sim, remitto, si casus obtigerit. 4 † Singulare est in assessoribus inferiorum judiciorum Comitatus Zutphaniæ, quos *Cornoten* vulgò appellant, quod & petere & sequi peritorum consultationes teneantur, uti constat *ex cap.* 7. Reformat. Zutphan. cujus generis tribunalium alicubi etiam videntur meminisse Marant. *spec. aur. part.* 6. *de sentent. num.* 13. & Math. Berlich. *practic. conclus. part.* 1. *conclus.* 4.
5 *num.* 12. † Porrò Universitatis alicujus aut Collegii approbati consilium privatorum jurisperitorum sententiæ præferri tractat ex citatis quibusdam autoribus Paul. Christin. *decis. Cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 63. ac de consultationibus taxand. Joan. Wames. *ad jus canonic. consil.* 127. *ubi num.* 4. sequutus Speculat. convenienter ad hunc locum inquit: *Judex cum causa postulat aut ei consultum videtur ipse consilium à sapientibus & juris peritis requirere potest, non tamen suo nec illius pro qua sententia fertur, sed illius qui in causa succumbit onere ac periculo.*

ART. 7.

Und daer mede partijen des te spoedigher recht und justitie verkrijgen mogen, sal een Ordelwijser van nu voortaen niet meer als een varst mogen neemen, ten waer dat het gericht erkenden noch eenige vordere varst van nooden te sijn.

ART. 7.

Quò autem jus ac justitia celeriùs litigantibus administretur, unicam tantùm posthac dilationem sibi sumet relator, nisi judicium decernat ulteriori aliqua opus esse.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Causarum relatores non debere uti crebris dilationibus. Puniri quoque judicem qui causæ decisionem extrahit.*
2. *Quatenus judex negligens parti teneatur:*
3. *Posse etiam talem ab officio removeri.*
4. *Promotoriales quando concedantur & quatenus earum usus in patria.*

† Quem-

1 † QUemadmodum suprà *cap. 16. art. 8. & 11. ubi dixi,* circa causidicos & procuratores prudenter cautum fuit, ne qua de causa litem susceptam extrahant: ita & hic causarum relatores crebris suis dilationibus lites, ut ita dicam, facere immortales prohibentur, dum nisi semel aut summùm bis, & quidē intercedente judicii cognitione, ampliare possunt. Nam & tarditatem judicis in querelam deduci vult Imperator Justinian. *l. ult. §. illud etiam. in fin. C. de tempor. & reparat. appellat.* ac idem *in l. Properandum. 13. §. 8. C. de jud.* eleganter inquit: *Sin utraq; parte imminente & litem peragere cupiente judex vel propter amicitias vel inimicitias vel turpissimi lucri gratia vel propter aliud quodpiam vitium, quod miserrimis animis hujusmodi judicum innasci potest, litem ausus fuerit protelare & propter hoc triennium fuerit transactum, siquidem in magistratu positus est vel in majori dignitate usque ad illustratus gradum decem libras auri privatis nostris lar-
2 gitionibus inferre per scholam Palatinam compelletur.* † Constat præterea judicem negligentiorem litem suam facere *c. 1. §. judices. de pac. tenend. & juram. firm.* id est (juxta Adrian. Turneb. Adversar. *lib. 19. cap. 26.*) veram litis æstimationem præstare cogi, imò parti læsæ ad damna & id quod interest actione in factum teneri Bart. *in l. 4. §. in eum. num.
3 1. ff. de damn. infect.* † Vel etiam, si tanta probetur negligentia, ab officio removeri posse *l. si quos. C. de offic. præfect. prætor. orient. l. Eum qui. C. de procurator.* compluribus ad hoc citatis accuratè docet Andr.
4 Gail. 1. *obs. 28. num. 7. & 8.* † Ad excitandam porrò judicis negligentiam, si procrastinatio probetur, petentibus id litigantibus concedi solent à superiore ex consuetudine forensi promotoriales, ut loquuntur, de quibus Mynsing. *cent. 2. obs. 24. & cent. 5. obs. 56.* Gail. 1. *obs. 1. num. 26. & dict. obs. 28. num. 7.* His quodammodo comparari possunt literæ monitoriæ ad inferiora judicum subsellia à suprema Curia, interdum etiam ab ipsis Ordinibus Gelriæ in comitiis impetratæ, quibus ad accelerandam causarum decisionem commonentur.

Dat XXII. Cap. | Caput XXII.

Van compromissen. | De compromissis.

Ad rubricam

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Compromittere & compromissum quid.*
2. *Diversæ appellationes compromissi apud diversas nationes, & qui compromissarii.*
3. *Arbitratorum & arbitrorum differentia:*
4. *Ejus differentiæ usus alienus à jure, attamen in foro probatus.*
5. *De arbitris propriè accipiendus hic titulus & quare.*
6. *Exceptionem litis pendentiæ non producere compromissum de jure communi:*
7. *Moribus nostris huic contrarium obtinere.*
8. *Quomodo appelletur id quod ab arbitris pronunciatum est.*

1 † DIcam non meis, sed eminentissimi pragmatici verbis Petr. Rebuffi *ad constitut. reg. tom. 3. tractat. de arbitr. art. 1. gloss. 2. num. 1. & 2. compromittere esse simul promittere, quando inter partes est de aliqua re controversia, ipsæ eligunt quendam qui eorum decidat negotium. Et simul promittunt stare illius sententiæ sub pœna decem aureorum vel sine pœna, tunc illæ partes dicuntur compromittere, id est, simul promittere, quod stabunt arbitrio illius l. Diem proferre. §. stari. & §. fin. ff. de recept. arbitr. Inde arbitrium vocatur compromissum l. societatem. 76. vers. arbitrorum. ff. Pro socio. & compro-*

promissum est illa simultanea partium de stando arbitrio promissio. Hactenus Rebuff. cui accedunt Lanfranc. de Orian. *tractat. de arbitr. & compromiss. part.* 1. *num.* 24. Coras. *Miscellan. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 4. Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit. des justices. art.* 18. *not.* 3. *num.* 1. Joan.
2 Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 2. *num.* 5. † A compromisso voce Latina manavit vernaculum nostrum *Compromis*, quod & usurpant superioris Germaniæ populi, quibus idem est *anlaß*, *hindergang*. Paul. Wehner. *in practic. observat. lit. C.* Compromissarii, qui & arbitri, vulgò *segs-luiden*, *keurs-luiden*, quibus ex compromisso par-
3 tium lis dirimenda committitur. † Horum alii juxta communem Doctorum traditionem dicuntur arbitratores, quibus ex partium consensu incumbit negocium controversum amicabiliter tractare & componere, nobis vulgò *goede mannen:* alii propriè arbitri qui ad hoc à partibus electi litem juxta juris & consuetudinis præscriptum dirimunt. Vid. ad illustrationem Marant. *Spec. aur. part.* 4. *distinct.* 14. Joan. Schneidwin. *ad* §. *Omnium autem actionum. num.* 24. *cum sequentib. aliquot. Institut. de actionib.* Wesenbec. *ad tit. Cod. de recept. arbitr.*
4 Lanfranc. de Orian. *dict. loc. num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. † Et quamvis juri scripto parum conveniat hæc distinctio, uti rectè notat Coras. *dict. lib.* 4. *Miscellan. cap.* 18. suum tamen usum in praxi obtinet ac foro nostro egregiè inprimis probatur, adde Parlador. *dict. lib.* 2.
5 *rer. quotid. cap. fin. part.* 1. §. 2. *num.* 4. † Cæterùm posterior significatus magis est ut ad hujus tituli subjectum pertineat, quia passim in eo apparent notæ quædam ordinis judiciarii, cui istius generis sive compromissarii sive arbitri adstringuntur, per ea quæ tractant Dd. supr. citati. Ac eòdem spectat illud juris effatum, compromissa ad similitudinem judiciorum esse redacta & ad finiendas lites perti-
6 nere *l.* 1. *ubi gloss. & Dd. ff. de recept. qui arbitr. recep.* † Quod tamen ita declarare solent, ut, quia coram arbitro lis pendere negetur, exceptionem, quam vocant, litis pendentiæ non producat *arg. l. si quis*
7 *rem.* 30. *cum gloss. ibid. ff. eod.* † In quo rursus juri communi contrariam esse consuetudinem patriæ probavi ex sententia Ordinum

Gelriæ lata in comitiis Noviomag. *an.* 1538. *in Adversar. meis ad*
8 *consuetud. Gelr. tractat.* 4. §. 5. † Quodcunque autem arbitri vel compromissarii ex compromisso partium pronunciaverint Latinè dicetur *sententia* vel etiam *arbitrium*, vocabulo barbaro apud Doctores *Laudum* Coras. *dict. cap.* 18. *num.* 8, item *arbitramentum*, uti placuit Borell. *tractat. de compromiss.*

ART. 1.

WAnneer partijen hare saeck gecompromittiert hebben, soo sullen sy binnen tijde by compromis bestemdt oir bedingh und bewijs inbrenghen, of soo sy des in ghebreecke bleven, sullen de compromissarien macht hebben den onwilligen ofte versuymendē daer toe sekere tijdt te prescribiren, und sullen dien volgents, soo eenighe partije daer en boven sijn schijn und bescheidt ter goeder tijdt niet in en brochte, die compromissarien moghen wiesen und erkennen op t' gene sy ontfangen hebben.

ART. 1.

INito inter partes compromisso de controversia sua, exhibebunt eædem intra tempus ibidem præstitutum sua postulata probationesque. Quod si non faciunt, datur compromissariis potestas tergiversantibus aut negligentibus certum ad hoc tempus definiendi: Cui etiam si non pareatur ulteriusque à partium aliqua differatur prædicta exhibitio, pronunciare licebit compromissariis super eo quod acceperunt.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Verbum* partijen *ad habiles tantùm extendi.*
2. *Enumerantur plerique qui compromittere non possunt, & quatenus.*
3. *Mulier conjugata non rectè compromittit absque consensu mariti, nec tutor de re pupilli immobili absque autoritate magistratus.*
4. *Utile esse ut mulier non conjugata ad eum finem adhibeat curatorem.*

5. *Volentes non coactos compromittere oportet.*
6. *In habilem debere compromitti.*
7. *In fœminam illustrem moribus posse compromitti.*
8. *In infamem non rectè compromitti, & quare.*

WAnneer partijen &c.) † Ut in l. 1. C. de sacrosanct. eccles. vox *unusquisque*, quamvis indefinita ad eos quibus facere licet testamenta restringitur: ita eodem modo generalis enunciatio in verbo *partijen* ad habiles tantùm applicatur. Quales sunt omnes illi qui agere & conveniri possunt, exclusis his qui personam standi in judicio non habent, aut eo nomine habent quo non tenentur. † Unde nec de-
2 mens, nec infans, nec pupillus sine tutoris autoritate *l. si pupillus. 35. ff. de recept. qui arbitr.* nec mulier alieno nomine *l. Non distinguemus. 32. §. 2. ff. eod.* nec procurator sine speciali mandato *cap. per tuas. 9. de arbitr. l. Mandato. 60. ff. de procurator.* Boer. *decis. 283. num. 16. & 17.* legitimè compromittere possunt. vid. Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 3. tractat. de arbitr. art. 1. gloss. 1. num. 2. & gloss. 2. num. 3.* Petr. Gregor. Tholosan. *syntagm. jur. univers. lib. 47. cap. 39. num. 13.* Argentræ. *ad consue-*
3 *tud. Britan. tit. des justices. art. 18. not. 2. num. 2. & 3.* ‡ In quo circa tutorem pupilli sui ac mulierem proprio nomine compromittentem monendi sumus, nec hanc si conjugata sit, absque mariti autoritate, in cujus potestate ac cura moribus constituitur, nec illum de re pupillari immobili nisi cum decreto magistratus, utpote quod alienationem sapiat *arg. art. 6. infr. cap. 29. consuetud. Velav. l. si minor. 34. §. 1. ff. de minor. ubi Mornac.* Bald. *ad l. 2. C. si advers. transact.* Alexand. *cons. 32. vol. 2.* rectè in compromissum ire. adde Louet *in arrest. lit. C.*
4 *§. 4.* † Imò utile fore ac litibus ansam præcidere, ut justæ ætatis & nullo matrimonii vinculo illigata fœmina tali casu etiam adhibeat curatorem, quem *mundiburdum* vulgò dicimus, de quo *in addit. meis ad tractat. Fredr. Sand. de Effestucat. cap. 4. ad verb. Porrò si alienare.* † Sed & quicunque compromittunt volentes id faciant oportet, quia neminem ad hoc cogi posse pridem judicatum refert Lud. Charond. *in*

respons. jur. Gall. lib. 4. cap. 3. Papon. *in arrest. lib. 6. tit. 3. in append. arrest. 3.* & accedit eleganter Argentræ. *ad consuetud. Britan. dict. art. 18. not. 2. num. 4.*
6 † Porrò quemadmodum à quolibet modò habili, ita in quemlibet similiter habilem compromitti jura permittunt. Circa cujus inspectionem breviter remitto *ad text. l. 3. §. fin. l. 4. l. 5. l. 6. l. 7. l. 9. l. 32. §. 4. l. 41. l. 51. ff. de recept. qui arbitr. recep. item l. ult. C. eod. junct. Rebuff. dict. tractat. de arbitr. art. 1. gloss. 2. num. 4. & 5.* Hieron. Treutler. *vol. 1. disp. 12. thes. 6. cum allegat. ibid.* Petr. Gregor. Tholosan. *in syntagm. jur. dict. lib. 47. cap. 39. num. 23.*
7 † Quibus locis cum inter habiles ignominia notatus, inter inhabiles verò mulier annumeretur, operæ pretium est dicere, utrumque moribus dubium videri. Nam & fœminam illustrem, cui in suos jurisdictio ordinaria competit ex approbata consuetudine posse rectè arbitrio fungi contra jus civile respondit pontifex *in cap. Dilecti. 4. ubi gloss. extr. de arbitr.* latè & eleganter Mornac. *ad l. ult. C. de recept. arbitr.* quamvis etiam contrarium judicatum referat Ludovic. Charond. *in respons. jur. Gall. lib. 13. cap. 34.*
8 † Neque quisquam nostratium æquo animo tulerit, si cum infami compositus alicujus controversiæ arbiter assumatur. Utcumque enim liberum sit quemcunque causæ suæ judicem eligere, interest tamen hoc præcipuè analogum judicii ex consuetudine ab hominibus honestis peragi, hoc quidem magis quod tum advocati *l. 1. ff. de postuland.* tum procuratores ignominiosi esse prohibentur, *supr. cap. 16. art. 6.* ubi dixi *in gloss.* Idem sentire visus est Anton. Mornac. *in observat. ad d. l. Pedius. 7. ff. de recept. qui arbitr. recep.*

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Causas civiles & criminales, modò civiliter intententur, rectè compromitti,*
2. *Non tamen matrimoniales,*

3. *Nec*

3. *Nec causas status ac proinde nec adscriptitiorum nostrorum, qui* hofhoirige,
4. *Ut nec injuriarum & feudales.*
5. *Remittitur super causis jam exceptis.*
6. *De re judicata & ea quæ ex conventione partium paratam habet executionem non rectè compromitti:*
7. *Fallit si utrique renunciatum sit.*

1 H*Aere saecke gecompromitteert hebben)* † Causæ compromitti possunt civiles, itemque criminales si civiliter intententur *not. gloss. in l. Non distinguemus.* 32. §. *Julianus.* 6. *ff. de recept. qui arbitr.* Math. de Afflict. *decis. Neapolitan.* 84. *num.* 2. *&* 3. *Cæs. Ursill. ibid. in annotat. num.* 4. Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat. de arbitr. art.* 1. *gloss.* 2. *num.* 6.
2 paucis tamen hinc exceptis. † Inter quas habemus matrimoniales, non solùm ob textum ad hoc citari solitum *in cap. Accedentibus.* 12. *de excess. prælator.* sed etiam quod earum cognitio, utpote magni præjudicii, specialiter ex edicto Ordinum Gelriæ reservetur curiæ provin-
3 ciali: † Item causas status *d. l. Non distinguemus.* §. *de liberali.* 7. *ff. de recept. qui arbitr. cum gloss. ibid.* sub quibus adscriptitios nostros, vulgò *hofhoirige* & quæ ab iis servilis conditionis possidentur prædia comprehendere libet, prædictæ curiæ jurisdictioni quoque seposita, *facit Or-*
4 *dinat. Cancellariæ Gelr. art.* 10. † adde injuriarum & feudales, quarum illas ut famosas à compromisso removet *text. in d.* §. *Julianus.* Cæs. Ursill. *in annotat. ad Math. de Afflict. decis.* 46. *num.* 16. *& decis.* 84. *num.* 4. *per citat. ibid.* Quibus convenienter (ut utar verbis Joan. Sand. *decis. cur. Fris. lib.* 5. *tit.* 8. *definit.* 6.) *Curia Frisiæ arbitrium in causa injuriarum prolatum pronunciavit esse nullum, reservato partibus suo jure in nova instantia.* Quod ad feudales controversias attinet, easdem simili jure censeri abundè firmavi *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat.* 3. *cap.* 11.
5 *num.* 4. 5. 6. *&* 7. quò lectorem remitto, † ac simul circa omnes hos casus exceptos ad Bartol. *cum addit. in d. l. Non distinguemus.* §. 6. *&* 7. *ff. de recept. qui arbitr.* & inprimis Argentræ. *ad consuetud. Britan. dict.*

art. 18.

art. 18. *not.* 3. *num.* 3. 4. 5. & 6. à quo commune quaſi hoc obſervandum hic axioma : De quacunque re privata ac ſolius intereſſe compromittentis , nequaquam verò de publica cauſa compromitti
6 poſse. † Quid autem dicemus de re judicata ac, quæ huic comparatur, ut alibi tractavi, tranſacta in inſtrumento guarentigiato, vulgò *Verwillekeuring van parate executie*? Neutram, utpote jam liquidam, rectè compromitti juris ratio poſtulat : ſiquidem non differendarum ſed tollendarum litium cauſa compromiſsarios adiri *l. Poſt rem.* 11. *ff. de tranſact, l. Eleganter.* 23. §. 1. *ff. de condict. indeb. l. ſi cauſa.* 32. *C. de tranſact. cap.*
7 *expoſita.* 11. *extr. de arbitr.* Joan. Petr. Surd. *decis.* 185. *per tot.* † Quod tamen moderari convenit eatenus, ſi vel rei judicatæ vel contentis in inſtrumento guarentigiato diſertè à partibus renunciatum ſit, cum ex principiis vulgatis quilibet jus ſuum liberè remittere queat Surd. *dict. decis.* 185. *num.* 12. 18. Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 2. *num.* 13. & 14. ubi huic convenire legem regiam Hiſpaniæ oſtendit.

Gloſſa III.

SUMMARIA.

1. *Coram arbitris in ſcriptis vel ſine ſcriptis procedi prout inter partes convenerit.*
2. *Juris ordo rectè omittitur, quando ita in compromiſſo conventum eſt, & quare.*

1 O*Ir bedingh und bewijs inbrengen*) † Notum eſt *ex authent. offeratur. C. de litis conteſtat. ubi Bart. & Dd. communiter*, in omni judicio ordinario requiri libellum in ſcriptis , hocque eſse, ut loquuntur, de ſubſtantia. Simile quiddam videntur hic innuere verba textus quoad proceſsum coram arbitris ſive compromiſſariis, dum ad tempus in compromiſſo præſtitutum partium utrimque poſtulata cum probationibus apud eoſdem inferri jubent. Poſse tamen eidem renunciari ac

ac ex consensu partium absque scriptura procedi coram arbitris usus pridem docuit ac juris ratio quoque permittit, juxta tradita per Bartol. *in dict. authent. Offeratur. num.* 14. & 15. quem sequitur Panorm. *in cap.* 1. *de libell. oblat. num.* 11. firmando ibidem hanc opinionem *ex text. l. Diem proferre.* 27. §. *si quis litigatorum.* 4. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* † Nam vel uno vel utroque etiam absente sententia promitur,
2 adeòque juris ordo rectè omittitur, si scilicet in compromisso hoc specialiter expressum sit, ut habet *d.* §. *si quis litigatorum.* Habent quippe arbitri cognoscendi potestatem ab ipsis partibus, quæ quem volunt procedendi ordinem ac formam ex communi consensu præscribere possunt, ita dict. Bart. & Panorm. *locis citat.* quibus addatur Alexand. Trentacinq. *variar. resolut. lib.* 2. *tit. de judic. resolut.* 14. *num.* 5.

Glossa IV.

SUMMARIA.

1. *Similes consuetud.*
2. *Cautè à Reformatoribus dari potestatem arbitris præfigendi tempus compromittentibus quo edant instruenda causæ necessaria, & quare,*
3. *Tempus præfixum non currere nisi à die quo à compromissariis compromissum fuit acceptatum.*
4. *Non ut alibi jure Velavico ita & hic contumaciam rei amissione causæ puniri.*
5. *Compromissarios malitiosè procrastinantes de dolo conveniri.*
6. *Morte solvi compromissum nisi in eo heredis sit facta mentio,*
7. *An, quando & quatenus ab arbitris prorogari possit terminus in compromisso expressus, remissivè.*

1 OF *soo sy des in ghebreck bleven &c.*) † Huic per omnia similis est §. 5. *art.* 2. *tit.* 16. *part.* 5. consuetud. tetrarch. Ruremund. & §. 3.

2 *item. 4. tit. 18. part. 1.* Transisulan. † Atque fuit hæc inprimis cautio necessaria, ne absque ea, si fortè in compromisso ista arbitris non esset data potestas, in dubium vocaretur quid alterutro litigantium tergiversante agendum haberent. Pendent namque omninò ab ipso compromisso, nec aliud illis licet, quàm quod ibi, ut efficere possint, cautum est, *ut est text. notabilis in l. Non distinguemus. 32. §. De officio. 15. ff. de recept. qui arbitr. recep.* Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit. des justices art. 19. num. 3.* Elbert. Leonin. Gelr. quondam Cancellarius *cons. 26. num. 6.* ubi dicit compromissum esse strictè interpretandum, cum singulari tamen limitatione *eod. consil. num. 27. & 28.* ut nihilominus ad cohærentia & connexa extendi queat *gloss. in cap. dilectus. de arbitr.* sub quibus non incommodè alioquin comprehendatur hæc facultas statuendi terminum compromittentibus intra quem edant
3 quæ ad causæ instructionem necessaria putaverint. † Qui quidem non currit nisi à die quo à compromissariis compromissum fuit acceptatum, ut tractant Bald. *in l. Quid tamen. 21. §. 5. si cum dies. ff. de recept. qui arbitr.* Marant. *spec. aur. part. 4. distinct. 14. num. 7.* Boer. *decis. 283.* quos cum aliis citatis sequitur Joan. Parlador. *rer. quotidian.*
4 *lib. 2. cap. fin. part. 1. §. 3. num. 19. & 20.* † Nec hic, ut aliàs jure Velavico, de quo suprà *ad cap. 9. art. 3.* rei contumacia amissione causæ punitur, dum compromissariis solùm in pœnam tergiversantis conceditur licentia cognoscendi super eo quod acceperunt, in verbis, *erkennen op t'gene sy ontfanghen hebben*, sitque tritum, in odiosis non facilè admitti extensionem *cap. Odia. de reg. jur. in 6.* Quod Saxonum moribus quoque servari & judicari meminit Benedict. Carpzov. *ad con-*
5 *stitut. Saxon. part. 1. constitut. 9. definit. 21.* † Sed si iidem compromissarii malitiosè procrastinarint, quò dies compromisso statutus elabatur, de dolo adversus eos jure agi poterit *arg. l. si mensor. ff. si mensor falsum modum dixerit. & l. si quis arbitratu. 43. & ibi Dd ff. de verb. obli-*
6 *gat.* ita prædict. Parlador. *dict. loc. num. 18.* † Et si heredis mentio vel cæterorum facta in compromisso non fuerit morte solvetur, ita Ulpian. *in l. Diem proferre. 27. §. 1. ff. de recept. qui arbitr. recep.* ad

cujus

cujus intellectum videatur Hartman. Pistor. *observat. singular. cap.* 100.
7 † De quæstione porrò, an, quando, & quatenus terminus in compromisso expressus prorogari possit ab arbitris vidend. Lanfranc. de Orian. *tractat. de arbitr. & compromiss. part.* 2. *principal. à num.* 46. *cum seqq. usque ad* 54. & accuratè Boer. *dict. decis.* 283. *ac num. præsertim* 25. *cum mult. sequentib.*

ART. 2.

ALs de compromissarien bereit sijn een uytspraecke te doen, sullen sy voor eerst beide partijen op eenen seeckeren dach verschriven of verwittighen, om de uytspraeck aen te hooren, met de clausul: sy quamen of quamen niet, dat d'uytspraeck niet des te weinigher oiren voortganck gewinnen sol.

ART. 2.

COmpromissarii parati ad pronunciandum primò omnium per literas ad certum diem convocabunt utramque partem audiendæ sententiæ gratia, cum clausula: seu venerint seu emanserint non eo minus forè ut sententia dicatur.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Quid si suscepto arbitrio tergiversentur aut recusent arbitri laudum proferre, ubi plene:*
2. *Illustratur magis ex adducto loco Ulpiani.*
3. *Esse causas ob quas arbitri recusantes excusari debeant, quæ enarrantur.*
4. *Plurium arbitrorum uno absente prolatam sententiam nullam esse, nisi idem absens moram faciens non solùm interpellatus sed legitimè coactus sit.*
5. *Quando contumacia dicatur haberi pro præsentia:*
6. *Nullitatem laudi uno arbitrorum absente prolati ne quidem examen omnibus præsentibus factum aut alteri commissa opinio tollit.*

1 *ALs de compromissarien bereit sijn een uytspraecke te doen.*) † Quid si suscepto arbitrio tergiversentur aut recusent laudum proferre? Equidem cum juris ratio dictet, suscipere ab initio esse voluntatis, consummare verò necessitatis *l. In commodato.* 17. §. 3. *ff. commodati. l. sicut initio.* 5. *C. de obligat. & actionib.* haud dubium est, quin alterutra partium id petente cogi ab officiali, & quidem indicta mulcta, possint & debeant. Ita definit Reformat. Zutphan. *tit.* 9. §. 6. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 16. §. 5. *art.* 1. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 18. §. 2. quibus adde Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 3. *tractat. de arbitr. art.* 1. *gloss.* 5. *num.* 6. & 7. Joan. Papon. *lib.* 6. *tit.* 3. *arrest.* 3. ubi adducit judicatum curiæ Parisiensis, Georg. Louet. *in arrest. lit. c.* §. 3. ubi unum ex tribus arbitris subscribere recusantem quod conclusum ferebatur, quia fortè causabatur se non ita, uti conceptum erat laudum, sensisse sententiâ ejusdem curiæ Parisiensis ad subscribendum condemnatum fuisse refert, ac eodem ulterius renitente decretum, duorum subscriptionem parem vim habituram ac si à tribus subscriptum esset. Ber-
2 nard. Wurmser. *practic. observat. tit.* 2. *observat.* 5. † Et quamvis hæc sic satis plana sint, non tamen temperare mihi possum, quin illustrandi gratia, propter summam elegantiam, addam locum Ulpiani *ex l.* 3. §. 1. *ff. de recept. qui arbitr. Tametsi* (inquit) *neminem prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & soluta est & extra necessitatem jurisdictionis posita: attamen ubi semel quis in se receperit arbitrium ad curam & sollicitudinem suam hanc rem pertinere prætor putat, non tantùm quod studeret lites finiri, verùm quoniam non deberent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim post casum jam semel atque iterum tractatum, post nudata utriusque intima, & secreta negotii aperta, arbitrum vel gratiæ dantem, vel sordibus corruptum, vel alia qua ex causa nolle sententiam dicere, quisquamne potest negare, æquissimum fore, prætorem interponere*
3 *se debuisse, ut officium quod in se recepit impleret?* Hactenus Ulpianus, † quo rursum autore scire tamen interest, esse causas quibus habita cognitione ab implendo officio semel suscepto vel in perpetuum vel ad tempus jure excusari debeat compromissarius: Ut si à litigatoribus fuerit

fuerit infamatus, hoc est, contumeliis affectus, si inimicitiæ capitales inter eum & litigatores aut alterum ex litigatoribus intercesserint: Neque minus ætas, valetudo, propriorum negociorum occupatio, profectio urgens, munus aliquod reipublicæ, & hujus generis similia incommoda idem præstabunt *text. in l. Licet.* 15. & 16. *seq. ff. de recept. qui arbitr. junct. l. Item si res.* 4. §. *si quis autem ob valetudinem.* 3. *ff. de alienat. judic. mutand. caus. fact. l. si mandavero.* 22. §. *fin. cum trib. legib. sequentib. ff. Mandati. l. Idemque.* 16. *ff. Pro socio.* Quò etiam videntur respexisse compilatores legum tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 16. §. 5. *art.* 1. *in fin.* adde quæ tractavi *suprà cap.* 16. *art.* 14. *gloss.* 1. *vers. vult*
4 *autem &c.* † Ex quo consequenter deduco plurium arbitrorum, uno absente, sententiam nullam habituram efficaciam, si idem absens reluctans fortè aut moram faciens, solùm fuerit interpellatus vel citatus, non item, ut decet, legitimè coactus. Firmat etiam *textus in l. Duo.* 39. *ff. de re judicat. l. Item si unus.* 17. §. *Celsus. ult. cum l. seq. ff. de recept. qui arbitr. Potuit enim* (ut inquit ibi jurisconsultus) *præsentia ejus*
5 *cæteros in suam sententiam trahere.* † Neque hic obstat quod dici solet, contumaciam haberi pro præsentia, ut est *in authent. Qua in provincia. C. Vbi de crimin. agi oport.* siquidem id verum est, si agatur de præjudicio contumacis non alterius, cui iniquum sit alienam contumaciam nocere. eleganter Anton. Faber. *in Cod. Sabaud. lib.* 2. *tit.* 38. *definit.* 3. quem sequitur & judicato Scabinatus Lipsiensis confirmat Benedict. Carpzov. *ad constitut. Saxon. part.* 1. *constitut.* 1. *definit.* 14.
6 † Atque adeò quidem ex communi Doctorum sensu *in d. l. Duo. ff. de re judicat.* nulla erit uno absente arbitrorum hæc sententia, ut ne quidem omnibus præsentibus habitum examen causæ, vel ab absente alteri sua commissa opinio hunc defectum suppleat, sive ea sit definitiva sive interlocutoria vim definitivæ habens, prout utroque casu judicatum refert in supremo concilio Mechlinensi Paul. Christin. *decis Cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 144. *num.* 2. & 3.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Arbitrum partibus absentibus non citatis suum non posse proferre arbitrium.*
2. *Fallit si aliter in compromisso convenerit.*
3. *Fallit similiter si compromissum ad certum tempus sit restrictum ac istius temporis ultimus dies venerit.*
4. *Ratio clausulæ comminatoriæ quæ in textu.*
5. *Rectè hic usos esse Reformatores verbis,* verschriven of verwittigen, *quod declaratur, cum aliis.*

SVllen sy voor eerst beide partijen op eenen seeckeren dach verscriven of verwit-
1 *tigen*) † Hoc statuto, cui consonat jus Transisulan. *part.* 1. *tit.* 8. §. 6. tollitur illa Doctorum controversia, quam Zasius *in l. si quis arbitratu.* 43. *ff. de verb. obligat. num.* 33. multùm dubitabilem & arduam dicit, an arbiter definire possit arbitrium suum partibus absentibus & non citatis. Et non posse, ut hic etiam in textu, cum Barrol. in *d. l.* ac multis eundem sequentibus satis latè opinatur idem Zasius, ea potissimùm ratione juri naturæ congruente, quæ sumpta est ex *l. Nam & ita divus.* 39. *ff. de adopt.* quod nihil faciendum sit in quo alter lædi possit, quin ad hoc vocetur. Eandem opinionem communem, item veriorem æquioremque esse ac in praxi observari dicit Hieron. de Cævallos *spec. aur. opin. commun. contra commun. quæst.* 322. Vid. de mater.
2 Boer. *decis.* 283. *num.* 34. *cum aliquot sequentibus.* † Sed cum quilibet renunciare queat ei quod in favorem suum introductum est *l. pactum.* 46. *ff. de pact. l. Si quis.* 29. *C. eod. cum similib.* fallet quod hoc loco de citandis partibus statuitur, si ita ab initio inter easdem in compromisso convenerit, ut nulla prævia citatione in scriptis proferatur arbitrium *text. in l. Diem proferre.* 27. §. *si quis litigatorum.* 4. *ff. de recept. qui arbitr.*
3 *recep. Zas. dict. loc.* † Ut & similiter fallet ex ejusdem Zasij mente (cujus hic potius quàm meis verbis utar) *si compromissum sit temporale ad certum tempus præfinitum, & totum tempus abierit, excepta ultima die, ista ultima die si arbitrator*

arbitrator definiet, non est opus vocare partes, quia ipsum tempus, ultimus dies qui instat, vocat partes: sciunt enim quod debent comparere. ita est text. & quæ ibi per Bart. in l. 2. post medium, in verbo, notus omnibus dies fatalis, id est, ultimus dies C. de tempor. & reparat. appellat.
4 † Ex quo etiam quodammodo sua constat ratio clausulæ, ut ita dicam, comminatoriæ ab arbitris in partium citatione adjiciendæ per hunc text.
5 ‡ Quoniam porrò arbitri nullam jurisdictionem, sed solùm notionem habent, ut postea tractabitur, rectè usi sunt Reformatores verbis *verscriven of verwittigen*, pro *voorbaden of citeren*, quæ arguunt jurisdictionem; quamvis alicubi *in art. 4. cap. 33. infr.* hujus tam accuratam non habuerint rationem, quo nomine notantur à Fredric. Sand. *ad consuetud. feudal. Gelr. tractat. 3. cap. 1. §. 3. num. 8.* Nos quod passim abusi simus verbo citationis excusabimur exemplo Zasii & interpretum cum eo citatorum, intelligendo tamen simplicem illam denunciationem &, ut vocant, certiorationem, quam innuit textus hujus art.

ART. 3.

ALle wtspraecken van compromissarien gedaen wt cracht van gerichtlicke of ongerichtlicke compromissen, sy sijn verpeent of niet, sullen van gelijcke weerden geholdē werden als sententien definitive, die by den gerichte wtgesprae cken und in haer kraft gegaen sijn, sonder daer van eenighe appellatie ofte reductie te mogen geschieden, Dan d' officier sal op versouck van partijen schuldich wesen dieselve wtspraeck ter plaetsen daer 't gebeurt onweigerlick te executiren, met aenherung aent gerede, und met de leste ruimung und inherung aen den erfgront.

ART. 3.

SEntentiæ omnes compromissariorum ex compromissis seu judicialibus seu extrajudicialibus, pœnave aliqua munitis aut nulla, dictæ eandem habebunt vim cum sententiis definitivis, quæ à judicio latæ sunt ac in rem judicatam iverunt, nulla ab iisdem vel appellatione vel reductione admissa. Tenebiturque officialis à partibus requisitus absque mora eandem sententiam loco debito executioni mandare, addictione scilicet dominii rei mobilis, & novissima evacuatione ac missione in rem immobilem.

Glossa I.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *De effectu sententiæ arbitralis,*
2. *Ejusdem temperamentum in eo quando vel contra jus legis aut ex sordibus lata est.*

1 † DE vi & effectu sententiæ arbitralis vel laudi nunc agitur, in quo omninò similis est consuetudo Transisulan. *part.* 1. *tit.* 18. *art.* 7. ac generaliter eòdem referri potest illud Ulpiani: *Stari debet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, sive æqua sive iniqua sit, & sibi imputet, qui compromisit. nam & Divi Pii rescripto adiicitur: vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet l. Diem proferre* 27. §. *stari.* 2. *ff. de recept. qui arbitr. junct. l. societatem.* 76. *ff. pro soc.*
2 † Quod tamen effatum meritò temperatur, nisi eadem sententia sit lata contra jus legis aut constitutionis ac proinde nulla *l.* 2. *C. quando provoc. non est necesse l. Apud celsum.* 4. §. *item quæritur.* 3. *ff. de dol. mal. & met. except.* Imol. *in l. Filiusfamilias. ff. de donat.* Vel si evidens gratia aut sordes eorum qui arbitrati sunt arguantur *l.* 3. *C. de recept. arbitr.* prout eleganter utrobique *ad d. l. Diem proferre. & l. societatem. modò citatas* tractat Petr. Costal. *in suis Adversar.*

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Varietas juris communis circa vim & autoritatem sententiæ arbitralis.*
2. *Moribus Gelriæ omnibus compromissis, sive pœna adiiciatur sive non, eandem tribui autoritatem. confirmatur à jure Hispanico & generali quadam consuetudine,*

3. Item

3. *Item à jure Canonico, differente hac in parte à jure civili.*

4. *Si pœna compromisso addita partim litigantibus partim fisco sit destinata, an nullo partium petente officialis eandem exigere queat, si paritum non sit? plenè tractatur.*

1 S*T sijn verpeent of niet)* ‡ Variat in hoc passu jurisprudentia communis. Veteri namque jure vim judicati nequaquam obtinebat arbitrorum sententia, sed eidem solùm parebatur metu pœnæ in compromisso adjectæ vel præstandi quanti intererat conventum servari *l. Ex compromisso.* 2. *l. Diem proferre.* 27. §. *ult. ff. de recept. qui arbitr. recep.* A quo recessit Imperator Justinianus, dum actionem exceptionemque tribuit ex eadem arbitrorum sententiâ, modò vel ipsi arbitri petentibus litigatoribus se religiosè judicaturos jurassent, vel iidem litigatores sententiæ se staturos similiter fecissent, aut denique eandem subscriptione vel silentio decem dierum comprobassent *l.* 4. 5. *C. eod.* Quem tamen periculum periurii postea movit ut hoc quicquid est de jurejurando abrogaretur, quod indicat *authent. Decernit. C. eod. & unde eadem desumpta Novell. de judicib.* 82. *cap. Quia verò.* 11. Atque hoc
2 textui huic illustrando breviter suffecerit, ‡ ex quo convenienter ad communes Gelriæ mores eadem asseritur autoritas omnibus passim compromissis, sive pœnæ stipulatione muniantur sive non. Cui simile jus Hispanicum tradit Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin.* §. 2. *num.* 10. ac in communem quodammodo migravit consuetudinem, sicuti innuere videtur Mornac. *ad dict. authent. Decernit.* dum inquit: *quamvis nec me fugiat compromissum hodie haud propterea*
3 *esse inane ac irritum ob pœnę omissionem.* † Confirmatur præterea juris canonici sanctione *per text. in cap. Non sine.* 2. *& cap. Per tuas.* 9. *extr. de arbitr.* quæ differentiarum una est, quam inter jus civile & canonicum rectè notat Masuer. *in sua praxi tit.* 7. *de arbitr. num.* 3. & videntur facere quæ tractat Argentræ. *ad consuetud. Britan. tit. des justices. art.* 19. *num.* 2.
4 † Sed pulchrè quæritur, an nullo partium petente,

casû quo laudo prolato non pareatur, pœna compromisso addita partim litigantibus partim Fisco, quod fieri aliquando solet, destinata ab officiali exigi queat? Et cum ad hoc inventæ sunt obligationes vel stipulationes ut quisque sibi quod sua interest non alteri acquirat *juxta §. alteri. 18. Institut. de inutil. stipulat.* dubitari potest circa affirmativam decisionem, accedente præsertim *textu in l. Arbiter intra certum diem. 42. ff. de recept. qui arbitr. recep.* quam tamen optimè firmat *textus in l. 1. verb. pœnam Fisco ex contractu privato deberi. ff. de jure fisci. ubi Bart. num. 13. & in l. Ex quibusdam. 2. §. Senatus. num. 1. cum addit. Alex. ff. eod.* quos sequitur Cæs. Ursill. *in annotat. ad Math. de Afflict. decis. 3. num. 3. 4. cum seq.* Qui quidem quod propter prædictas contrarias allegationes, evitandæ antinomiæ gratia, non aliter hanc doctrinam admittunt, quàm si personæ publicæ fisci nomine stipulanti promittatur, nescio an moribus nostris usque adeò præcisè recipitur, quibus præterea omnes ferè contractus stipulationes censentur, non habita ratione solennitatis verborum, quibus eædem à jure civili concipi præcipiuntur, uti notavi *in Adversar. meis ad consuetud. Gelr. tractat. 4. §. 25.* adductâ ibid. autoritate Pyrrh. Angelberm. *ad consuetud. Aurelian. tit. 12. cap. 4. in fin.*

Glossa III.

SUMMARIA.

1. *Definitivæ sententiæ similis sententia arbitrorum, imò eâdem efficacior. & quanam dicatur definitiva.*
2. *Confirmatur judicato delegatorum Ordinum Gelriæ.*
3. *Ex laudo arbitrorum dari pignorationem, deque efficacia illius quam consuetudo tribuit.*
4. *Litem pendere coram arbitris ex consuetudine patria, contrà quam jure communi.*

SUllen van gelijcke weerde ghehoIden werden als sententien definitive &c.)
1 † Definitiva sententia secundum vulgatam pragmaticorum opinionem

nem *ex l. 1. ff. de re judicat.* dicitur ea quæ pronunciatione judicis vel absolvendo vel condemnando finem controversiæ imponit. Huic assimilatur laudum seu sententia arbitri ex compromisso lata, ita tamen ut non paulò efficacior sit nullâ admissâ appellatione, uti mox in textu sequitur, qua sæpè sententia quamvis definitiva suspenditur. † Et hoc videntur innuere Ordines Gelriæ latâ sententiâ in comitiis Noviomagensibus *an.* 1538. inter Ottonem de Vueren & Hugonem Arnoldi, ubi inter cætera: *Erkennen ende claeren als dat Ott voorß. den opgemelten Huge Artß. vanstondt aen sal stellen setten und komen laeten int ghebruick der voorß. vierden halven merghen lants mit restitutie ende vergueding des ghebruicks naest date der uytspraecke und compromiß voorß. gevallen.* id est, *judicamus ac declaramus prædictum Ottonem debere extemplò præmemoratum Hugonem Arnoldi restituere in possessionem prædictorum trium jugerum terræ cum dimidio, cum restitutione fructuum à tempore sententiæ & compromissi.* † Cui assidet quod ex ejusmodi laudo, qualiter post rem judicatam, continuò detur progressus ad pignorationem, vulgò *peindinge*, uti patet ex præmissis sententiæ eodem anno latæ inter Iacobum Pieck Toparcham in Isendoorn cum consorte Henrico ab Erp & Gisbertum à Doorn præfectum in Beest, adde consuetud. Ruremund. *part. 5. tit.* 16. §. 5. *art.* 4. Sic moribus magis quàm civili jure tanquam universaliter verum asseretur illud: vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debere eum qui compromisit, quod Divi Pii rescripto adjici testatur Ulpianus *in l. Diem proferre. 27. §. Stari. ff. de recept. qui arbitr.* ac tantò magis compromissa nostra imitari judicium & ad ejus similitudinem redigi, quantò proclivius hic rei judicatæ autoritas iisdem accomodatur, † pariterque coram arbitris contra communes juris regulas litem pendere haud obscurè præsupponitur ab iisdem Ordinibus in alia quadam sententia *ejusdem anni* 1538. uti notavi supra ad rubric. hujus tit. num 7. ex adversar. meis ad consuetud. Gelr.

Glossa IV.

SUMMARIA.

1. *Simile statutum Mediolani.*
2. *Appellationem & reductionem ut diversam hic poni, attamen juris effectu eandem esse.*
3. *Declaratur quare hic specialiter removeatur omnis appellatio, cum tamen eadem jure vulgato nec admittatur ab arbitris.*
4. *Appellationem reductionemque nihilominus permitti ex enormi læsione,*
5. *Quod & tum locum habet, etiamsi eidem renunciaverint partes.*
6. *Enormis læsio quæ sit habenda arbitrio judicantium relinqui.*
7. *A quo petenda sit interpretatio dubii, si quod in laudo prolato reperiatur, & num. 8. 9. 10. ubi ex jure & moribus quid sentiendum quidve cavendum ostenditur.*

1 *SOnder daer van eenige appellatie ofte reductie te mogen geschieden)* † Præter consuetudinem Transisulaniæ de qua *suprà gloss.* 1. simile huic est statutum Mediolanense *part.* 1. *cap.* 19. ubi vid. Horat. Carpan.
2 † Et quamvis appellatio & reductio ut diversa hoc loco ponantur, quo ad effectum juris tamen in idem recidunt, utpote quod eadem reductio habeatur species quædam appellandi, qua liceat retractare de sententia arbitri, ut est *in l. Non distinguemus.* 32. §. *Cum quidam.* 14. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* Math. de Afflict. *decis. Neapolitan.* 51.
3 *num.* 2. † Nec supervacua hîc videri debet remotio omnis appellationis, quia etiam vulgato jure non concedatur ab arbitris ulla appellatio *dict. l. Non distinguemus.* §. 14. *& l.* 1. *C. eod. de recept. arbitr.* Siquidem unâ operâ occurritur dubio quod moveri possit à similitudine rei

rei judicatæ arbitrorum laudo ex consuetudine aptata, quæ ex mente Bart. Bald. & Paul. Castr. *in d. l.* 1. & Socin. *reg.* 17. appellationem post se necessariò trahit; ac penitus amputatur illa controversia, sit ne reductio arbitramenti petenda apud judicem arbitri qui illud protulit, an verò apud judicem litigatorum, de qua tractat Math. de Afflict.
4 *dict. decis.* 51. *& ibi Cæs. Vrsill.* Andr. Gail. 1. *obs.* 149. † Sed & scire interest prohibitionem hanc de non appellando aut reducendo utcunque indefinitam restringi, si quis enormiter læsus probetur. Neq; enim tale statutum intelligitur excludere hujusmodi auxilium contra laudum cui inest dolus aut inesse præsumitur ex iniqua definitione arbitri. Ita *per text. in d. l. Non distinguemus.* §. 14. *ff. de recept. qui arbitr. l. Arbitrorum.* 3. *C. eod.* Socin. jun. *cons.* 16. *num.* 11. Paul. Castr. *cons.* 70. *num.* 1. *lib.* 1. Bald. *in l. Cum antea. C. de recept. arbitr.* & alii quos sequitur Jacob. Cancer. *variar. resolut. part.* 1. *cap.* 21. *num.* 11. & ante hunc Andr. Gail. 1. *obs.* 150. *num.* 9. quem sequitur Paul. Christin.
5 *decis. cur. Belg. vol.* 2. *decis.* 143. *num.* 4. † Quod adeò quidem obtinet ut nequaquam impediatur, si partes reductioni renunciaverint & juraverint quibuscunque verbis & *in amplissima forma*, ut ait Elbert. Leonin. Gelr. Cancellar. *consil.* 76. *num.* 1. adducendo ibidem in hanc
6 sententiam aliquot primæ notæ Doctores. † Imò alicubi definitum reperitur arbitros dolo fraudeve malè judicantes suam facere litem ac per ordinarium judicem esse puniendos juxta tradita per Petr. Rebuff. *ad constitut. regias tractat. de arbitr. art.* 1. *gloss.* 7. *num.* 2. & 3.
7 † Quænam verò habenda sit enormis læsio satius est, si casus obtigerit, arbitrio judicantis remittere, quàm inter concertantium interpretum opiniones fluctuare, quomodo post varios à se citatos probare
8 visus est Menoch. *de arbitrar. jud. quæst. lib.* 2. *cas.* 73. *num.* 5. † Pro corollario porrò non inconvenienter hic inquirendum superest, à quo dubii, si quod fortè in laudo prolato occurrat, petenda sit interpretatio. Enimverò ad judicem, cui sententiæ arbitralis committitur executio, hanc sive declarationem sive interpretationem pertinere communiori calculo obtinuit, ob id quod arbitri post pronunciationem

 sint

sint functi officio nec magis quàm judices suam possint corrigere sententiam *l. Judex posteaquam. 55. ff. de re judicat. junct. l. Ab executore. 4. §. 1. ff. de appellat. l. 20. ff. de recept. qui arbitr. recep.* Panorm. *in cap. Cum olim. num. 1. extr. de arbitr. post Speculat.* Lanfranc. de Orian. *tra-
9 ctat. de arbitr. 5. membr. num. 37.* Schenck. *in viridar. cap. 1.* † Intellige autem nisi in ipso laudo facultatem declarandi vel interpretandi sibi reservassent, modò & hæc in compromisso à litigatoribus esset antea concessa juxta Bart. *in l. Quid tamen. 22. num. 2. ff. d. tit. de recept.* Lanfranc. de Oriano *dict. loc. & num.* Anton. Thessaur. *decis Pedemont.*
10 254. *num. 1. & 2.* † His tamen non obstantibus, moribus ac usu obtinere videtur, ut, sive declarandi potestatem sibi reservaverint sive non, oborta obscuritate laudi recurratur ad eosdem arbitros qui illud protulerunt, cum nemo alius eorum conscientiam rectius interpretari queat: quamvis consultius putarim, ob juris rationem suprà allatam, si non à partibus in compromisso, saltem ab iisdem arbitris in laudo semper reservari prædictam interpretandi declarandive facultatem, quomodo ut plurimùm servatur.

Glossa V.

SUMMARIA.

1. *Quare executio sententiæ arbitralis soli officiali commendetur.*
2. *Adducitur Bartoli aliorumque autoritas.*
3. *In compromisso non posse dari arbitris exequendi potestatem.*
4. *Sententiæ arbitralis executionem esse faciendam eo loci ubi vel mobilis vel immobilis res condemnati reperitur.*

1 DAn d' *officier sal op versueck van partijen schuldich wesen &c.)* † Dixi alicubi *art. 1. gloss. 4. & art. 2. gloss. 2. suprà* arbitrorum potestatem omninò

omninò circumscribi compromisso, nec ullam eos habere jurisdictionem, quam privati non tribuunt *l. Privatorum. 3. C. de jurisdictione*, sed solùm notionem sive cognitionem super controversia à litigatoribus ipsorum definitioni commissa. Ideòque rectè hoc loco Reformatores laudi vel sententiæ arbitralis executionem soli officiali assignant, cui cum territorio, quod à jure terrendi, id est, submovendi intra fines jurisdictionis suæ derivatur *l. Pupillus. 239. §. 8. ff. de verb. significat.* meri & mixti imperii exercitium, à quo sententiarum executionem procedere volunt. *l. jubere caveri. 4. ff. de jurisdict.* competit.

2 † Hoc antea animadvertit Bartol. *in l. Non ex omnibus. ff. de recept qui arbitr. recep. & in l. A Divo Pio. 15. §. sententiam Romæ. num. 7. ff. de re judicat.* ac latè & eleganter excellentissimi ingenii Bertand. Argentr.

3 *ad consuetud. Britan. tit. des justices art. 19. not. 1. num. 3. 4. & 5.* † Qui & *dict. tit. art. eod. not. 2. num. 3.* ut consequens prædictæ traditioni optimè docet, nihilo magis in compromisso hanc exequendi potestatem à compromittentibus posse dari arbitris in præjudicium ordinarii, ac huic contrariam opinionem Pet. Jacob. *in prax.* usum nulla-

4 tenus admittere. † Cæterùm verba textus, *ter plaetse daert gebeurt*, innuunt executionem sententiæ arbitralis esse faciendam eo loco ubi mobilis vel immobilis res condemnati sita est, quando in utramque dirigi solet, juxta ea quæ ibidem sequuntur; servato tamen ordine, de quo *supr. cap. 13. art. 3.* Et sic cessat disputatio utrumne hoc casu consideretur locus arbitrii, an verò forum rei conventi, de qua interpretes *in l. Cum antea. 5. C. de recept. arbitr.* Bart. *in dict. l. A Divo Pio. §. sententiam. num. 7. ff. de re judicat.* & post hunc Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib. 2. cap. fin. part. 1. §. 2. num. 26.*

Glossa VI.

SVMMARIA.

1. *Moribus nostris aliorumque relatis sententiam arbitri habere paratam executionem, contra jus commune.*

2. *Idem*

2. *Idem quomodo evincatur ex textu:*
3. *Declaratur & conciliatur cum iis quæ in contrarium jam antè videri possunt esse dicta.*

1 M*Et aenherung aent gerede, und met die laetste ruiming und inherung aen den erfgrondt)* † Differunt in hoc art. mores à jure communi, secundum quod, contrà quàm hic statuitur, sententia arbitri non habet paratam executionem, prout notat Bartol. *in l. societatem. §. arbitrorum. num.* 15. *ff pro soc.* Sed moribus nostris consonant cùm aliæ consuetudines tum leges Hispaniæ, de quibus præter Covarruv. *variar. resolut. lib.* 2. *cap.* 12. Roderic. Suarez. *ad leg. Post rem judicatam. ff. de re judicat. notab.* 7. §. *Est alius casus. & ibid. J. Valdes.* Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 2. *num.* 1.
2 † Utramque verò & addictionem rei mobilis, quæ hic *aenhering aent gerede*, & evacuationem novissimam, quæ *laetste ruiming*, esse speciem paratæ executionis colligitur
3 ex §. 24. *supr. cap.* 14. *cum iis quæ ibidem latè tractavi.* † Nec pugnat cum hoc textu quod paulò antè *hoc ipso art.* 3. *gloss.* 3. ex sententia Ordinum Gelriæ ac consuetudine tetrarchiæ Ruremundanæ probavi ex laudo arbitrorum dari pignorationem, vulgò *peinding*: Cum existimandum sit in arbitrio triumphantis esse, velit ne potius hoc genere paratæ executionis sibi consulere, quàm dicta pignoratione, quæ moribus magis præparatorium executionis, quàm ipsa realis executio habetur, ut dixi *suprà cap.* 11. *art.* 1. *gloss.* 2. *in fin. &* §. 6. *gloss. unic. in princip.* Ubicunque tamen in cæteris Gelriæ partibus non tam expressum, ut hic, extabit statutum, satius videbitur ex arbitrali, quam dixi, sententia, juxta mentem Ordinum prædictam, pignorationem magis quàm paratam executionem admittere, qualiter in rebus ab ordinario judicatis fieri consuevit, ut tantò minus recedatur à jure communi, ubi consuetudo vel analogum ejus deficit.

Dat

Dat XXIII. Cap.

Van appellatien ende claringhen aen Engellander holdt over wederspraecke Oordeelen, gelijck t'selve capittel op den Landt-dach in majo 1620. tot Nimegen is gheredresseert, ende by de Staten deses Furstendumbs ende Graffschaps geapprobeert.

Caput XXIII.

De appellationibus ac provocationibus ad sylvam Anglicam circa sententias quibus contradicitur, cum emendatione hujus capitis factâ in comitiis Noviomagensibus mense Majo an. 1620. ac ab Ordinibus hujus Ducatus & Comitatus approbatâ.

Ad rubricam Glossa.

SUMMARIA.

1. *De diversis remediis ex jure & moribus, quibus malè judicata emendantur.*
2. *Quatenus predictis remediis conveniant nostræ provocationes,*
3. *Quatenus eadem rursus ab illis differant, ac exolevisse usum* l 4. C. de tempor. & reparat. appellat.
4. *Consultationes, vulgò* Hofvaerden, *quæ.*



1 Iversa tum jure communi tum moribus prodita sunt remedia, quibus res perperam judicatæ vel emendari vel retractari permittuntur. Appellatio, quæ querelam de iniquitate vel imperitia judicantium continet *l. 1. ff. de appellat. l. Præfecti. 17. ff. de minor.* ut

ut vulgata, ita generalis est, ac gradatim ab inferiore ad superiorem judicem procedit. Hæc autem interdictâ succedit supplicatio ad effectum revisionis, quæ propriè est erroris propositio contra judicatum, Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat. de supplicat. in præfat. num.* 9. Leuteratio demum moribus Saxonum inolevit, qua sententiæ judicum declarari petuntur atque hoc sub colore subinde reformantur si injustæ appareant Wesenbec. *paratit. ff. de re judicat. num.* 10. Schneidwin. *ad tit. Institut. de actionib. §. Curare.* 32. *num.* 37. *&* 38.
2 † Nostrates sive appellationes sive provocationes, quæ declarationes *Claringen* in Comitatu præcipuè Zutphanico ac tetrarchia Velavica itemque finitima Transisulania nuncupantur, ut non per omnia prædictis remediis conveniunt, ita in quibusdam articulis haud longè differre videntur. Nam & etymologiâ ipsâ non abhorrent à Leuteratione, & quatenus ab inferiore judice ad superiorem intra decem dies provocatur sententiaque prior interposita cautione suspenditur, ut est *in art.* 1. *&* 12. *hic*, cæteroque juris effectu ab utroque & communis appellationis & Leuterationis beneficio participant, excepto eo quod ut revisio ita leuteratio coram judice à quo prior lata est sententia
3 instituatur. † Rursus quia ex notissima ac generali patriæ consuetudine exolevit vulgatum illud appellationum *in l. Per hanc.* 4. *C. de temporib. & reparat. appellat. Non deducta deducam non probata probabo*, uti tangit etiam *art.* 13. *h. t.* propius accedere videntur ad revisionem, quæ ex iisdem actis judicare dicitur juxta Rebuff. *dict. præfat.*
4 *num.* 8. Gail. 1. *obs.* 154. *num.* 2. † Idem judicium erit de illo apud nos appellandi genere quod nomine magis quàm re ipsa consultationem sive consilii petitionem ab alio judicio præ se fert sub antiquo vocabulo hodie ferè desueto *Hofvaert*, ex quo processit *sijn Hofvaert halen*. Quod tamen olim alicubi in patria arbitrii magis fuisse ac proinde hodie penè in desuetudinem abiisse, relicto solùm eo quod necessitatis fuerat, certum est.

ART. I.

ART. 1.

GEvisitiert diversche extracten wt d'olde ende nieuwe Claer-boucken ende andere signaten van Veluwe van saecken daer over in voortijden d'appellatien aen Engellander holt toegelaeten sijn of niet, Js aenvenckelick geordonniert ende gestatueert, dat van nu voortaen die plaetse van Engellander holt om het groote ongerijfs wille aldaer by den Quartiere t'elckes sal moghen verlecht worden ter naester ende bequaemster plaetse, Edoch dat om die outheits wil gelijcke-wel de naem van Claringen aen Engellander holt verblive ende gecontinueert worde, ende dat over sulx partijen doorgaens aen Engellander holt sullen mogen appelliren, die sich beswaert vinden van sententien wtgesprаecken over processen tusschen in ende wtleidunghe aengevangen, Ende sulx niet anders dan in saken bedragende de weerde van twee hondert daler ende daer over, maer niet daer onder, Welverstaende dat in sulcken cas, d'appellant of geappellierde sittende ende blivende in possessie van't goet geholden sal sijn voor den officier ende twe ge-erfden, tot bekledung van de ghérichts-bancken gequalificeert, te stellen suffisante reele cautie of personele genoughsaem ge-erfde burgh tael voor

ART. 1.

VIsis diversis apographis ex veteribus novisque provocationum libris, quo ad causas, de quibus olim permissæ aut prohibitæ fuerunt appellationes ad sylvam Anglicam; primò omnium statutum est, ut propter nimiam incommoditatem dictus locus posthac à Tetrarchia, quoties opus, mutari possit in proximum magisque commodum. Attamen remanebit propter antiquitatem nomen provocationum ad sylvam Anglicam eòque continenter appellabunt partes se gravari existimantes à sententiis latis inter Inductionem & Eductionem, idque in causis tantùm quæ æquant aut superant pretium ducentorum dalerorum. Intelligè verò, appellantem appellatumve retinentem possessionem rei teneri coram officiali & duobus immobilium possessoribus muniendo judicio idoneis cavere, vel constituta hypotheca rei immobilis, uel dato fidejussore idoneo, de fructibus interim percipiendis atque ne à se suisque rei substantia deterioretur, ac

voor de vruchten die hy middeler wijl van het goet trecken of genieten sal als oock voor dat het goet by hem of den sijnen in substantie niet en sal worden gedeterioreert of verergert, mede voor de kosten so wel ongerichtelick als gerichtelick, Ende in cas de geappellierde of appellant met die gestelde cautie of burgtael niet te vreden mochte sijn, dat als dan die appellant of geappellierde doende daer en boven voor t'gene voorss. cautie juratoir, daer mede wes ten naesten lant-gericht daer d'eerste sententie gewesen is sal mogen volstaen, Welck gericht als dan over die genoeghsaemheit ofte onghenoughsaemheit der cautie of burg-tael sal hebben te kennen, Ende by aldien die voorss. cautie of burg-tael aldaer niet suffisant erkendt mochte worden, dat den appellant of geappellierden als dan toe-ghelaeten sal syn al noch, t'voorss. gericht ghedurende, suffisante cautie of burgtael als voorss. te stellen, ende by gebreck van dien sal t'selve gericht wes tot uytdracht der sake over de questieuse goederen hebben te stellen eenen bequamen curatoir, om de selve ondertusschen ten meesten profite ghetrouwelick te administreren ende daer van t'syner tijt aen de winnende partije goede reeckeninge bewijs ende reliqua doen, Maer by so veern die geappellierde

præstereà de expensis tam extrajudicicialibus quàm judicialibus. Quod si appellatus aut appellans præstitæ cautioni non acquiescit, oblatâ insuper de eo quod dictum est juratoria cautione, satis cautum habebitur usque dum munietur idem judicium, à quo prima sententia lata est, cujus tunc erit judicare utrum idoneè vel minus idoneè cautum sit. Et si tum etiam prædicta cautio inidonea declaratur, integrum adhuc erit, dum judicium agitur, aliam satis idoneam præstare, ut dictum est. Cujus defectu constituet idem judicium idoneum aliquem curatorem bonorum controversorum donec causa finiatur, qui eadem interim quàm fieri possit utiliter & fideliter administret, ac suo tempore parti triumphanti justam reddat rationem reliquaque solvat. Sed appellatus nullam rei habens possessionem dimittetur sola cautione pro litium expensis.

de mochte wesen buyten possessie vant goet sal de selve mogen volstaen mits stellende alleen cautie pro litis expensis.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *Gelros esse retinentes antiquitatis.*
2. *Honorabilissimum quod antiquissimum.*
3. *Quomodo Iustinianus Imp. amans fuerit antiquitatis.*
4. *Contra illos qui exotica verba in forum inferunt. ubi appositè locus ex Ordinat. Cancellar. de usurpanda lingua Gelrica, addito loco jur. Romani. & al.*
5. *Quando leges desuetudine abolitæ adduci queant.*

EDoch om die outheits wil gelijcke wel de naem van Claringen aen Engelan-
1 *der holdt verbliven &c.)* † Quàm sint antiquitatis retinentissimi tum hoc loco præcipuè tum passim in tota juris Velavici reformatione ostendunt Reformatores. Cujusmodi ferè Gelrorum communis est conditio, quibus in legibus, judiciis, instrumentisque publicis summopere arrident ritus ac phrases patrum qui longa annorum serie nos
2 præcesserunt. † Et certè non absque causa dixit Aristoteles in metaphysicis τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, *honorabilissimum esse quod antiquissimum*, quia ut in ætatibus senectus, ita in exemplis antiquitas au-
3 toritatem conciliare videtur. † Sic haberi noluit antiquitatis contemptor Imperator Iustinianus *in l. Scimus 22. §. 13. ff. de jure deliberandi*, ac, ne quid penitus antiquitatis ignoraretur, ex veteri jure testamentorum, legatorum ac furtorum varias species quamvis obsoletas in Institutionibus suis studiosè congessit §. 1. *de testament. ordinand.* §. 2. *de*
4 *legat. & tit. de obligat. quæ ex delict. nascunt.* † Quò magis accusanda est eorum audacia qui quotidie, si non mores novos, saltem mustea & exotica verba in forum inferunt, contra id quod in Ordinat. Curiæ pro-

vincialis caverunt Imp. Carol. V. ac subsequentes Gelriæ Rectores, in verbis: *Item Stadthouder, Cancelar ende raeden sullen in oiren schrifturen ofte sunst geen ongewoonlicke terminos gebruicken, sonder sich met gewoonlicke Gelrische spraeck behelpen, gelijck die selve van alden voorgaende tijden nae deser Lantschap gebruickt sy geworden*, id est, *Item Proprinceps, Cancellarius ac Senatores cùm in scripturis suis tùm aliàs abstinebunt à terminis inusitatis, ac lingua Gelrorum consueta utentur, qualis ab antiquo ex usu provinciæ hujus usurpata fuit.* Huc facit *l. Decreta.* 48. & quod ibi notat Dionys. Gothofred. *ff. de re judicata.* & libenter eòdem traxerim illud Virgilii 12. Æneid. arcanum quoddam regiminis continens:

Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt.

adde Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 2. tractat. Vt contract. testament. sentent. &c. Gallicis concip. verb.* † Nec malè hic annectendum censeo quod
5 ex *dict.* §. 1. *Institut. de testament.* infert Vigl. Zuichem. *in commentar. ibid. posse nos* (ut ipsius verbis utar) *leges vel desuetudine abolitas, vel ob compositionis compendium resectas & omissas, vel expressè correctas adducere in qualecunque argumentum, modò tamen citra fraudem hoc fiat.* Videatur ad hoc latè Alderan. Mascard. *tractat. de general. statut. interpretat. conclus.* 11.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Reformat. Zutphan. conson.*
2. *Pertinere ad judicem appellationis cognitionem an admittenda vel reiicienda sit interposita appellatio, idque ex decreto Ordin.*
3. *Quando hoc fallat.*
4. *Doctorum distinctionem circa cognitionem desertæ appellationis videri moribus supervacuam.*
5. *Quando deserta habeatur appellatio.*
6. *Moribus non obtinere formam appellandi, de qua in* authent. Ei qui. C. de temp. & reparat. appell at. *Ubi alia quædam sublata enarrantur.*

1 T*Wee hondert daler ende daer over &c.*) ‡ In hoc omninò conſonat jus rurale Comitatus Zutphaniæ, de quo in Reformat. *tit.* 10. §. 12. & ſpectat eòdem illud Conſtantini Imp. in *l.* 2 *de oper. publ. C. Theodos. de rebus præcipuis maximiſque, non de quibuſcunque viliſſimis noſtrum debent interpellare conſilium.* adde *l. In offerendis.* 37. *C. de appellat.* & obſerva, in ſumma appellabili non computari litis expenſas prioris inſtantiæ, in quas quis condemnatus eſt, cum (ut poſt alios inquit Mynſing. *cent.* 3. *obſ.* 100.) ad incrementum non trahatur limitatio juriſdictionis, uti pronunciarunt Scabini Noviomag. 23. Novembr. an.
2 1644. Cui conſentit Beſold. tractat. de appellat *cap.* 7. *num.* 2. ‡ Extat verò (quod commodùm hic pro illuſtratione etiam ſequentium indagatur) decretum Ordinum Gelriæ in comitiis Arnhemienſibus *an.* 1621. iteratum in comitiis Noviomagenſibus *an.* 1634. cognitionem ejus, an admmittenda vel reiicienda ſit interpoſita appellatio, pertinere ad judicem appellationis ſive ad quem, non autem ad judicem à quo, uti tamen ſervatur in urbe Noviomagenſi. De quo etiam aliàs meritò dubitari poſſet *arg. l. ſi contra majorem.* 8. *C. de appellat. cum iis quæ poſt Angel.* tradit Jacob. Cancer. *variar. reſolut. part.* 3. *cap.* 18. *num.* 38. item Giphan. *tractat. de appellationib.* ubi contrariam opinionem vulgatam quidem ſed erroneam eſſe contēdit, quamvis non diffiteatur jus pontificium pro ea facere, cui ſuum addidiſſe calculum vi-
3 dentur iidem Ordines noſtri. † In quorum tamen prædicto decreto notandum venit, fallere illud, ſi vel interdicta penitus appellatio, ut ſi, verbi gratia, intra ſummam ducentorum dalerorum attentetur, vel deſerta appareat: Utpote quibus caſibus non ad judicem ad quem,
4 ſed ad eum à quo appellatum eſt remittunt̃. † Cujus intuitu videtur inſuper haberi poſſe illa Doctorum diſtinctio, de qua poſt alios Marant. *ſpec. aur. part.* 6. *de appellat. num.* 200. & Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 1. §. 1. *num.* 7. ſcilicet vel hujus inferioris à quo, vel illius ſuperioris judicis ad quem notionem eſſe, utrum deſerta nec ne habenda ſit appellatio, quatenus conſtiterit vel aditum ab appellante
5 ſuperiorem eſſe vel non. † Dicetur autem propriè deſerta appellatio quando

quando juxta præscriptum *art.* 12. *&* 13. *h. tit.* eadem post latam sententiam intra decem dies nec instituta nec hujus nomine intra mensem postea idoneè cautum fuerit, ac aliis quibusdam casibus, de quibus latè Marant. *dict. loc. à num.* 410. *usque ad finem*. Circa quos tamen observabis, plerosque eorum paucis exceptis moribus nostris parum convenire.
6 † Abusu namque recessit forma appellandi, de qua *in authent. Ei qui appellat. C. de tempor. & reparat. appellat.* item solennis cum citatione partis præsentatio, ut loquuntur, processus apud judicem appellationis & petitio apostolorum, cum illo quod prosequendæ appellationi breviorem terminum judex à quo statuere queat, ut ex parte etiam notavit Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 14. *in fin.* & quo ad apostolorum sublatam petitionem consonat jus Gallicum, de quo apud Rebuff. *ad constitut reg. tom* 3. *tractat. de appellat. art.* 10. *cum gloss. ibid.* Ludovic. Charond. *in pandect. jur. Gallici lib.* 4. *cap.* 36. item usus Cameræ Imperialis, Joan Goedd. ad *l.* 106. *num.* 6. *ff. de verb. significat.*

Glossa III.

SVMMARIA.

1. *Interposita cautione appellationem suspendere executionem sententiæ: cui similis consuetud. Saxon. & Zutphan.*
2. *Contraria Ruremund. & Transisulan. & certo respectu eadem Zutphan.*
3. *Quænam habeatur idonea cautio, remissivè.*

1 W*elverstaende &c.)* † Indicavi obiter suprà ad *rubricam hujus tit.* ex hoc ipso textu moribus Velaviæ appellationem vel declarationem interposita cautione idonea suspendere executionem sententiæ à qua appellatur, ac in eo tam communi appellationi quàm leuterationi Saxonicæ, de qua Math. Coler. *decis. German. part.* 1. *decis.* 138. *num.* 3. Modest. Pistor. *part.* 1. *quæst.* 22. *& ibi addit. Jac. Schult.* non dissimilem esse. Cui planè consonat consuetudo Comitatus Zutphaniæ *tit.* 10.

§. 12.

§. 12. *in princip.* † diſcrepat verò in contrarium tetrarch. Ruremund. *part.* 5. *tit.* 16. §. 4. *art.* 2. nec non Tranſiſulaniæ *part.* 1. *tit.* 19. *art.* 1. & 2. permittente utraque hac conſuetudine ſimili ſub cautione à victore præſtanda realem prioris ſententiæ executionem, non obſtante appellatione interjecta. Cui rurſum accedit prædicta conſuetudo Zutphanica in cauſis poſſeſſoriis & domus mortuariæ itemque in iis quæ ad ſummam ducentorum dalerorum non aſcendunt *dict. tit.* 10. §. 12. Reformat. Zutphan. Quod eſt ad præſcriptum *Novellæ* 119. *cap. Aliud* 5. circa retractationem ſententiarum glorioſiſſimi præfecti ſacrorum prætoriorum, ut loquitur ibidem Imperator Iuſtinianus. † Quoniam porrò *ſuprà cap.* 8. *ad art.* 4. dicere præoccupavi quænam tum jure ſcripto tum moribus habenda ſit idonea cautio, malo eòdem lectorem remittere, quàm ad faſtidium eadem hoc loco repetere: Submonito interim in hac ipſa materia multùm verſari arbitrium judicis, prout ad illuſtrationem etiam Statutorum Brixiæ & Mediolani tractat Menoch. *de arbitrar. judic. quæſt. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 142.

Gloſſa IV.

SUMMARIA.

1. *Iuratoriam cautionem non admitti & quare.*
2. *Iuratoriam cautionem non haberi ſufficientem.*
3. *Præceptum legis aut ſtatuti in forma ſpecifica eſſe implendum.*
4. *Quæ ſit forma juratoriæ cautionis, quatenus hic admitti poſſit.*

ENde in cas &c.) † Ex iis quæ tractat Guid. Papæ *in decis. Gratianopolitan. quæſt.* 50. *num.* 3. *per text. in authent. Generaliter. C. de Epiſcop. & cler. item quæſt.* 189. & 250. dubitari poſſet, an non admittenda foret juratoria cautio caſu quo appellans appellatuſve aliter ſatisdare nequiret. Sed dupliciter occurrit hic textus, dum & ſufficientem exigit cautionem, in verbis, *ſuffiſante cautie &c.* & adverſario oblatam cau-

tionem quasi inidoneam non acceptante in supplementum tantùm ad tempus (donec de qualitate ejus in proximo judicio causa cognita statutum fuerit) juratoriam, quam dicunt, cautionem admittit, in
2 verbis, *doende daer en boven voor't gene voorss. cautie juratoir &c.* † Sufficiens namque non habetur quæ juratoria dicitur cautio *per gloss. in cap. Qua fronte. de appellat. & in cap. Ex parte. 1. de verb. significat. Clementin. 1. vers. & cum absolvendus. de pœnis lib. 5.* relicto ita debito effectu prædictis verbis *suffisante cautie*, ne frustra sint *l. Si quando. 109. ff. de legat. 1.* maximè ob energetica illa quæ sequuntur, *reele cautie of personele*
3 *genouchsaem ghe-ersde burgtael.* † Et scitum est illud pragmaticorum, præceptum legis aut statuti in forma specifica implendum esse Angel. *in l. Postquam §. Imperator. ff. Vt legator. nomine caveat.* eleganter Rebuff. *ad constitut. reg. tom. 1. tractat. de sentent. executor. art. 1. gloss. 16. num. 13.* Quod magis confirmatur, quando circa finem hujus art. vers. *Ende by gebreck van dien &c.* deficiente idonea cautione Reformatores decernunt sequestrationem ejus de quo in inferiore judicio judicatum est, cum quo transit consuetudo tetrarch. Ruremund. *part. 5. tit. 16. §. 4. art. 4.* & Transisulan. *part. 1. tit. 19. §. 3.* Rebuff. *dict. loc. ibi: & nunquam removetur sequestratio per juratoriam cautionem, nisi quis satisdet, & ita servatur in palatiis teste Alber. & Jas. in. l. si fidejussor. §. fin. ff. Qui satisd. cogant.* adde not. *ad dict. decis. 189. Guid. Papæ & ad ejusdem decis. 250. Gaspar. Baron.* † Cæterùm juratoriæ cautionis, quatenus hic ad-
4 mittitur, ea erit forma, ut satisdare cogendus juret se post diligentem inquisitionem ulteriorem ac magis idoneam quàm offert cautionem invenire non posse, ac facturum quod ex jure municipali incumbit, ita ferè gloss. *in l. 1. ff. Qui satisdare cogant.* & Bald. *in authent. Generaliter. ad verb. text. juratoriam. d. tit. C. de Episcop. & Cler.*

ART. 2.

SAl oock moghen geappelliert ende de appellatie toegelaten worden van sententien gewesen in saecken tusschen peindung

ART. 2.

Appellabitur præterea à sententiis latis in causa pignorationis & huic contraria oppositione, modo

dung ende pandtkerung, nieuwes ende niet wt cracht van de voorgaende ſententie aengeheven, ende dit van ghelijcken te verſtaen in ſaecken bedragende twee hondert daler, daer over, maer niet daer onder.

modò eadem recenter neque ex præcedente aliqua ſententia nata ſit ac ſummam ducentorum dalerorum æquet ſuperetve.

ART. 3.

IN ſaecken met badinge begonnen als oock tuſſchen beſaet ende ontſaet ſal de appellatie toegelaeten ſijn in conformite, als boven tuſſchen peindung ende pandtkerung geſeyt is.

ART. 3.

Eodem modo, quo ſuprà inter pignorationem eive contrariam oppoſitionem, permittetur appellatio in cauſis quæ à citatione cæperunt itemque inter arreſtationem & huic oppoſitam interceſſionem.

Gloſſa.

SVMMARIA.

1. *Pignorationem eſſe duplicis generis, quæ quomodo aliquando conveniat differatque.*
2. *Appellari rectè ab executione inſtrumenti guarentigiati & pronunciatione judicis de exequendo.*
3. *Diſquiritur, an interpoſitâ appellatione circa pignorationem, ſententiæ executio data cautione ſuſpendatur. Ubi conciliatur & declaratur cum hoc art. text. art. 5. cap. 11. ſupr.*

1 PIgnorationis, vulgò *peindung*, duplicem eſſe ſpeciem ex hoc art. liquet. Prima putabitur quæ *ſuprà cap. 7.* inter modos procedendi jure Velavico definitos judicii ſive litis ingreſſus, quatenus debitum petitur pignorabile, vulgò *peinbaerſchult*, appellatur. Altera, qua

qua moribus sententia judicis quæ in rem judicatam transivit executioni mandari solet. Utramque autem in eo convenire existimo, ut sit præceptum executivum sive præparatorium potius executionis, quàm ipsa realis executio, juxta ea quæ notavi *suprà cap.* 11. *ad rubric. in fin. & art.* 1. *gloss.*2. *in fin. art.* 6. *gloss. un. in princip. eod. cap.* ac rursus à se invicem differre, quatenus ab illa appellari permittitur, ab hac
2 verò omnis appellatio removetur, *hoc. text.* † Sic quamvis ab executione communiter non appelletur, tamen id minimè intelligi volunt in executione instrumenti gaurentigiati ac pronunciatione judicis de exequendo, à qua appellari tractat latè Roderic. Suarez. *ad l. Post rem judicatam. ff. de re judicat.* §. *Quæro utrum possit appellari &c. pag. mihi* 680. *cum seq.* adducendo ibidem in confirmationem hujus opinionis *Salicet. in l. Ab executore. C. quor. appellat. non recip.* Roman. *in l.* 5. *ff. de verb. obligat.* item Bart. *in l. si cum exceptione.* §. *hæc autem. ff. Quod met. caus. post gloss. in dict. l. Ab executore. C. Quor. appellat. non recip. &*
3 *in l. Ab executore. ff. de appellat.* † Data verò hic appellatione à sententia in causa pignorationis lata, sequetur, quod *suprà art.* 1. *gloss.* 3. notavi, interposita similiter cautione executionem ejusdem suspendi. Quod quidem pugnabit cum *art.* 5. *supr. cap.* 11. *de debit. pignorab.* ubi pignorationi intercedens, dum judex pro tribunali sedet, cogitur solvere aut solutum probare, quod moram omnem executionis faciendæ videtur respuere. Dicemusne igitur limitando cum Covarruv. *practic. quæst. cap.*23. *num.*9. *vers. tertium exemplum.* Menoch. *de adipiscend. possess. remed.*4. *num.*828. Jacob. Cancer. *variar. resolut. part.* 1. *cap.*17. *num.*23. qui hos, aliis etiam citatis, sequitur, appellationem in hac materia pignorationis ad effectum devolutionis solùm non verò suspensionis admitti, qualiter prædicti autores circa appellationem in executivis vel à pronunciatione de exequendo distinguunt. Hoc videtur admitti posse in exemplis *dict. cap.*11. *supr.* relatis, nisi rectius quisquam putaverit hoc loco sermonem esse de sententiis post utrimque more judiciorum consueto ventilatam causam latis: illic autem agi de eo quod provisionaliter (ut loquuntur) vi statuti ex
prima

prima causæ inspectione fieri iubetur, ad exemplum ferè vulgatæ in quibusdam tribunalibus *Namptisatiouis*, qua id quod debetur repræsentari de facto præcipitur. Vide an usui sit quod habet Louet. *in arrest. lit. S. §. 23. cum not. ibid.*

ART. 4.

Maer van sententien ghegaen in kracht van contumacie en sal men niet mogen appellieren, maer sullen soodanige sententien hare werckung gewinnen ende geexecutiert worden nae behooren.

ART. 4.

A Sententiis autem quæ in contumaciam latæ sunt appellare non licebit, verum suum eædem consequentur effectum ac debito modo executioni mandabuntur.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Nihil hic statui aliud quàm jure civili provisum sit.*
2. *Ad effectum tollendæ appellationis verè aliquem debere esse contumacem.*
3. *Quis iste verè contumax habendus sit jure Velavico.*
4. *Neque renuncians appellationi appellare potest, sive expressè sive tacitè.*
5. *Expressa renunciatio quæ.*
6. *Tacita renunciatio quæ.*
7. *Exemplum tacitæ renunciationis, de quo judicatum curiæ Vltrajectinæ.*

1 † IN hoc articulo nihil aliud statuitur quàm de quo jure civili jam antè provisum fuit *in l. Et post edictum. 73. §. ult. ff. de judic. l. Ex consensu. 23. §. ult. ff. de appellat. l. 1. C. Quor. appellat. non recip.* ubi Cujac.
2 *in paratit.* hujusmodi appellationem vocat moratoriam. † Ut autem à sententia in contumaciam lata non appelletur, oportet ut ad judicium vocatus verè fuerit contumax, prout post vet. tractant Wurmser

ſer. *practic. obſervat. tit. 7. obſervat.* 4. Hartman. *practic. obs. tit.* 19. *obs.*
3 26. Andr. Gail. 1. *obs.* 132. *num.* 7. † Qualis omninò habebitur is, cui *juxta text. in art.* 2. *&* 3. *ſupr. cap.* 9. & quæ ibi notavi, vel perſonaliter, ut loquuntur, vel ad domicilium citatio fuit inſinuata, nec juſtas abſentiæ vel emanendi cauſas adferre poteſt, cui ferè convenit poſt Bart. *in l. fin. ff. de in integr. reſtitut.* Marant. *ſpec. aur. part.* 6. *de appellat.*
4 *num.* 285. † Sed & ſi quis renunciaverit appellationi ſimiliter prohibebitur appellare Mynſing. *cent.* 1. *obs.* 14. quod vel expreſsè vel tacitè fieri poſse docet Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom.* 3. *tractat. de appellat.*
5 *art.* 15. *gloſ.* 1. † Expreſsa erit renunciatio quæ pacto convento interponitur *l. fin. C. de temp. appellat. gloſ. &* Dd. *in l. Tale pactum.* §. *Qui provocat. ff. de pact.* Rebuff. *dict. gloſ.* 1. *num.* 3. 4. 5. *&* 6. Joan. Sainſon. *ad conſuetud. Turonens. tit.* 35. §. 18. *inter cas. quibus non appellatur*
6 *vers. octavus caſus &c.* † Tacita verò multis modis inducitur, de quibus latè conſulendus idem Rebuff. *dict. gloſ.* 1. *num.* 7. *cum mult. ſeqq. junct. l. Ad ſolvendum.* 5. *C. de re judicat. & cap. Gratum.* 20. *cum gloſſ. ibid. extr. de offic. & poteſt. jud. delegat.* quorum ferè ſumma eò redit, ut ſi quæ interpoſitæ appellationi, abſque ulla proteſtatione, contraria egerit appellans, de quibus ex circumſtantiis variè judicabitur, protenus eidem renunciaſſe præſumatur. † Sic in curia Ultrajectina
7 denegata fuit appellatio ei, qui, poſt interjectam appellationem monitus ut præſtaret juramentum ad quod in primæ inſtantiæ ſententia condemnatus fuerat, ſeſe ex novis mediis nulla habita proteſtatione oppoſuiſset, quaſi tacitè eidem renunciaſset & dictæ ſententiæ acquieviſset, ut tradit latè præſes Radelant *decis. Vltrajectin.* 83. adde Math. de Afflict. *decis.* 178. *num.* 3. *& Cæs. Vrſill. in annotat. ibid. num.* 8.

ART. 5.

GElijck geene appellatie toegelaten ſal ſijn van Oordelen ghegaen op proceſſen aent Lant-ghericht ghekomen tuſ-

ART. 5.

UTi nulla admittetur appellatio à ſententiis in judicio rurali latis inter querelam ejuſque nomine

tusschen klacht-verburgung ende contra-verburgung.

nomine satisdationem directam & contrariam.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Prohiberi appellationem in causa injuriarum. ubi contrarius usus cameræ Spirensis:*
2. *Quem sequuti scabini Noviomagenses & quare.*

† NOta tantùm obiter ex hoc textu removeri etiam omnem appellationem jure Velavico à sententia lata in causa injuriarum. Cui contrarium judicari in Camera Imperii Spirensi testatur Andr. Gail. 1. *obs.* 123. *num.* 4. 5. *&* 6. quem sequutus est Petr. Cornel. Brederod.
2 *tractat. de appellat. part.* 1. *tit.* 19. *num.* 5. † quòrum opinionem rursum judicando aliquoties admiserunt Scabini Noviomagenses, idque ob inæstimabile pretium famæ hominis, quæ vitæ quodammodo æquiparatur *l. si in duabus.* 104. *ff. de reg. jur. l. justa.* 9. *ff. de manumiss. vindict. cum aliis à Gail. d. loc. citat.* ac præsertim quod in Statuto urbis Noviomagi contrarium, ut hic, non caveretur.

ART. 6.

NOch sal in saecken tusschen biedung ende uytdoeningh van ruimingen niet mogen worden geappelliert.

ART. 6.

NEque appellabitur in causis præceptæ & contrà extinctæ Evacuationis.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Non appellari in causis præceptæ & extinctæ Evacuationis, quod illustratur.*
2. *Removetur objectio & declaratur textus.*

3. *Contrò-*

3. *Controversum esse, an à sententia judicis de exequendo lata appelletur.*

1 † CONstat *ex cap.* 14. *suprà* Evacuationem, *Ruiming*, esse speciem executionis in rebus soli seu immobilibus, ac nonnunquam, si huic intercedatur (vulgò *soo de ruiming uytgedaen worde)* causam deduci ad judicium *text. in art.* 14. *dict. cap.* 14. ab eoque post auditas utrimque partes sententiam ferri. Ab hac demum sententia, ut litium tandem sit finis, non appellari vult hic articulus, qui manifesto juris textu fulcitur *in l. Ab executore.* 4. *ff. de appellat. & l. Ab executione.* 5. *C. Quorum*
2 *appellat. non recip.* † Nec mutat, quod hæc videatur quædam judicis pronunciatio de exequendo, à qua conceditur appellandi licentia, per ea quæ suprà *h. cap. ad art.* 2. & 3. *ex Roderic. Suarez. in lectur. ad l. Post rem judicatam. ff. de re judicat.* attuli. Siquidem in casu hujus nostri articuli non tam pronunciari intelligitur de exequendo, quàm de inchoata jam executione perficienda & complenda, adeòque pars executionis censetur, prout in simili considerat Guid. Papæ *cons.* 47. *in primo dubio.* quem citat etiam Rebuff. *ad constitut. reg. tom.* 1. *tractat.*
3 *de sentent. executor. art.* 7. *gloss.* 12. *num.* 16. † Ut nihil nunc dicam, quod inter jurisperitos in utramque partem valdè controvertatur prædicta illa appellandi licentia à sententia judicis de exequendo lata, sicut videre est apud Hieronym. de Cævallos *spec. aur. opinion. commun. contr. commun. tom.* 1. *quæst.* 190.

ART. 7.	ART. 7.
NOch van sententien in saecken van Erfhuis recht.	NEc à sententiis in causis domus mortuariæ.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Domus mortuaria quæ sit.*
2. *Judicium domus mortuariæ esse possessorium summarium,*

3. *Quare*

3. *Quare à sententia in eo lata non appelletur, ostenditur.*
4. *Remotam hic censeri appellationem tam quo ad effectum suspensivum quàm devolutivum.*
5. *Contraria consuetud. Comitatus Zutphan. cum jure canon. & praxi Germaniæ.*
6. *Remittitur pro illustratione art. ad autores aliquot.*

1 DOmus mortuaria, vulgò *erf-huys vel sterf-huys*, est, autore Frederic. Sand. *ad consuetud. feudal. Gelr. tractat.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 1. niversa defuncti hereditas civili quodam modo repræsentata per donum ac locum ubi defunctus postremum habuit domicilium. adde *ap.* 33. *infr. juris Velav.* Reformat. Zutphan. *tit.* 3. *art.* 8. *cum aliis art. ræcedentib. & seqq.* consuetud. Transisulan. *part.* 1. *tit.* 8. *art.* 5. & 6.
2 tatut. urbis Zutphan. *tit.* 6. Arnhem. *art.* 28. *cum seqq.* † Circa hanc i mutuis impetrationibus vel potius immissione ac huic contraria intercessione lis oriatur, instituitur inter contendentes judicium domus nortuariæ, vulgò *erf-huys-recht.* Quod ex moribus habetur possessoium & quidem summarium Sand. *dict.* §. 3. *num.* 11. item *dict. cap.* 33. rt. 18. *infr. d. tit.* 3. *art.* 8. Reformat. Zutphan. *cap.* 3. Statut. urb.
3 utphan. *d. cap.* 6. *art.* 12. † Unde à sententia in eo lata non appellai rectè hic statuitur, ut nec à quolibet possessorio, de quo *art.* 8. *seq.* Nam & de jure celeritatem desiderat, ideòque quod hujus beneficio nventum est tarditatis injuriis subdi non debet, ut dicitur ferè *in l.* 22. *uor. appellat. non recip. Cod. Theodos. l. Si res.* 7. *ff. de appellat. recip. l. Quisuis.* 6. *C. Quorum appellat. non recip.* eleganter Cujac. *in paratit. ad l. un. . Si de momentan. possess. fuerit appellat.* &, quò minus præjudicetur, ntegra semper proprietatis quæstio servatur, quod nominatim exrimunt Zutphanienses *dict. tit.* 3. §. 8. *vers. eenen yederen voorbeholden ijn recht in petitorio*, ac passim communis est pragmaticorum opinio uxta mentem inveteratæ pridem consuetudiuis, facit *d. l. un. C. Si de*
4 *omentan. possess.* † Atque hoc non solùm intelligendum est quoad ffectum, ut loquuntur, suspensivum sed etiam devolutivum, ut ita x complexu textus indefinito omnis indistinctè præcidatur appella-

tio, uti in omnibus quoque possessoriis contra Bartol. asserit Achill. Personalis *tractat. de adipiscend. possess. num.* 132. ac post hunc & mult. alios citatos Andr. Rauchbar. *quæst. jur. civil. & Saxon. part.* 2. *quæst.* 6.
5 *num.* 8. ‡ A quo in diversum abit consuetudo Comitatus Zutphaniæ, dum, non impedita executione sententiæ latæ, devolutionem tamen appellationis admittit *text. in* §. 12. *vers. welverstaende &c. cap.* 10. Reformat. Zutphan. cui rursum applaudit jus canonicum *cap.* 2. *Vt lit. non contestat. cap. cum ad sedem. de restitut. spoliat. Clem.* 1. *de seq. possess. & fruct. Clem. un. de caus. propr. & possess.* & praxis Germaniæ Andr. Rauchbar.
6 *d. quæst.* 6. *num.* 54. *cum. seqq. aliquot.* † Vide porrò, ut brevis sim, ad illustrationem *hujus art.* Tiraquell. *tractat. le mort saisit le vif.* 6. *declarat.* 6. *partis*, Menoch. *de adipiscend. possess. remed.* 4. *quæst.* 100. Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 31. & novissimè Ioan. Wames. *respons. secular. cent.* 1. *consil.* 86. ubi compluribus citatis non contemnenda tractant de prohibita appellatione à datione possessionis ex remedio *legis fin. C. de edict. Divi Hadrian. tollend.* quæ aliquatenus in argumentum non inutiliter huc trahi possunt.

ART. 8.	ART. 8.
Noch oock van gewijsde over besit of gebruick van goet.	Nec à judicato super possessione aut usu rei.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *Simile jus civile cum consuetudine Transisulan. discrepante jure canon.*
2. *De qua discrepantia remittitur.*
3. *Ratio tum juris civilis tum hujus statuti.*
4. *Producuntur variantes opiniones demonstraturq; ad intellectum hujus art. à sententia cujusque possessorii moribus Velaviæ prohiberi appellationem tam quo ad effectum suspensivum quam devolutivum. & num.* 5. 6.

7. *Non*

7. Non prohiberi tamen eandem si possessionis quæstio admixtam habet causam proprietatis.

† HUic art. similis est *art. 5. tit. 19. part. 1.* consuetud. Transisulan. & consonat dispositio juris civilis *in l. un. C. Si de momentan. possess. fuer. appellat. ubi gloss. & Dd. communiter*, refragante tamen iure Canonico, ut notat. *in cap. Cum ad sedem. 15. de restitut. spoliator.* & indicavi supr. † Quorum antilogiam, ne longior sim in re satis luculenter ab aliis tractata, non sine fructu ad illustrationem *hujus art.* repetes post alios à Bernard. Wurmser. *practic. observat. tit. 24. obs. 12.* Hartman. *tit. 18. obs. 24.* Gomez. *ad leg. Tauri. 45. num. 194.* Jacob. Cancer. *variar. resolut. part. 1. cap. 17. num. 17. 18. & 19.* item Hieron. de Cævallos. *spec. aur. opin. commun. contr. commun. tom. 1. quæst. 15.* † Ratio verò tum huius statuti tum eidem consonantis iuris civilis est, quod in possessorio semper reservetur illæsa causa petitorii, ut dictum *supr. ad art. 7.* adeóq; modici sit, quod dicunt, præiudicii, post Bart. & alios Gomez. *ad d. l. Tauri. 45. d. num. 194. vers. Cujus ratio est. &c.* quamvis hanc non videatur admittere Cacheran. *decis. Pedemont. 25. num. 4. & 5.* asserendo post Ripam magnum in eo versari momentum, vel eo saltem casu quando probationum datur paritas, quo pronunciari solet pro possessore *§. Commodum. Institut. de interdict.* Quod contra hunc textum non attendi rectè existimaveris. † Cæterùm ex adductis modò iurisperitis alii cum suis à se citatis autoribus censent prohiberi solùm appellationem à sententia in possessorio lata eatenus ut executio eius suspendatur, non verò quatenus cognitio ad iudicem appellationis devolvitur, hoc est, ut dicunt, quo ad effectum devolutivum rectè appellari, minimè tamen quo ad effectum suspensivum, quæ mens est Reformat. Zutphan. *tit. 10. §. 12.* adde Cacheran. *d. decis. 25. num. 9.* † Alii itē separant possessorium plenarium seu ordinarium à momentaneo seu summario, quæ distinctio etiam juvatur textu *art. 2.* & quæ ibi tractavi *supr. cap. 8.* In hoc quidem abnuentes, tanquam minoris præjudicii, in illo admittentes appellationem, quod visus quoque est sentire Rebuff. *ad con-*

stitut. reg. tom. 1. *tractat. de sentent. executor. art.* 5. *gloss.* 3. *num.* 5. Gail. 1. *obs.* 7. *num.* 7. Cui addi potest illud Symmachi *lib.* 10. *epist.* 41. in causis etenim (inquit) quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet. † Sed cum textus hic nihil omninò distinguat ac indefinitè & simpliciter loquatur de judicato circa possessionem aut usum rei, vulgatumque sit, lege aut statuto non distinguente nec nostrum esse distinguere aut excipere *l. Quos prohibet.* 7. *ff. de postuland. l. De pretio.* 8. *ff. de publician. in rem. act. l. Si servum.* 71. §. *Non dixit.* 5. *ff. de acquir. vel omittend. hered. cum simil.* Bart. & Bald. *in l. Omnes populi. ff. de justit. & jure*, putandum est non attentâ præmemoratâ distinctione à lata sententia cujuscunque possessorii moribus Velaviæ interdici appellationem, nec solùm quo ad suspensionem executionis, sed etiam quo ad devolutionem cognitionis. Accedit quod (ut utar verbis Cujacii *in paratit.* (*Cod. si de momentan. possess.*) *omnis ratio reformandæ, repetendæ, vindicandæ, tuendæ possessionis momentum dicatur & momenti actio & à sententia quæ causam possessionis diremerit non liceat appellare, ne quod beneficio celeritatis inventum est subdatur iujuriis tarditatis l.* 22. *C. Theod. quor. appellat. non recip.* Huc usque Cujacius, quem & suprà citavi, ac latè confutatis contrariis in confirmationem huius statuti defendit Andr. Rauchbar. *quæst. jur. civil. & Saxon. part.* 2. *quæst.* 6. adde Philip. Dec.

6

7 *cons.* 28. ‡ Si tamen possessionis quæstio admixtam habuerit causam proprietatis, uti evenire aliquando potest, cum eadem petitur per inductionem seu immissionem, vulgò *Inleydung*, non omninò denegandam esse appellationem, quod huiusmodi sententia magni sit præiudicii *l. Is qui destinavit.* 24. *ff. de rei vindicat.* non absque ratione quis opinabitur iuxta tradita à Gomez. *ad d. l. Tauri* 45. *num.* 194. *vers. Quod tamen.* Cacheran. *dict. decis. Pedemont.* 25. *num.* 10. & *decis.* 47.

ART. 9.

G*Elijck men dan oock verstaet datmen niet en mach appelliren daer aen*

ART. 9.

QVemadmodum etiam intelligitur prohibita appellatio, ubi

aen eener sijde by partije den eedt gedeferiert ende daer op recht gedaen is.

ubi ab alterutro litigantium delatum est juramentum ac super eo jus dictum.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Jusjurandum esse triplex:*
2. *Cujusque speciei descriptio.*
3. *De judiciali juramento hic potissimum tractari.*
4. *Quatenus non admittatur appellatio à sententia post præstitum juramentum lata. & num. 5.6.7. ubi plena ejus enarratio ad intellectum hujus statuti.*

1 † JUsjurandum quatenus maximum remedium expediendarum litium est, ut loquitur Gajus *l. 1. ff. de jurejurand.* juxta inscriptionem sive rubricam ejusdem tit. vel voluntarium vel necessarium vel judiciale est. Quod Galli, quorum usum huic respondere notat ibid. Mornac. efferunt, *le serment volontaire, le serment de justice, le serment de-*
2 *cisoire.* † Ex his, ut omittam Cujacii aliorumque fortè accuratius examen, secundum receptam Doctorum in foro opinionem Voluntarium est, quod pars in modum transactionis defert parti extra judicium: Necessarium, quod in causis dubiis probationum inopia à judice alterutri litigantium imponitur: Judiciale demum quod pars defert parti in judicio judice illud appobante. Ita latè & eleganter Joan. Borcholt. *tractat. de jurejurand. cap. 2.* Wesenbec. *in paratit. ff.*
3 *eod. tit. num. 7. 8. 9. & 10.* † Tertia illa sive novissima species jurisjurandi, quæ judiciale juramentum item litis decisorium dicitur hujus nostri art. est objectum, de quo prædicatur, non admitti appellationem à sententia post illud præstitum lata. Cui convenit consuetud.
4 Transisulan. *part. 1. tit. 19. art. 7.* † Quod ut rectius intelligatur distinguendum censeo, aut juramenrum hoc judiciale sive litis decisorium delatum est aut relatum aut denique recusatum. Postquam à

prima delatione præstatur juramentum ac insuper sententia fertur, prohibetur ab ea omnis appellatio, *ut hic* & est text. *in l. Generaliter.*
5 12. §. *sive autem.* 3. *C. de reb. credit.* † Sin verò is cui delatum est juramentum idem illud referat deferenti, prout hoc de jure liberum est *l. Jusjurandum.* 34. §. *Datur autem.* 7. *ff. de jurejurand.* ac porrò, eodem ab illo aut præstito aut recusato, à judice pronuncietur, de appellatione utrimque controvertitur. Post Petr. & Cyn. antiquos interpretes pro appellatione nititur Cacheran. *decis. Pedemont.* 61. *à num.* 6. *usque ad fin.* quem sequitur Vincent. Caroc. *tractat. de jurament. litis decisor. quæst.* 47. *principal. vers. limitatur quartò.* hac potissimùm ratione, quod generaliter ab omni sententia permittatur appellatio. *l. Et in majoribus.* 20. *C. de appellat.* quodque referens coactus vel jurare vel referre magis necessitate quàm deferens ad hoc adigatur, ideòque illi præ hoc succurrendum esse *l. Sicut. C. de act. & obligat.* nec ob diversitatem rationis ab uno ad alium probabile satis duci argumentum. Contrarium, & hoc casu non admitti appellationem, statuunt Marant. *spec. aur. part.* 6. *de appellat. num.* 332. Joan. Borcholt. *dict. tractat. de jurejurand. cap.* 9. *num.* 15. quamvis hic videatur solùm loqui de deferente qui relatum juramentum non præstat, sed inprimis Andr. Fachinæ. *controvers. lib.* 1. *cap.* 23. sequutus, quos citat similiter, antiquos interpretes Joan. Azon. & Salicet. *in d. l. Generaliter.* adde Donell. *commentar. jur. civil. lib.* 24. *cap.* 10. *in fin.* Idem cum his sentio, quia maturè consideranti identitas rationis magis mihi probabilis, quàm contrà allegata diversitas apparet. Cum is qui deferenti refert, pro eo quod juret adeòque in propria causa & testis & judex sit, mavult & quidem sua sponte adversario committere causæ decisionem, ideòque de se potius quàm de judice conqueri habet. Accedit quod jusjurandum speciem transactionis contineat majoremque habeat autoritatem quàm res judicata *l.* 2. *ff. de jurejurand.* ac dato eo non aliud quæratur quàm an juratum sit, remissa ulteriori indagatione *l. Non erit.* 5. §. 2. *ff. eod.* Sic ferè Fachin. *dict. loc.* Cacheran. *dict. de-*
6 *cis. Pedemont.* 61. *num.* 1. 2. 3. 4. & 5. † Nec obstat quod hujus art.

textus

textus, in verb. *den eedt gedeferiert*, meminerit solùm delati non relati juramenti; quia relatum idem quod delatum intelligetur, & omnis juramenti relator etiam delator censetur juxta *gloss. in d. l. Generaliter. §. sive autem. verb. detulit. C. dict. tit. de reb. credit.* Gothofred. *in not. ibid.* & videntur huic ambiguitati optimè occurrisse Reformatores juris Transisulanici *d. tit. 19. art. 7.* dum pro *gedeferiert* usurpant vocem *ingeruimt*, utrique tum delationi tùm relationi commodè prout usu venerit aptandam. † Tertium porrò distinctionis membrum erat, quando quis delatum juramentum non refert, sed protenus recusat ac proinde à judice ad solvendum condemnatur. Et quamvis textus ad effectum removendæ appellationis non magis videatur excludere juramenti recusationem, quàm ejusdem relationem, dum in dict. verb. *gedeferiert* tantùm exigit simplicem delationem & hanc sequutam judicis sententiam: tamen quia nihil de recusante exertè dictum reperitur ac cessant rationes circa referentem suprà allatæ, tutius erit hoc casu appellationem admittere, si causa summam jure Velavico appellabilem æquet, sequendo in hoc clarissimam juris civilis decisionem, quæ extat *in d. l. Generaliter. §. sin autem is cui sacramentum. 2. d. t. C. de reb. credit.* quam eleganter explicat Borcholt *d. tractat. de jurejurando cap. 9. num. 16. 17. 18. 19. 20. & 21.* Fachin. *dict. cap. 23. vers. E contrario verò.* Potest namque recusans justam suæ recusationis habere causam, quam judex fortè non satis diligenter expenderit, uti tractat *ibid. dict.* Borcholt.

ART. 10.

NOch oock van andere saecken die gheen uytstel mogen lijden, tot erkentenis des gerichts.

ART. 10.

NEc à causis quæ nullam ferunt dilationem, pro arbitrio judicantium.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Arbitrio judicis relinqui quænam sint causæ nullam dilationem ferentes, ubi remittitur ad exempla.*

2. Di-

2. *Dilationem non recipere causas alimenti, ideoque à sententia de iis lata non appellari,*
3. *Illud accipi tam quo ad effectum suspensivum quàm devolutivum.*
4. *Quatenus interlocutoria vim habeat definitivæ arbitrio judicis relinqui.*
5. *Appellationem in dubio esse admittendam.*

1 †IN eandem cum hoc articulo sententiam inquit Paulus jurisc. *in l. 7. ff. de appellat. recip.* si res dilationem non recipiat, non permittitur appellare. Quæ autem ea sit relinquitur arbitrio judicantis, prout eum intellectum habent verba textus, *tot erkentenis des gerichts*, jam antè aliquoties in eundem sensum repetita, ut *supr. cap. 2. art. 11. & 17. cap. 3. art. 2. 11. & 13. item cap. 5. art. 6. 10. & 12.* Huic simile est quod tradit Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib. 2. cent. 5. cas. 490. num. 2.* arbitrio judicis permitti, quænam habenda sit justa appellandi causa. Exempla huic arbitrio suppeditabit *d. l. 7.* cum Math. de Afflict. *decis. Neapolitan. 261.* Cæs Ursill. *ibid.* & quæ his similia occurrent
2 eòdem referentur: † ac inprimis si lata sit sententia in causa alimenti tam præsentis quàm futuri, sive id officio judicis sive instituta actione alicui decretum fuerit, maximè inopi. Neque enim ea res dilationem recipit sed summatim est cognoscenda *d. l. 7. & ibi Bart. junct. l. Si judex. 10. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt. l. si quis à liberis. 5. §. si vel parens. 8. cum seq. & ibi Dd. ff. de agnoscend. & alend. liber.* adeòq; hujus respectu non pauca volunt esse concessa privilegia Bart. & Dd. *In l. Mela. 14. ff. de aliment. & cibar. legat.* Ita decidit ferè post Math. de Afflict. *decis. 152.* Cacheran. *decis. 25.* Covarruv. *practic. quæst. cap. 6.* & alios Jacob. Cancer. *variar. resolut. part. 1. cap. 16. num. 17.* latè Nicol. Reusner. *decis. lib. 1. cap. 15.* ubi contrariis etiam occurrit. addatur illustrandi gratia Georg. de Cabedo *pract. obs. part. 1. de-*
3 *cis. 66.* † Intellige etiam tam quo ad effectum devolutivum quàm suspensivum, ut loquuntur, licet ex modo citatis non nemo remota suspensione executionis, devolutionem tamen appellationis non excludat

cludat, quod moribus Velaviæ data aliquo casu prohibitione appellationis non convenerit, ut jam antè notavi. † Et quemadmodum hic
4 arbitrium judicis præcipuè dominatur, ita vicissim ad idem illud recurrere oportet, si quæratur an deferendum sit appellationi à sententia interlocutoria, quatenus scilicet ea habet vim definitivæ ac damnum inferat quod in definitiva sententia non queat reparari Menoch. *dict. cas.* 490. Valasc. *consultat. tom.* 1. *consultat.* 47. ubi egregiè per tot.
5 & novissimè P. Christin. *decis. cur. Belg. vol.* 1. *decis.* 18. † Utrobique autem memoria tenendum est, permissam censeri appellationem, ubicunque prohibita non reperitur, ac proinde in dubio pro eadem admittenda esse pronunciandum *gloss. l. Qui restituere. & ibi Bald. Angel. ff. de rei vindicat. & gloss. in cap. Vt debitus. verb. rationabili causa. de appellat.* Innocent. *in cap. Dilectus.* 2. *de rescript.* cum aliis, quos sequitur, compluribus longa serie citatis, Andr. Tiraquell. *tractat. le mort saisit le vif. part.* 6. *declarat.* 6. *num.* 9. *&* 10.

ART. 11.

Teghens Clarong aen Engelander holdt gewesen sal geener hande oppositie toeghelaeten sijn, maer de selve Claronghen sullen onweygerlick by den officier dien het toestaet, sonder eenighe vordere procedure geexecuteert worden.

ART. 11.

Contra id quod in provocatione ad sylvam Anglicam definitum erit nulla admittetur intercessio, sed incumbet officiali, ad quem pertinet, absq; ulteriori processu illud executioni mandare.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Ratio hujus statuti duplex.*
2. *Revisio à summorum judiciorum sententiis prohibita:*
3. *Eadem aliquoties in comitiis petita ab Ordinibus tamen Gelriæ fuit rejecta:*

4. *Notabile istius rejectionis exemplum in comite Benthemiensi petente revisionem à sententia Scabinorum Noviomag. in judicio appellationis lata.*

5. *Difficiles etiam sunt Ordines in concedenda revisione à sententiis primæ instantiæ illorum judiciorum à quibus non appellari solet:*

6. *Quod declaratur quatenus &c.*

7. *Novissimam vel extremam provocationem à quolibet judice inter jura majestatis censeri à politicis scriptoribus.*

1 † HUjus articuli argumentum, quod largius aliquantò exprimitur *art.* 18. *tit.* 10. Reformat. Zutphan. duplici ratione firmari potest. Nam & supremi judicii appellationis, seu potius dixeris reformationis vel declarationis, *Claring*, cui per ulteriorem querelam quodammodo injuria infertur, autoritas, & litium finis tantopere à jure desideratus *cap. finem litibus. extr. de dolo & contumac. l. Properandum. C. de judic. l. Terminato. C. de fructib. & lit. expens.* omnem omninò videntur
2 respuere oppositionem. † Unde etiam communiter revisio à summorum judiciorum sententiis ut odiosa ita de genere prohibitorum
3 habetur juxta Valasc. *consultat. tom.* 1. *consultat.* 51. *num.* 1. & 2. † Et quamvis eadem in finitimis quibusdam provinciis sit frequens, memini tamen meo tempore aliquoties, ubi in comitiis petebatur, ab Ordinibus provinciæ nostræ rejectam fuisse omnem reformationem sententiæ à supremo aliquo appellationis judicio cum debita causæ
4 cognitione latæ. † Notabile ante id temporis extat exemplum in Comite Benthemiensi sive Steinfurtensi, cui in comitiis Arnhemiensibus *an.* 1621. denegata fuit revisio à sententia in judicio appellatio-
5 nis à Scabinis Noviomagensibus lata. † Quod tantò magis obtinebit, quantò difficiliores sunt iidem Ordines, & quidem nisi urgentissima sit causa, in admittendis revisionibus à rebus judicatis primæ instantiæ eorum tribunalium, à quibus vel privilegio vel longa consue-
6 tudine appellare non permittitur. † Circa quod tamen, habita ratione

tione circumstantiarum facti occurrentis, meminisse utile erit, solum Deum rectè judicare, & ex infirmitate humana proclivem cujusque in errorem esse lapsum, nec errorem unius aut plurium alteri debere esse nocumento arg. *l. Mandatum.2. in fin. ff. Mandati.* aut injuriam oriri unde jura nasci oportet *l. Meminerint.6.C. Vnde vi.* neque temerè denegandum esse à principe auxilium contra injuriam aut incuriam judicantium arg. *l.1.ff. de appellat. junct. l.1.ff. de injur.* Rebuff. *ad Constitut. reg. tom.1. tractat. de supplicat. in præfat. quæst.3.* Valasc. *dict. consultat.51. num.3.* Notum est illud Senecæ tragici in Thyeste:

Quicquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis dominus minatur,
Omne sub regno graviore regnum est.

7 † Et inter majestatis jura, quæ supremæ potestati, ac secundum formam regiminis provinciæ nostræ, solis Ordinibus competunt, politicis scriptoribus haud postrema est extrema seu novissima à quolibet judice provocatio, quæ vulgò *ultimus resortus* nuncupatur, de quo præter alios latè & eleganter Joan. Bodin. *de republ. lib.1. cap.10. pag. mihi 231.* Arnold. Clapmar. *de arcan. rerumpubl. lib.1. cap.19.*

ART. 12.

DIe willen appellieren ter Clarong, sullen dat doen binnen thien achter uit volgende dagen, nae den eygentlicken dagh der uytgespraecken sententie, t'sy dat sulcx te vooren bedongen is of niet.

ART. 12.

PRovocatione usuri eandem instituent intra proximos decem dies continuos à tempore latæ sententiæ, sive jam antè ita convenerit sive non.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Simile jus commune.*
2. *Interpositio appellationis intra præstitutum tempus facta probari debet, nec præsumi solet.*

3. *Tempus decem dierum eſſe continuum.*
4. *A deſerta appellatione ob lapſum fatalium excuſari pauperem.*
5. *A quo computatio curſus decem dierum inchoanda ſit.*

1 **B***Innen thien achter een volgende dagen &c.*) † Idem quod hic decem dierum ſpatium interponendæ appellationi præſtituitur à jure communi *in authent. Hodie. C. de appellat. cap. Quod ad. 15. extr. de ſent.*
2 *tent. & re judicat. cum gloſ. & Dd. utrobique.* † Quæ quidem limitata interpoſitio nunquam præſumitur, ſed legitimè probari debet ab appellante, cum ſit quædam extrinſeca ſolennitas ac quodammodo de ſubſtantia appellationis. Ita Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 95. num. 3. & 4.* ubi ſecundum hanc ſententiam declarat ſtatutum Brixiæ, Anton. Gabriel. Roman. *poſt mult. citat. commun. conclus. lib. 2. conclus.*
3 *5. num. 2. & 3.* † Et tempus iſtud intelligitur continuum, ut de momento in momentum fluat, computatis etiam eodem curſus tenore diebus feriatis *l. ſive pars. 3. C. de dilat.* idque non ſolùm ex communi præſumtione *l. Denique. 3. §. Minorem. 5. ff. de minor.* Bald. *in cap. cum vigeſimum. circa med. de offic. deleg.* quem cum aliis adducit Joan. Petr. Surd. *decis. Mantuan. 189. num. 1.* verùm etiam ſignificanter ex ipſis hujus textus verbis, *thien achter een volgende dagen,* id eſt, *decem dies continuò ſe invicem ſequentes, vel ſibi invicem nullo intervallo proximè ſuccedentes.* Vide Andr. Gail. *1. obs. 139. num. 5.* Alexand. Trentacinq. *variar. reſolut. lib. 2. tit. de appellat. reſolut. 6. num. 2. & 4. cum al. ab his citat.*
4 † Si tamen conſtiterit appellantem eſſe pauperem, meritò favore paupertatis ille excuſabitur, ne ob lapſa fatalia deſerta habeatur appellatio, ut poſt *Felin. in cap. Ex ratione. 8. num. 1. extr. de appellat. Innoc. & Panorm.* tractat Cornel. Benincas. *tractat. de privileg. paupertat. 7. quæſt. 3. ſpecial. in judic. num. 14. & ſeq.* cum quo, citatis etiam aliis,
5 tranſit Alexand. Trentacinq. *dict. reſolut. 6. num. 5. & 6.* † Ad hæc, pro declaratione prædictorum, ad mentem hujus ſtatuti obſervandum venit, computationem momenti ſumendam eſſe à die pronunciationem ſententiæ ſequente, ſeu dempto pronunciationis die ab altero

qui

qui sequitur, in verbis: *nae den eigentlicken dach der uytgesspraecken sententie*, ut ita dies termini non sit numerandus in termino. Cum quo pugnat prædictum jus commune, ut est apud modò citatos Gail. & Trentacinq. *dict. loc.* quod hac in parte sequitur Reformat. Zutphan. *tit.* 10. §. 2. & consuetudo Transisulan. *part.* 1. *tit.* 19. §. 14. utraque signanter decem dierum terminum inchoans à momento prolatæ sententiæ.

Glossa II.

SUMMARIA.

1. *Sensus horum verborum.*
2. *Tempus hic præstitutum ne quidem consentientibus partibus prorogari posse.*
3. *Verba*, sullen dat doen, *quam vim habeant.*

1 T*Sy dat sulcx te vooren bedongen is of niet*) † Sensus est, definito jam antè decem dierum spacio appellandum esse, sive ita inter partes convenerit sive non. Supervacua namque est sollicitudo ejus, de
2 quo statutum abundè prospexit. † Ex quo inferre libet prædictum terminum, utpote à jure præfixum, ne quidem utriusque partis consensu prorogari posse per gloss. ab omnibus approbatam *in cap. Cum sit Romana.* 5. *verb. recisius tempus. extr. de appellat.* quam cum aliis sequitur Andr. Gail. *dict. lib.* 1. *obs.* 139. *num.* 6. Mynsing. *cent.* 2. *obs.* 68. Anton. de Gamma *decis. Lusitan.* 389. Alexand. Trentacinq. *variar.*
3 *resolut. lib.* 2. *tit. de appellat. resolut.* 6. *num.* 11. † Adde quod verba textus, *sullen dat doen*, æquè ac dictiones *debent*, *oportet*, præceptum præ se ferunt, adeòque necessitatem inducunt, ne aliter aut contrà quàm præscriptum est fiat *l.* 1. *verb. nosse oportet. ff. de justit. & jure. l. Paulus.* 42. *verb. debere supplere & ibid Dd. ff. de re judicat.* Paul. Math. Wehner. *observat. practic. lit. S. verb. Sollen.* Ruding. *cent.* 4. *obs.* 67.

ART. 13.

Ende sal d'appellant binnen een maent daernae d'appellatie verburghen als vooren, ende binnen de voorss. tijt sijne gravamina ofte beswaernissen, waerom hy meint tot d'appellatie bevougt te sijn, dubbeld in geschrift leveren in handen van den lantscriver, om daer van het duplicaet te laeten volgen aen partije advers, te weeten aen den appellaet, die daer op binnen den tijt van een maent sal dienen van straf of contrabericht, allet bloot ende sonder eenighe bewijsstucken, welcke gravamina ende straffe of contradebat by den processe gevougt ende ten tijde van de clarong neffens t'selve process voorgebracht eñ verlesen sullen worden, Edoch by soo verre by den appellant geene gravamina ingebracht mochten worden, t'welck hem vry staen sal, sal die geappellierde oock niet vorder hebben by to brengen, maer sal op de vorige ingediende stucken alleen recht gedaen worden.

ART. 13.

Satisdabit præterea intra mensem appellationis ergo appellans suorumque intra prædictum tempus gravaminum, ob quæ appellandum duxerit, duplex porriget exemplar actuario rurali: quorum alterum cedet adversario, scilicet appellato, ut intra unius mensis spacium contrarium libellum reponat. Singula verò hæc erunt nuda absque ullis probationum documentis, addenturque ipsis causæ actis & cum iisdem constituto tempore definitionis proferentur ac legentur. At ubi nulla ab appellante porriguntur gravamina, quod eidem liberum est, neque etiam appellatus quicquam adducere cogetur, feretur-que sententia super iis quæ jam antè in judicium sunt deducta.

Glossa I.

SVMMARIA.

1. *Simile huic loquendi genus indicatur.*
2. *Fidejussoriam hic requiri cautionem, quod præjudicio firmatur,*
3. *Vlterior ejus confirmatio, adducto etiam simili stylo judiciorum Bataviæ.*

1 D'*Apellatie verburgen)* † Idem loquendi genus aliquoties in hiſce Velaviæ conſuetudinibus recurrit. Ut ſuprà cap. 12. *die clachte ver-*
2 *burgen.* & infr. cap. 33. art. 6. *het erf-huys verburgen.* † Et quamvis, juxta text. *art.* 1. *h. tit.* & quæ ibid. ac ad *art.* 4. *cap.* 8. tractaverim, idonea tum jure tum conſuetudine ſit habenda cautio quæ vel pignoribus ſeu bonorum, ut loquuntur, hypothecatione, vel datis fidejuſſoribus fit: attamen ſpecialiter hæc quæ interpoſitæ appellationis ergo ab appellante hic exigitur datis fidejuſſoribus erit implenda, prout me monuit aliquando bonæ memor. parens Martin. Goris Gelriæ dum viveret Cancellar. definitum fuiſſe inter Batenburg &
3 Anholt appellantes & comitem Benthemienſem appellatum; licet idem tum non improbabiliter contrariam tenebat opinionem. † Sed pro confirmatione eſſe poterunt ea quæ *dict. cap.* 12. diſponuntur & text. *in d. art.* 4. *cap.* 8. qui in hujus generis cautione fidejuſſores idoneos poſtulat, videturque verbum, *Verburgen*, idem inſinuare. Nam (ut loquitur Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom.* 1. *tractat. de ſentent. executor. art.* 1. *gloſſ.* 16. *num.* 11.) *quando quis tenetur dare cautiones burgenſes, cautions bourgeoiſes, tum tenetur dare fidejuſſores.* Accedit communis ſtylus judiciorum vicinæ Bataviæ, vulgò *de Betuwe*, tetrarchiæ Noviomagenſis.

Gloſſa II.

SUMMARIA.

1. *Similis conſuetudo Tranſiſulan. repugnante tamen jure communi.*
2. *Appellationes noſtrates magis haberi reviſiones.*
3. *Conſentit aliquatenus cum jure communi Reformat. Zutphan.*
4. *Inquiritur, an probationes novæ admittantur, quando teſtes primæ inſtantiæ in appellationis judicio falſitatis convincuntur.*

Allei

1 *ALlet bloot ende sonder eenige bewijsstucken)* † Huic consonat consuetudo Transisulan. *part.* 1. *tit.* 19. §. 14. *in fin.* statut. Daventr. *part.* 2. *tit.* 18. sed pugnat cum jure communi *in l. Per hanc* 4. *C. de tempor. &*
2 *reparat. appellat.* † adeòque appellationes in patria frequentatæ magis habendæ sunt Revisiones ex iisdem actis, quàm propriè dictæ appel-
3 lationes, uti notavi suprà *ad rubricam hujus cap.* † Sed variat Reformat. Zutphan. *tit.* 10. §. 17. dum nudam gravaminum deductionem ita admittit, ut tamen partibus hinc inde non adimatur facultas producendi novas probationes ac earundem utrimque communicatio &
4 refutatio. † Quid autem si testes anterioris instantiæ in hoc appellationis judicio justis probationibus falsitatis convincantur? Durum sanè & exemplo perniciosum fuerit hoc casu prædictum juris Velavici effatum, quamvis generale, non moderari ac cum gravaminibus admittere hujusmodi nova documenta, salva tamen parti adversæ eorundem debita refutatione. Probatur per notat. *in l. fin. circa fin. C. de fid. instrument. cap.* 1. *& cap. cum venerabilis.* 6. *cum gloss. ibid. extr. de exceptionib.* Andr. de Isernia *ad constitut. Neapolitan.* quem sequitur Math. de Afflict. *decis. Neapolitan.* 266. *& ibi in annotat. Cæs. Vrsill.*

ART. 14.

ALs nu onse ghenedige heer stadtholder selfs, of door gesubstitueerde wil richten ende claren in Veluwe, t'welck alletijt omtrent Lamberti, ende ten minsten alle twe jaeren of eerder, op kosten van gesinnende partije gheschieden sal, Soo sal sijne Gen. doen bevelen den Drost van Veluwe ende den Richter van Arnhem ende van Veluwe-soom sulx drie veerthien dagen te vooren, te weeten drie sonnendagen, elck veerthien dagen nae malcanderen verscheiden, in alle kerspe-

ART. 14.

Quando autem clementissimus dominus noster proprinceps vel ipse vel per substitutum aliquẽ jus dicere ac definire in Velavia cupit, quod semper circa Lamberti unoquoque biennio aut citeriùs fiet expensis partis postulantis, præcipiet idem Satrapæ Velaviç & judici Arnhemiç ac orç Velavicç, ut triplici antè intervallo quatuordecim dierum, tribus scilicet dominicis diebus eodem spacio

kerſpelen oeres ampts te laeten verkondigen, op dat niemant die ter claronge te doen hadde eenige ontſchuldt ſyner onwetentheit hebbe voor te wenden, gelijck dan den Droſt bevolen ſal worden te doen publiceren by de richteren van de vier kleine kerſpelen, die oir ſelfs gericht voeren, als by naemen Hoevelaecken, Scherpenſeel, Niebrouck eñ Oldtbrouck, om oire ſaecken dan mede in de ſelve bancke ter clarong te brengen, wie oock tot gelijcken einde de Richter tot Arnhem ende in Veluwe-ſoom ſulcke publicatie ſal laeten gheſchieden by den heere van Doorenweert ende den Roſendael, ten waere die ſelve by ſpeciale privilegie kunden bewyſen daer van exempt te ſyn.

ART. 15.

ITem ſal de heer ſtadtholder alle die vã de ridderſchap ter claronge ghenomineert tot achtien int getal ende daer van ſijne Gen. met die van den Rade de namen ter goeder tijdt by gheſchrift ſullen over gelevert worden, doen verſchriven in perſoon veerthien daghen te vooren op den beſtemden dach ende plaetſe te komen ende ſijne Gen. te helpen richten eñ claren, welcke voorſ. genomineerde van jaer tot jaer ſullen mogen worden verandert vermindert of vermeerdert nae gelegentheit van ſaecken.

ſpacio diſiunctis, in ſingulis præfecturæ ſuæ parochiis denunciari curent, ne quis, qui ibi agendum habet, ignorantiæ ſuæ prætextum aliquem obtendat. Iubebitur ſimiliter idem Satrapa curare, ut à judicibus quatuor minorum parochiarum, videlicet Hovelakii, Scherpenſelii, Novæ ac veteris paludis, quorum proprium eſt tribunal, eadem publicatio fiat, quò ſuas etiam cauſas ad hoc appellationis judicium deferant. Idem fiet à judice Arnhemiæ ac oræ Velavicæ quo ad toparchas in Doorenweerd & Roſendael, niſi hi ſpeciali aliquo privilegio ſe inde exemptos docere queant.

ART. 15.

ITem curabit proprinceps quatuordecim antè diebus ad diem & locum conſtitutum conſcribi juris dicundi ac definiendi cauſa omnes, quicunque ex ordine equeſtri uſque ad octodecim nominati, quorumque nomina eidem ac Concilio in tempore transmiſſa fuerint. Qui quidem ita nominati ſingulis annis mutari, minui augerive poterunt, prout res exegerit.

ART. 16.

Sal insgelijcks sijne Gen. aende hooft ende kleine steden van Veluwe doen schriven, ten minsten oock veerthien dagen te vooren, op dat de hoofstadt twee ende elcke der kleine steden een vā oire raetsvrunden ter voorß. clarong schicken mogen.

ART. 16.

Significabit pariter clementissimus dominus, diebus minimùm antè quatuordecim, primariæ cæterisque minoribus Velaviæ urbibus, quò illa duos, hæ verò singulę unum è Senatoribus suis ad prędictum appellationis judicium delegent.

ART. 17.

Alle welcke ghecommitteerden van ridderschap ende steden voor dachgelt genieten sullen vier gulden daegs, voor die geene soo met een of meer dienaers compareren, ende sonder dienaers verschienende drie gulden des daegs.

ART. 17.

Omnes autem delegati tum equestris ordinis tum urbium pro diario habebunt quatuor florenos, quicunque videlicet uno pluribusve famulis comitati adsunt, absque his cęteri non accipient nisi tres florenos in singulos dies.

ART. 18.

Daer beneffens sal de heer Stadtholder doen verschriven eenen heer vā Voorst, gelijck d'andere vande ridderschap van Veluwe ende geene wtheemsche meer.

ART. 18.

Convocabitur præterea à principe, uti cęteri ordinis equestris Velaviæ, toparcha Voerstensis, ac præter hunc nullus alius extraneus.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Vnde hi articuli desumpti sint indicatur.*
2. *An Dominus de Voorst ad judicium appellationis admissus alteri vices suas mandare possit? Neg.*

3. Ex

3. Ex quatuor Baronibus Gelriæ nemo in comitiis per procuratorem repræsentari potest: Ut nec comes Culenburgi, contrà quàm antehac obtinuit.

1 † HI omnes articuli junctis articulis *hujus cap.* 23. *&* 24. maximam partem desumpti sunt ex eo quod sub Arnaldo Gelrię Duce *anno* 1446. de jure dicundo per Velaviam constitutum est, quomodo hoc, licet mutilatum, refertur à Joan. Isac. Pontan. *histor. Gelric. lib.* 9. *pag.* 494. *vers. Estque hoc temporis tractu &c.* Nec eget textus minimè obscurus nulloque ferè observatu notabilis longiore commentario, ideoque transmittendus, ne quis occinat illud poëtę: *turpe est difficiles habere*
2 *nugas, & stultus labor ineptiarum.* † Sit tamen pro corollario, an iste Dominus de Voorst, qui *art.* 18. inter cęteros equestris ordinis viros ad judicium hoc appellationis vocatur, per procuratorem aut vicarium comparere queat? Et quamvis affirmanti faveat textus *in cap. si quis* 46. *cum. gloss. ibid. de elect. & elect. potestat. in* 6. tamen, cum quilibet alius extraneus excludatur ac speciali favore hujus persona ad hoc admittatur, verius fuerit prędictum dominum de Voorst alteri suas partes in hoc actu demandare non posse, argumento ejus quod circa electionem judicatum refert & consulendo sequutus est Ludovic. Charond. *in res-*
3 *ponsis juris Gallici lib.* 13. *cap.* 1. † Facit quàm maximè quod ex quatuor Ducatus Gelriæ Baronibus, vulgò *Banner-heeren*, nemo in comitiis repræsentari possit per procuratorem, prout decretum fuit in comitiis Noviomagensibus *anno* 1592. Atque ita abolitum est contrarium decretum comitiorum Arnhemiensium *anni* 1577. Idem dictum fuit in comitiis Zutphaniensibus *anno* 1593. quo ad Comitem Culenburgensem.

ART. 19.

ITem sullen neffens de heer Stadtholder of des selves gesubstitueerde aen yeder sijde sitten een van de gecommitteerden wt den Raede provinciael, om daer mede raets

ART. 19.

AD hæc assidebit utrimque proprincipi ejusve vicario, consultandi gratia, delegatus aliquis ex Senatu provinciali, quorum tamen

vaets te plegen, soo nochtans dat de selve drie niet meer als een stem en sullen hebben, ende beneden sijne Gen. of gesubstitueerde voorss. sal sitten de Drost vã Veluwe, in qualiteit als officier, ende neffens den selven de voorss. heere van Voorst, volghens die vande ridderschap ende daer nae die ghedeputierden der hoofi ende kleine steeden.

men trium unicum tantùm computabitur votum, & infra proprincipem vicariumve prædictum sedebit Satrapa Velaviæ, ut officialis, huicque proximus toparcha Voorstensis, quem sequentur equestris ordinis reliqui & primariæ minorumque urbium delegati.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Argumentam art.*
2. *Demonstratur ex diversis autoribus suos olim judicibus & principibus assedisse consiliarios.*
3. *De ordine sedendi seu præcedentia,*
4. *Eundem non esse turbandum:*
5. *Ratio ejus.*
6. *Stylum & consuetudinem attendi circa præcedentiam.*
7. *Ordinem scripturæ sæpè demonstrare ordinem dignitatis.*

1 † DUo hujus articuli sunt membra, quorum altero tractatur de iis qui ex concilio provinciali adsident proprincipi ad consultandum, altero de ordine considendi qui servatur inter eos ex quibus hoc
2 judicium appellationis vel declarationis constituitur. † Ad primum quod attinet, more veterum, qui hujusmodi vel assessores vel viros consiliarios jus dicentibus & principibus attribuebant, illustrari potest. Sic *in l. Metum. 9. §. Sed quod. 3. ff. Quod met. caus. gest.* Ulpianus se prætori assedisse dicit, & constat *ex l. Lecta. 40. ff. de reb. credit.* Paulum Papiniano præfecto prætorio in auditorio assedisse. Quod similiter quo ad prætores in provinciis arguitur ex quarta Ciceronis in Verrem. *Interfui* (inquit Plinius *lib. 4. epist. 22.*) principis optimi cognitioni in consilium assumptus. Et idem *lib. 6. epist.*

epist. 31. *Evocatus* (inquit) *in consilium à Cæsare nostro ad Centumcellas* (*hoc loco nomen*) *longè maximam cæpi voluptatem. Quid enim jucundius quàm principis justitiam, gravitatem, comitatem in secessu quoque, ubi hæc maximè recluduntur, inspicere? Fuerunt variæ cognitiones & quæ virtutes judicis per plures species experirentur.* Pluribus non immoror, sed remitto ad Franciscum Pollet. vel hujus potius interpolatorem Philip. Brodæ. *histor.*
3 *fori Roman. lib.* 5. *cap.* 6. ubi latè de hujus generis assessoribus. † Superest secundum membrum, quod de ordine sedendi, vel, ut loquuntur, *præcedentia*, Gallis *la preseance*, ex qua non raro inter magnates, quod ratione status, ut dicunt, defendi potest, magnæ concitantur contentiones, sed & inter privatos, quæ horum temporum est ambitio, non minimæ oriuntur simultates. Certè ordo per universam mundi machinam in cælestibus juxtà ac terrestribus multùm eminet, & tam in iis quæ animo quàm sensu percipiuntur elucet, uti longa argumentorum serie disserit Gregor. Nazianzen. *orat.* 26. Nec mihi videntur errare (ut utar verbis Quintilian. *Institut. orator. lib.* 7. *in præfat.*) qui ipsam rerum naturam stare ordine putent, quo confuso peritura sint omnia. Facit quod tractat Elbert. Leonin. Gelr. Cancellar. *con-*
4 *sil.* 1. *num.* 1. & 2. † Unde rectissimè hoc loco præscribunt Reformatores ordinem sessionis, qui, ut prærogativa honoris, nullo modo turbari debet *gloss. in l. Quisquis.* 6. *in fin. ad verb. standi. C. de postuland. l.* 1. *C. de consulib. tit.* 3. *lib.* 12. *l. Tyrones.* 3. *tit.* 44. *lib.* 12. *C. de tyronib.*
5 Anton. de Gamma *decis. Lusitan.* 1. *num.* 9. † Siquidem ita comparatum est in quolibet regimine ut omnes in una eademque qualitate & æqua lance (ut loquitur Leonin. dict. loc.) gubernari aut vivere non
6 possint, *text. ad hoc notabilis in Can. Ad hoc dispensationis. distinct.* 89. † In quo tamen circa præcedentiam, ut ita loquar, multum attendetur stylus & consuetudo juxta Anton. de Gamma *dict. decis.* 1. *num.* 31.
7 adde *cap. Cum olim.* 6. *extr. de consuetud.* Gail. 1. *obs.* 21. *in fin.* † & scripturæ ordo, ut hic, plerumque demonstrabit ordinem dignitatis per notat. Panorm. *in cap.* 1. *de majoritat. & obedient.* quem sequitur Modestin. Pistor. *vol.* 1. *cons.* 51. *num.* 34.

ART. 20.

ENde sullen als dan nae older ghewoonte soo wel sijne Gen. of des selves stadtholder, als die geene die by de selve ter Clarong sitten sullen, beloven eñ sweeren recht eñ rechtveerdige claronge te doen nae voorghebrachte schijn ende bescheidt in goeder conscientie.

ART. 20.

AD hoc promittent jurabuntq; pro more veteri tam proprinceps ejusve vicarius, quàm cæteri assessores judicii appellationis, se bona conscientia justè definituros secundum id quod allegatum probatumque fuerit.

Glossa.

SVMMARIA.

1. *De juramento præstando ab iis qui judicium appellationis muniunt.*
2. *Explicantur verba textus*, nae goeder conscientie.
3. *Judicem oportere judicare secundum acta & probata*,
4. *Quod tamen declaratur*, & *num.* 5.

1 † QUemadmodum solenne est ut ad officium qualecunque promotus de munere suo rectè implendo juratò promittat: Ita precipuè servandum venit in judice qui publico nomine partium litigantium controversias sententia sua componit, quod visus quoque est sentire Plato *in* 1. *de legib.* Ideòque non sine ratione hic cavetur de jurejurando tum proprincipis ejusve vicarii, tùm cæterorum assessorum judicii appellationis, eo scilicet fine ut ex integra conscientia justè judicent secundum id quod deductum & probatum fuerit, *nae voorgebrachte schijn ende bescheidt in goeder conscientie*, ut habent verba
2 textus. † Et ita intelligitur conscientia lege munita ac publica, secundum quam judex ut publica persona, non autem secundum privatam ut privatus judicare tenetur, prout in simili post Alexand. Bald. & alios interpretatur Cacheran. *decis. Pedemont.* 79. *num.* 46. Quod summatim efferre soleo, judicandum esse judici prout secundum præscriptum

ſcriptum juris dictaverit conſcientia. † Ex quo per hunc art. ſupervacua erit quęſtio, de qua in utramque partem apud juris interpretes controvertitur, utrumne judex ex actis & probatis potius, quàm ex propria conſcientia, hoc eſt, ex eo quod privatim cognovit, judicare debeat? Nam & hanc in modò adductis verbis decidit atque adeò eam amplectitur opinionem quæ vult judicari ſecundum acta & probata non verò ſecundum conſcientiam, quam cum allegatis ſequiter Covarruv. *variar. reſolut. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. Maſcard. *de probat. conclus.* 951. Cacheran. *dict. decis.* 79. *num.* 45. Jul. Clar. *practic. criminal.* §. *fin. quæſt.* 66. *num.* 2. eleganter Jacob. Cujac. *lib.* 12. *obſervat. cap.* 19. & judicando approbavit ſenatus Mechliniens. referente Paul.
4 Chriſtin. *decis. Cur. Belg. vol.* 1. *decis.* 4. *num.* 5. † Placet tamen pro hujus ſententiæ declaratione, quò omnis porrò conſcientiæ ſcrupulus evitetur, ut ſi religione (quæ verba ſunt Cujacii *dict. cap.* 19.) moveatur judex quo minus judicet contrà quàm ipſe ſciat rem ſe habere, ut perſonam judicis deponat & ſuſcipiat teſtis, quod ſuaſiſſe Doctores quoſdam ibidem dicit. & ſuffragatur ex parte Franciſc. Hotoman. *in illuſtrib. quæſtionib.* 27. *quæſt. in verbis : religioſius facturos judices àrbitrarer, ſiquidem hujuſmodi ſunt, ut ab iis provocatio ſit, ſi ſe ab eo judicio abſtineant: atque adeò, ſi verè id poſſunt, teſtes ſe liberè in ea lite ac præſertim in criminalibus cauſis præbeant.* adde Joan. Coras. *miſcellan. lib.* 4. *cap.* 20.
5 *num.* 12. † Quod & ex ſuprà traditis locum habebit in iis judicibus à quibus nulla datur provocatio, quamvis *prædict. loc.* ſecus ſentiat dict. Hotomannus, cui repugnat communis Doctorum opinio.

ART. 21.

VOorts ſijne Gen. in maniere, als boven verhaelt, geſeten ſijnde ter Clarong, ſal d'overſte pander verkundigen dat ſijne Gen. daergheſeten is ter Clarong, ende dat daer omme een yeder ſijn recht waer-neemen.

ART. 21.

POſtquam porrò modo prædicto aſſederit proprinceps, denunciabit ſupremus pignorator eundem ibi præſidere definiendis cauſis appellationis, utque ob id quiſque juris ſui curam gerat.

ART. 22.

ART. 22.

Als dan sal het gerichts-bouck gheapent ende de processen nae d'ordre datse sijn inghekomen op de rije gelesen worden, ende als sulcx gheschiet ende een der selver gelesen is met des appellanten gravamina, indien daer eenige syn, ende die straffe ende contrabericht daertegens by den appellaet ingebracht, sal syne Gen. of die geene die sulcx by syne Gen. bevolen wort daer op omvragen, Welverstaende dat alle die geene die het oordeel daer aver gheclaert sal worden hebben helpen wijsen, of daer inne geconsuleert, opstaen ende gheene stemmen hebben sullen, doch sy sullen wel mogen te kennen geven die redenen oirer wysinghe, ende sal als dan by de aenwesende nae de meeste stemmen hooft voor hooft ghegeven by den heer stadtholder of des selves gesubstitueerde geconcludeert ende volgens inder saeeke geklaert worden nae behooren, ende soo voorts d'een nae d'ander.

ART. 22.

Tum demum aperientur judicii adversaria leguntur que causarum acta eo ordine quo exhibita sunt. Et post absolutam unius eorum lectionem cum gravaminibus, si qua sunt, appellantis, hisque contrario libello appellati, perrogabit proprinceps, aut is cui hoc mandaverit, singulorum opiniones. Secedent tamen omnes qui eam cum aliis tulerunt sententiam, quæ modò declaranda venit, aut qui de ea consulti responderunt, non prohibiti interim reddere rationes judicati sui. Tandem ex plurium præsentium suffragiis singulatim latis à proprincipe ejusve vicario concludetur ac porrò definietur in causa ut decet, quam suo ordine reliquæ quoque sequentur causæ.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *In rogandis opinionibus à digniore esse incipiendum.*
2. *Idque moris fuisse antiquissimi.*
3. *Aliud servari in Gallia parlamentis, ubi ex arbitrio præsidis rogantur sententia.*

4. *In*

4. *In quibusdam curiis is primus rogari solet qui novissimus in collegium aßumptus est. Adducitur locus Taciti.*
5. *Quod hoc statutum non admittit.*

1 D*Aer op om vragen*\ † Idem ordo, qui suprà art. 19. in sessione, servandus erit in rogandis singulorum assessorum sententiis, ut scilicet à digniore ad inferiorem procedatur. Quod comprobat non solùm usus, sed & ipsum jus Romanum *in l. spurii. 6. §. Privilegiis.*
2 *5. ff. de decurionib. & in l. 1. in fin. ff. de albo scribend.* † Et aliàs moris fuit antiquissimi, ut qui alios dignitate præcederet primus in concilio sententiam ferret, quod tradit A. Gell. *noct. Attic. lib. 14. cap. 7.* quamvis, ut idem refert, novus postea mos institutus sit per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet qui haberet senatum.
3 † Hoc prostremum sequuntur suprema Galliæ tribunalia, quæ parlamenta dicimus, in quibus ab autoritate præsidis pendet, ad instar Octavii Augusti, de quo Sueton. *in Augusto cap. 35.* sententias non more neque ordine, sed prout libuerit perrogare, ut perinde quisque animum intendat, ac si censendum magis quàm assentiendum sit, testatur Gerard. Maynard. Senator Tholosas *notabil. quæst. lib. 1. cap. 71. num. 2.*
4 † Alibi probatur ut primus sententiam rogetur is qui novissimè in collegium assumptus est, ne videlicet juniores vel minus experti vereantur dissentire à sententia seniorum, eorumve quorum fortè major est in rebus tractandis experientia, de quo more Math. de Afflict. *decis. Neapolitan. 1. num. 6. & 7.* Cacheran. *decis. Pedemont. in proëm. num. 11.* Georg. de Cabedo *practic. observat. part. 1. decis. 6. num. 8.* Paul. Christin. *decis. Cur. Belg. vol. 1. decis. 8. num. 1. & 2.* Eòdem spectat illud Taciti *annal. lib. 3. Exemit* (Scil. Tiberius) *etiam Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ. quod alii civile rebantur, ne cæteris adsentiendi necessitas fieret.* Et apud eundem *1. annal. lib.* Cn. Pisonis acutè & liberè dictum: *Quo loco censebis Cæsar? Si primus, habebo quod sequar. si post omnes, vereor*
5 *ne imprudens dissentiam.* † Cæterùm quoniam omnes eodem tempore ad hoc appellationis judicium alleguntur, nec alter altero vel

momento sit prior, posthabitis his considerationibus primus meritò rogabitur qui dignior reputatur, ut jam demonstravimus.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Majoris numeri suffragia vincere. ubi loci consonantes & autoritas Plinii,*
2. *Idem magis confirmatur & illustratur.*
3. *Non valere consuetudinem, quæ vult in actibus gerendis non stari parti majori.*
4. *Utile esse ut judices numero impari assumantur.*
5. *In paritate votorum hîc præferendam eam partem cui accedit proprinceps ejusve vicarius.*
6. *Fallit in criminalibus.*
7. *Tractatur quid agendum sit, si in colligendis votis tres pluresve discrepantes opiniones sese offerant, & num. 8.*
9. *Quod plurium votis decretum est exequi convenit. ubi locus Livii & Plin.*

1 *SAl als dan by de aenwesende nae de meeste stemmen &c.)* † Huic consonat *art.6. cap.21. supr.* Item Ordinat. Cancellariæ Gelricæ *art.3.* quem, inter cætera à Carolo V. Imp. ac Duce Gelriæ constituta, etiam recitat Joan. Isac. Pontan. *histor. Gelric. lib.13. pag.851. Numerantur enim* (ut loquitur Plinius *lib. 2. epist. 12.* ad Arrianum) *sententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale quàm æqualitas ipsa. nam cum sit impar prudentia par omnium jus est.* Et valet hic antiquæ cujusdam legis caput, de quo apud Ciceronem in epist. ad familiares Cœlius *lib.8. epist.8. Quod eorum ju-*
2 *dicum major pars judicarit, id jus ratum esto.* † Cui cum omnium gentium, quæ civilibus institutis reguntur, moribus etiam ipsa natura suffragatur, dum nec rerum deliberandarum difficultas, nec humani

ingenii varietas permittat, ut eadem singulis placeant, sitque interim tum iniquum tum societati humanæ nocivum ut minor pars majorem vincat, vel infecta maneant quæ fieri opus est. Refer huc text. *in cap. Episcopus. cum gloss. ibid. in verb. Plurimorum. distinct. 65. l. Quod major.* 19. *ff. ad municipal.* & vulgatum illud Jurisperitorum, pro majori parte tanquam pro saniori præsumi, exactè Math. de Afflict. *decis.* 1. *num.* 4. *& ibid. Cæs. Vrsill. in annotat. num.* 2. ubi ita conclusum dicit in Senatu Neapolitano, Anton. de Gamma *decis. Lusitan.* 1. *num.* 2. ubi illud usu & stylo fuisse comprobatum tradit, Anton. Tessaur. *decis. Pedemont.* 1. *num.* 2. ubi latè & Georg. de Cabedo *practic.*
3 *observat. decis.* 6. *num.* 3. 4. *&* 5. † Ex quibus idem Afflict. *dict. loc.* quem sequitur Georg. de Cabedo *dict. num.* 5. asserit non valere consuetudinem quæ vult ut in actibus gerendis non stetur majori parti.
4 † Ad hoc autem multum refert ut hujusmodi seu judices seu assessores numero impari assumantur. non quoniam (ut loquitur Ulpianus de arbitris *l. Item si unus.* 17. *§. principaliter.* 6. *ff. de recept. qui arbitr. recep.*) consentire omnes facile est: sed quia, & si dissentiant, invenitur pars
5 major, cujus arbitrio stabitur. † Neglecta verò hac cautione in paritate votorum eam partem hic præferendam existimo, cui suum calculum adiecerit proprinceps ejusve vicarius. Nam & hoc meretur ejus dignitas *l. Majorem.* 8. *ff. de pact.* duorum præsertim è Senatu provinciali adsidentium, pro quorum scientia & experientia jure præsumitur, consilio munita, & ita ex stylo senatus Pedemontani, quo ad præsidem, servari tradit Tessaur. *dict. decis.* 1. *num.* 5. Georg. de Cabedo *dict. decis.* 6. *num.* 3. quos sequitur Paul. Christin. *decis. cur.*
6 *Belg. vol.* 1. *decis.* 8. *num.* 8. *cum seqq.* † Neque moneo, hanc sententiam sibi locum tantùm vindicare in civilibus non autem in criminalibus causis, in quibus magis inclinamus ad absolvendum quàm condemnandum juxta Tessaur. *dict. decis.* 1. *num.* 13. *l. Inter pares.* 38. *ff. de re judicat.* Senec. *epist.* 82. Quintilian. *declamat.* 254. quia non harum sed illarum solùm tractatus hic instituitur.
7 † Digna etiam consideratu est quæstio, quid agendum sit, si in col-

ligendis votis tres pluresve discrepantes judicum opiniones sese offerant? Extat pro superanda hac difficultate constitutio Ludovici 12. Galliæ regis, promulgata *anno* 1512. ut recitant Joan. Bodin. de Republic. *lib.* 3. *cap.* 4. Gerard. Maynard. *notabil. quæst. lib.* 2. *cap.* 9. qua jubetur harum minima, id est, in qua numerus opinantium minor est, reduci ad unam ex majoribus. Et quamvis primo intuitu eadem constitutio visa fuit admodum dura, quasi vim inferret conscientiæ judicantiũ in rebus quę eorum prudentię & religioni committuntur: procedente tamen tempore, ut bonis innixa rationibus, ita utilissima & justissima comperta est, ne propter variantes opiniones suo fine, id est, litium compendio, fraudaretur justitia ac nulla data conclusione confusio in tribunalibus nasceretur, quomodo iisdem ferè rationibus & pluribus pro ea differunt dict. Bodin. & Maynard. *loc.*
8 *jam citat.* † Comprobavit eandem latâ sententiâ Senatus Parisiensis *an.* 1527. ut testatur Joan. Papon. *lib.* 4. *tit.* 6. *arrest.* 30. ubi addit hanc vim esse æquam per text. gloss. *in l. Juris gentium. in fin. in*
9 *verb. sed quæ est hæc æquitas. &c. cum l. seq. ff. de pact.* † Quicquid porrò plurium votis decretum (vel ut habet textus noster) conclusum fuerit exequi convenit. De quo eleganter apud Titum Livium histor. Roman. *lib.* 32. *cap.* 20. Achæorum prætor Aristhenus: *Dicendi* (inquit ferè) *& suadendi quod quisque aut velit, aut optimum putet occasio est priusquam quicquam decernamus: Vbi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus antè displicuerit, pro bono atque utili defendendum.* Et Plinius *lib.* 6. *epist.* 13. Singulos integra re dissentire fas esse; peractâ, quod pluribus placuisset cunctis tuendum.

ART. 23.

ALs des Drosten gericht soo wel van de ampten van Veluwe als van de voorß. vier kleine kerspelen uytgeclaert sal sijn, sal de Drost van sijne plaetse opstaen ende den Richter van Arnhem ende

ART. 23.

IUdicio appellationis Satrapiæ tum præfecturarum Velaviæ tum quatuor minorum parochiarum finito discedet à loco suo ipse satrapa, eique succedet judex Arnhe-

ende van Veluwe-ſoom weder in ſijn ſtede gaen ſitten, ende ſullen als dan gheklaert worden die ſaecken van de gherichten van Veluwe-ſoom, in vouge als boven geſeit is.

Arnhemiæ ac oræ Velavicæ & definientur cauſæ ibidem controverſæ pari modo quo ſuprà dictum eſt.

ART. 24.

ITem als de heer ſtadtholder, of des ſelves geſubſtitueerde uyt der bancke wil opſtaen, ſal de ſelve altijdt een ander in ſijne plaetſe ſtellen.

ART. 24.

QUandocunque proprinceps ejuſve vicarius à tribunali recedit, ſubſtituet alium ſuo loco.

HIs articulis, ſi opus, lucem fœnerari poteris ab iis quæ dicta ſunt ſuprà ad *art.* 14. cum ſequentibus aliquot, quamvis aliàs in ſe ſatis perſpicui ſint.

ART. 25.

TOt vervallingh van de onkoſten over de Clarung gerequireert ſullen alle appellanten by overleverungh van oire gravamina in ſaecken van duyſent gulden ende daer onder weerdigh inlegghen hondert gulden, ende van proceſſen beloopende over de duyſent gulden ſullen ſy hondert daler tot dertigh ſtuver to erlegghen ſchuldigh ſijn.

ART. 25.

EXpediendis neceſſariis ſumptibus futuræ Declarationis conſignabunt appellantes juxta editionem gravaminum ſuorum in cauſis, quæ mille florenis & minoris æſtimantur, centum florenos, in aliis autem prædictam ſummam ſuperantibus centum daleros, in ſingulos eorundem numerando triginta ſtuferos.

ART. 26.

DE reſte van de onkoſten ſal voor openingh of uytſpraeck van Clarongen

ART. 26.

QUod reliquum erit expenſarum ante prolatam ſen-

vonghen aen partijen tot kennisse van den hoogen gerichte gevonden worden, doch alsoo dat de winners op de verliesers behoorlicke restitutie van haer verschot sal worden geadjudiceert.

tentiam appellationis arbitrio supremi judicii imputabitur partibus, ita tamen ut victoribus ejus quod erogaverint conveniens restitutio à victis facienda adjudicetur.

Glossa I.

SUMMARIA.

1. *De sumptibus judicialibus sportulisque.*
2. *Declaratur textus, quare sumptus judiciales litigantibus imputentur, tollendo ea quæ ex jure adversari videntur.*
3. *Illustratur ab exemplo delegatorum quondam Ordinum Gelr.*
4. *Item ex legibus Visigotorum. consuetudinem facere licitum quod videretur illicitum,*
5. *Comprobatur dicto Augustini.*
6. *Pauperem tamen non teneri ad has impensas.*

1 TOt *vervalling van de onkosten &c.)* † Sumptus hi judiciales τὰ δικαστικὰ Cujacio *in paratit. C. de sportul. & sumptib. in divers. judic.* qui & pedaneis judicibus, quod nulla ut magistratus constituta habeant salaria, dari dicuntur *Novell.* 82. Sunt quasi sportulæ, de quarum origine, conditione & æstimatione tum dict. Cujac. *loco citat.* tum Andr. Alciat. *Dispunct. lib.* 3. *cap.* 17. & Joan. Gars. *tractat. de expens.*
2 *& meliorat. cap.* 21. *num.* 11. 12. *&* 13. † Et quamvis primo aspectu videtur, quod judex officio suo fungi debeat propriis impensis arg. *l. Suo victu.* 18. *ff. de oper. libert. cap. Cum ab omni.* 10. *extr. de vita & honestat. clericor.* Gars. *dict. cap.* 21. *num.* 5. sitque etiam perniciosum hujusmodi quasi sportulis eundem assuefacere accipiendis muneribus,

quæ, ut ſacra habet pagina, jus dicentium animos excæcant: quia tamen ſumptus hi ſunt maximè neceſſarii *l. Neceſſarias. 8. ff. de pignoratit. act.* nec ſuum cuique officium debeat eſſe damnoſum *l. Sed ſi quis. 7. ff. de teſtament. quemadmod. aper.* non ſine ratione imputantur litigantibus, quorum intereſt litem decidi; atque eo quidem magis, quod ſupremi hujus appellationis judicii aſſeſſores nulla habeant ex publico ſtipendia *d. cap. cum ab omni. 10. de vita & honeſtat. clericor. cap. ſtatutum. §. inſuper. de reſcript. in 6.* Rebuff. *ad conſtitut. reg. tom. 3. tractat. de ſalar. taxat. art. 1. gloſſ. un. num. 13.* Gail. *1. obs. 151. num. 10.* † Sic jam olim in hac provincia fieri conſvevit, & obſervare licet in ſententiis ab Ordinum Gelriæ delegatis *anno* 1539. latis ubique ferè in fine earundem fieri mentionem harum expenſarum ab utroque aut alterutro litigantium exſolvendarum † In legibus quoque Viſigothorum *lib. 1. tit. 2. cap. 25.* judex vigeſimum ſolidum accipit pro labore & judicata cauſa ac legitimè deliberata. Ac proinde dicemus conſuetudinem facere licitum quod aliàs videretur illicitum *cap. denique 4. diſtinct.* Rebuff. *dict. tractat. art. 1. in gloſ. num. 18.* † Quò pertinet egregium illud Auguſtini *epiſt. 54.* ad Macedonium: *Extorta*, inquit, *per immoderatam improbitatem repeti ſolent, data per tolerabilem conſuetudinem non ſolent: magiſque reprehendimus qui talia inuſitatè repetiverunt, quàm qui ea de more ſumpſerunt, quoniam multæ neceſſariæ perſonæ rebus humanis vel invitantur hujuſmodi commodis vel tenentur.* ‡ Cæterùm pauperem, qui verè ita ſit, ad has appellationis impenſas non teneri æquius benigniusque exiſtimo *text. id dict. cap. Statutum. 11. §. inſuper. in fin. cum gloſſ. ibid. de reſcript. in 6.* Cornel. Benincas. *tractat. de privileg. paupertat. quæſt. 4. num.* 24. Cæs. Urſill. *ad Math. de Afflict. decis. 231. in annotat. num. 7.* & hanc quoque eſſe praxim in ſupremo Mechlinienſi concilio ac ſenatu urbico tradit Paul. Chriſtin. *decis. Cur. Belg. vol. 2. decis. 150. num. 7.* Vide ad ulteriorem illuſtrationem *l. ſolent. 6. & quæ ibi communiter notant interpretes ff. de offic. procons.*

Gloſſa.

Glossa II.

SVMMARIA.

1. *Victum in expensas condemnari.*
2. *Fallit si justam litigandi causam habuerit.*
3. *Quænam justa litigandi causa habeatur arbitrio judicis relinqui.*
4. *Tractatur quæstio, an appellatus primæ instantiæ sententiam pro se habens, si in appellationis judicio succumbit, in expensas condemnandus sit.*
5. *De litium expensis earumque condemnatione & taxatione, remissivè.*

1 D*Och alsoo dat de winners &c.)* † In his prædictorum quædam adnectitur declaratio, qua appellanti victori ejus, quod quasi sportularum nomine erogaverit, restitutio adjudicari jubetur. Victori inquam, nam si succubuerit in expensas omnes condemnatur, juxta vulgatam regulam, *Victum victori in expensis condemnari l. Eum quem. 79. ff. de judic. l. Properandum. 13. §. Sive autem. 6. C. eod. l. Non ignoret. 4. C. de fructib. & lit. expens. Novell. 82. de judicib. §. oportet autem. cap. Fi-*
2 *nem litibus extr. de dolo & contumac.* † Intellige tamen ex communi jurisperitorum opinione, nisi justam litigandi causam habuerit, cujus exceptionis etiam in appellationis instantia locum esse, post *Panorm. in d. cap. Finem litibus.* meminit Didac. Covarruv. *practic. quæst. 27. num. 3.*
3 *vers. Hæc verò sexta declaratio &c.* † Quænam verò habenda sit justa litigandi causa, cum in facto consistat, certa definiri regula non potest, quod ait Bald. *in l. Vt vim. ff. de justit. & jure,* quem sequitur Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib. 2. cap. fin. part. 5. §. 18. num. 4.* ideòque judicis arbitrio relinquendum erit, qui habita circumstantiarum diligenti consideratione variè æstimabit, prout post alios ostendit Menoch. *de arbi-*

4 *trar. judic. quæst. lib. 2. cent. 2. cas. 177.* ‡ Sed major hic occurrit dubitatio, an appellatus, prioris instantię pro se habens sententiam, si in hoc appellationis judicio victus fuerit, in expensas condemnandus sit, nec ne? Quia autem ex prædictis constat appellantem, quatenus aut justam aut injustam habuerit litigandi causam, nunc in expensas condemnari nunc ab iisdem liberari, sequi videtur dari aliquando casum quo appellatus iisdem vel integris vel ex parte oneretur. Vulgata quidem est Doctorum distinctio, quam refert Andr. Gail. 1. *obs.* 12. *num.* 5. appellatum in expensas esse condemnandum, quatenus in judicio appellationis judicatus ex iisdem actis succumbit, quatenus verò ex novè deductis & probatis, eundem à dictis expensis esse excusandum eousque ut compensatio earundem admitti debeat. quasi priori casu interpositione appellationis præsumptio justę litigandi causę ex prima sententia nata jam sit elisa, posteriori verò non item, cùm novis fortè nec antea adductis documentis motus primam illam sententiam retractaverit appellationis judex. At cum suprà dictum fuit moribus Velaviæ aliisque hujus patriæ exolevisse *l. Per hanc. C. de tempor. appellat.* qua permittitur in judicio appellationis non deducta deducere, non probata probare, vix est ut prædictæ distinctioni locus hic concedatur, nisi appellatum semper in expensas condemnare velimus, secundum decisionem Capellæ Tholosanæ *quæst.* 222. Quod mihi per quàm durum videtur, quandoquidem non protinus appellatus ex eo quod nunc vincitur iniustam litigandi causam in priore instantia habuisse dicendus est, cum nonnunquam benè latæ sententiæ in pejus reformentur, neque utiq; melius pronunciet qui novissimus sententiam fert, ut ferè inquit Ulpian. *in l. 1. ff. de appellat.* adde quod Francisc. Vivius *decis. Neapolitan.* 47. judicatum prodidit, appellatum ne quidem ex iisdem prioris instantiæ actis in appellationis judicio succumbentem appellanti in expensas fore condemnandum. Idcircò & hoc arbitrio judicantium permittimus, veluti ex sententia Baldi in camera Imperiali servari testatur Gail. *dict. lib.* 1. *obs.* 152. *num.* 5. *vers Cujus opinionem &c.*

utcunque contrarium velit Mynsing. *cent.* 2. *obs.* 89. ac Gailii opinionem videtur approbare Andr. Fachin. *controvers. jur. lib.* 1. *cap.* 41. *in fin.* & memini inter consultandum ac judicandum ita fuisse tractatum decisumque.
5. † Porrò de litium expensis earumque condemnatione & taxatione videndi præ aliis Covarruv. *practic. quæst. dict. cap.* 27. Gail. 1. *obs.* 151. Joan. Parlador. *rer. quotidian. lib.* 2. *cap. fin. part.* 5. §. 18. & novissimè neque minus accuratè Petr. Gudelin. *de jure noviss. lib.* 4. *cap.* 13.

ART. 27.

Soo yemant geappelliert hadde om int besit te bliven, ende nae sijne gestelde cautie ofte burgtael op't appel vertege, om die breucke te ontgaen, die sal gelijckewel in de breucke van veertich daler tot dartich stuver vervallen syn, als oock in gelijcke breucke vervallen sal wesen d'appellant indien hy by de claronge bevonden wort qualick gheappelliert te hebben.

ART. 27.

Qui retinendæ possessionis gratia appellaverit, ac post præstitam cautionem appellationi renunciaverit ad evitandum mulctam, non eo minus mulctabitur quadraginta daleris, in singulos eorum computandis triginta stuferos. Qua eâdem mulctâ plectendus quoque erit appellans, qui perperam appellasse judicabitur.

Glossa.

SUMMARIA.

1. *Pœnas temerè appellantibus esse constitutas, ubi loci juris & consuetudinis similes.*
2. *Autoritas rei judicatæ magna.*
3. *Declaratur sensus hujus art.*

4. *Justam*

4. *Iustam appellandi causam à pœna excusare, cujus dijudicatio arbitrio judicis relinquitur.*

1 † NE liberum quis (inquit Paulus *recept. sentent. lib.* 5. *tit.* 33.) & solutum haberet arbitrium retractandæ & revocandæ sententiæ & pœnæ & tempora appellatoribus præstituta sunt. Quò intendunt hoc loco Reformatores, cui consonat consuetudo Transisulan. *part.* 1. *tit.* 19. *art.* 19. Instruct. Cur. Holland. *apud Paul. Merul. prax. Holland. lib.* 4. *tit.* 3. *cap.* 14. Jodoc. Damhouder. *prax. civil. cap.* 241. & passim usus benè constitutorum tribunalium. Adde præterea text. *in l. Eos qui.* 6. §. *Ne temerè.* 4. *l. A proconsulibus.* 19. *C. de appellat. l. Ab executione.* 5. *C.*
2 *Quor. appellat. non recip. ac promiscuè ad dict. ll. Dd.* † Atque hoc meretur autoritas rei judicatæ, quæ ex juris placito pro veritate accipitur *l. Ingenium.* 25. *ff. de stat. homin. l.* 207. *ff. de reg. jur.* ut tandem quis juris sui certus & litium sit finis, quas minui publicè interest *l. Quidam existimaverunt.* 21. *in fin. ff. de reb. credit.* Videtur hinc appellans in mala fide versari, ut ex iisdem fundamentis adstruit Boër. *ad consuetud. Bitu-*
3 *ricens. tit.* 2. §. 28. *gloss.* 1. *in princip.* † Sive igitur quis (quæ mens est hujus art.) postquam retinendæ possessionis causa appellaverit eoque nomine cautionem interposuerit, prædictæ appellationi renunciat, quò mulctam evitet: sive postea, persequendo scilicet appellationem, malè appellasse judicatus fuerit, præter litis impensas, incurret pœnam quadraginta dalerorum. Illud verè est frustratoriæ dilationis causâ ad appellationis auxilium convolare, ut habetur *in l. Si clericus.* 2. *C. de episcopal. audient.* hoc in injusta ac temerè interjecta semel appellatione perseverare, vel, ut loquitur *d. l. Eos qui.* 6. §. *ne temerè C. de appellat.* malam litem persequi, quod utrumque pœnam quam diximus
4 jure accelerat, quæ Gallis dicitur *l' amende du fol appel.* † Circa quam tamen observare oportet, si qua iusta appellandi causa appareat, non minus eam à temeritate ac proinde ejus pœna aliquando absolvere, quàm soleat justa litigandi causa liberare ab expensis. Cujus dijudi-

catio cùm certa regula comprehendi non queat, meritò, ut in expensis, judicantium arbitrio committitur, quomodo simile Statutum Pedemontium declarat Menoch. *de arbitrar. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 2. *cas.* 177. *num.* 18. *& eod. lib.* 2. *cent.* 5. *cas.* 445. *num.* 8. à quo per varios ibidem relatos casus, si in facto contingat, optimè dirigetur jus dicentium prudentia.

LAUS DEO.



LAMBERTI GORIS JURIS C.

Syndici Noviomag.

FARRAGO

Carminum abortivorum,

adjecto eorundem indice circa finem.



NOVIOMAGI.

Ex Typographia *Nicolai* ab *Hervelt.*
Anno Domini 1645.



FRATRI SUO GERMANO ET CHARISSIMO,

IACOBO GORIS,

Senatori & Scabino Noviomagensi, nec non Collegii ordinarii Delegatorum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ hoc tempore assessori S. D.

LAMBERTUS GORIS IURISC.



T in vita, sic in studiis severitati comitatem esse miscendam non abs re olim existimavit vir suo seculo cum primis eximius. Nam quemadmodum illa perpetuò seria in tetricitatem degenerat, adeòq; divinæ particulam auræ non parùm affligit: ita hæc, nisi festivis animi remissionibus distinguantur, tantùm non enecant & inutile reddunt quantumvis versatile & vegetum ingenium. Qua ratione ductus, dum severiori scientiæ juris operam impendo assiduam, non eo minùs, grata quadam intermissione ad amæna humaniorum litterarum vireta, pro modo occupationum publicarum, libenter excurro, atq;

hinc

hinc ſubinde poëticas delicias deguſtare non erubeſco. Verè affirmo, à labore & difficili & moleſto hoc quicquid eſt diverticuli tale mihi ſemper fuiſſe, qualis ſopor feſſis in gramine, &, quotquot ſimiliter tentare non pigrabuntur, idem experturos meo periculo lubens ſpondeo. Cum autem in hujuſmodi otio, cujus etiam ſua ex prudentum conſilio conſtare debet ratio, incondita quædam nata mihi eſſent Carmina, ex iis aliqua graviori opuſculo, veluti mantiſſæ loco, tùm tuî tùm lectoris gratia accedere paſſus ſum. Præterquam enim, quod hujus ex mearum ad Conſuetudines Velavicas commentationum lectione contractum fortè faſtidium detergere aut ſaltem diſſipare queant, quoniam gratæ etiam ſolent eſſe vices utcunque ingratæ; tùm volupe, niſi vehementer fallor, tibi fuerit ea in illis recolere, quorum ob multas cùm publicas tùm domeſticas cauſas non poteſt non eſſe gratiſſima ſemper recordatio. Sanguinis ad hæc commune vinculum, ut cætera abſint, imperare quodammodo videtur, ut non alio quàm tuo in nomine hoc quicquid eſt mearũ nugarum lucem aſpiciat publicam. Vale mi Frater, & utrimque, dum hac luce fruimur, amare pergamus.

Noviomagi prid. Non. Mart. An. CIƆ IƆC XLV.



Lamberti Goris J.C.

FARRAGO

Carminum abortivorum.

ELEGIA

In obitum fratris sui desideratissimi, Ioan. Goris I. V. L. Anno 1625. prid. Non. Novembr.



IAM procul amoto meditabar carmina luctu,
Mirabar risus Calliopæa tuos;
Nescio quæ præter solitum, nec vana profabor,
Pertentant mentem gaudia blanda meam;
Confestim attonitus nostras cum nuncius aures
Vulnerat, haud cœli de meliore plaga:
Qui mihi te ereptum, Frater germane, reportat,
Ah nimiùm verus nuncius ille fuit!
Ferreus ille fuit, duroque adamante creatus,
Qui tantum siccus ferre nefas potuit.
Quos ego tunc motus sensi, suspiria ab imo
Pectore quæ duxi, quî maduere genæ?
Incuso cœlum, si fas, tua numina, Parcæ,
Singultus crebri verba diserta negant.
Siccine Frater abis, sic, qui tua cura, relinquis,
Lethæos sine me sic juvat ire lacus?
Respice, si nostri nondum te oblivio cepit,
Jungere si dextras aut datur in tenebris.
Qualiter aëriâ consuevit turtur ab ulmo
Comparis amissi fata sui gemere;
Quem seu pastor agens telis, seu fortè viator
Per nemus incautum sustulit umbriferum:

Non secus immenso juvat indulgere dolori,
Amissi quoties Fratris imago subit.
Quid vetat? in dias eadem quos luminis auras
Diverso quamvis tempore dat genitrix:
Educat à teneris eadem quos cura parentum,
Atque idem in studiis ardor amorque fuit.
Ah fuit, & meminisse piget, quo tempore Leida
Inter discipulos fovit utrumque suos.
Non tunc præcipites egit (tua numina testor)
Assiduò vitiis turba operata suis.
Illa sed inprimis doctæ pellacia Musæ
Arrisit, Themidis proxima cura fuit.
Spumantes pateras haurire & ducere noctes
Ludo, vel Thracum pugna relicta aliis.
Non ea cura tibi, sed mens lympharier ausa
Quærit in abstrusis jura diserta locis.
O quoties juvit tenebras junxisse diei,
Noctivagasque poli detinuisse faces;
Donec vel Paulus, vel Celsus, Papinianus
Placatus penitas sponte referret opes.
Hinc tibi præsignes tribuebant publica vota
Doctorum laudes, promeritumque decus.
Adde, sed ingenui mores cum fronte serena
Te potuêre imis illatebrare animis.
Nec vigor ingenii tenus his, nec vivida virtus
Constitit, autorem cælo imitata suum:
Sed subit à patriis terras lustrare repostas
Arvis, atque solum sole calens alio.
Utque amor in prædam, pugnæque innata cupido
Excitat armigerum, qui decus alituum;
Ille per obstantes, nullo prohibente, catervas
Insolito nisu præmia certa petit:
Idem agit in Musas ardor, nullosque labores
Exantlare domi, sive foris piguit.
Testis eris nostræ dudum benè cognita pubi,
Facundis semper Gallia fœta viris.
Testis eris. nam Diva tenes, cum tempora lauru
Cinctus ovans laudem susciperet geminam.
Rarus honos juveni. neque enim tum lustra peracta
Quinque, nec in roseis umbra notata genis.
Quàm tunc credibile est nymphas plausisse sorores
Aut Rhodani aut Araris, Sequana quasve tenet;
Lætitiâque ipsos elatis cornibus amnes
Vicinos imis insonuisse vadis.

Quin

Quin etiam auditæ voces: sit mactus honore
Quisquis Justitiæ templa serena subit:
Det Deus, o juvenis, longævi Nestoris annos,
Tithoni superes secula longa senis,
Ut te decrepitum Iuris veneretur asylum
Patria, cum pandes civica jura foro.
Talia jactantur, responsant avia longè
Et nemora, & latè confraga saxa sonant.
At non intonuit lævum, heu, nec sternuit omen
Dextrum de cælo, qui regit omne solum.
Irrita ventosæ rapiunt ea vota procellæ,
Ridet & obscuro Parca sinistra specu.
Nec sublesta fides. dextram tetigisse parentum
Vix datur, aut patriis oscula ferre focis;
Cum miser ante diem florentibus occubat annis
Sævâ depastus membra decora lue.
Dira lues, funesta lues, quæ trans Styga nata
Nutritur gremio dira Megæra tuo.
At vos *egregiam laudem, spolia ampla refertis*
Atropos, aut Clotho, sive sies Lachesis.
Quis furor aut rabies crescentem mittere in herbam
Falcem, quæ vix dum vellere nata solo?
Tanti sit pietas, tanti doctrina polita,
Ingenium tanti numina sæva putant?
Anne aliquem satius pullato perdere cætu,
Quem male- deturpant propria -facta virum?
Aut cui debilitant vires annusque diesque,
Et tremulo pendet corpore laxa cutis?
O spes fallaces hominum, non munere Cæli
Mancipio, ast usu vita cuique datur!
Vita cuique datur, nec pomis illa caducis
Dispar, cui finem cernimus ambiguam:
Hæc matura cadunt, tempestas deiicit illa,
Saxorumve ictu cætera acerba ruunt.
Sed te felicem, nec in hos, germane, tumultus
Servaris, meritò dixero sorte tua.
Ecce iterum in patriam tumidus grassarier infit
Hispanus, nostris sic mage notus avis.
Iustitia, ac pietas, patrum fundata cruore
Relligio prisco non ita culta modo.
Et subiere locum sordes, sceleratus habendi
Crescit amor, crescit protinus omne nefas.
Causa mali fœcunda, Hydram quæ vincere possit,
Nam fuerat capitum fertilis illa minus.

Ecquis non mundi finem jam rere propinquam,
Signaque ceu nihili dissimulanda putas?
Ecquis non bellis æternæ munera pacis,
Atque solo cælum præposuisse velis?

De laudibus

NOVIOMAGI,

Urbis

GELRIÆ

Ducatus primaria.

ANNO 1630.

O Flos nobilis urbiumque ocelle,
Quas vel *Gelria*, *Belgium* vel usquam
Circumplectitur, orbis ille ocellus,
Queîs te laudibus efferam merentem?
Hinc reddit venerabilem vetustas
Te multùm spatiosa, sed vicissim
Illinc condecorat decens venustas;
Quales vermiculatum opus probare
Tessellę soleant suum arte junctæ.
De palma simul illa & ista utrimque
Contendunt dubio anxioque fine.
Ut noctu via, luce sub maligna,
In sylvis malè amica commeanti,
Cum primùm gracili resurgit ortu
Errans Cynthia: Non secus peritos
Exercet labor, è tenebricosis
Dum chartis satagunt prioris ævi
Autoresque tuosque conditores
In lucem dare, queîsve quondam aratro
Iunctis collibuit suis juvencis
Designare locumque terminumque
Muris. Hic repetit Magum paterno
Regno posthabito suas locasse
Sedes, atque suum indidisse nomen
Urbi primitus: Ille non minori
Rursum syrmate colligit subinde

Hessum

Hessum cum duce patre conditorem,
Cattorum capita, indicemque ponit
Portam, nomine quam illius minores
Dixerunt. Loca mirio sed alter
Regnata hæc eadem exuli fugato
Marcomiro, & originem usque *Romæ*
Accersit, citat auspicemque *Iulum*,
Dictatura cui obtigit perennis,
Quosve obscura alios recondit ætas.
Nugæne, affaniæne? Magna at hercle
Vis hæc, indiciumque pervetusti
Splendoris, neque mustei popelli!
Ecquem præterea *Oppidum* latere
Possit, quod *Tacitus* tacendus ille
Nunquam dixerit esse *Battavorum*;
Tum cum sisteret unus omnium rem
Civilis Batavam, haud volente *Romæ*
Et jure ac meritò asserit superbis
Neumagi titulis disertus ille
Pontanus pater elegantiarum,
Pontanus decus eruditionis.
Quæ porrò propiora veritati,
Et sæclis mage posteris propinqua,
Constantine juvat videre, & inter
Fulgentes aquilas tuas columbis
His pennas dare. Mox palatium fit
Non ignobile tertium imperantis
Tum Regis *Caroli*, perenne *Magni*
A rebus benè fortiterque gestis
Qui nomen tulit: Excitantque turres
Tarpeis similes, nimis beatas,
Felicesque nimis, nisi intulisses
Fatalem populisque mœnibusque
Cladem diluviemque *Barbarorum*
Imi rector & arbiter supremi.
Heu quantas dedit hæc cohors ruinas!
Sed mox auspicio pari resurgit,
Oppressumque diu caput tenebris
Attollit meliore *Barbarossæ*
Cura ac munere *Cæsaris Fredrici*,
Et lucem aspicit elegantiorem.
Hinc volventibus ImperI manebat
Urbs annis, modò *Contributionum*
Quæ finem statuit, *Pedemque* Regni

Sub *Francis*, monumenta si loquuntur
Verum. Pignoris obligata jure
In *Gelros* abit, & suæ fatentur
Tandem metropolim caputque terræ,
Cæsar cum Gulielmus imperaret;
Quo nunc nomine non minus cieri
Lætatur, decoris tenax vetusti.
Si spectare situm loci libebit,
Non est angulus aut amœniori
Cœlo, vel genio benigniori
Terræ: Pascua, pinguia atque culta
A tergo ac facie ima summa cingunt;
Inter quæ, specie *Dei bifrontis*,
Assurgunt cumulo, crepidinemque
Montis mœnia permeant ter ampla,
Lunæ cornua qualiter subinde
Divisæ sinuantur: Hinc *Vahalis*
Rauco turgidus alluit fluento
Assultim crepitans, genusque quodvis
Largo suppeditat sinu natantum,
Et merces & opes remoto ab orbe
Demittit facili alveo beatas.
Nam quid nunc operum manus, quid alta
Dicam culmina sacra vel profana
Cocti pulveris asperique tophi
Congestu fabricata? Quidve turrem
Arcis conspicuam, quadrata penè
Quæ surgit? fora quid? vias quid? istum
Quid portum, manus arsque posterorum
Antiquos imitata quem cavavit
Terræ viscetibus, deditque circum
Muri mole nova, locum carinis
Securum? Adde tot ordini cuique
Privilegia, publicasque dotes
Divûm munere *Cæsarum* tributas,
Et quos *Gelria* Principes habebat.
Leges adde sacras, gravem senatum,
Artes, ingeniumque singulorum,
Seu tu Mercuriive, Palladisve
Addictos cupias sacris, alumnos
Seu Martis, fera bella cum minantur.
Adde hinc compositos virûm, atque sexus
Mores fœminei haud minus decentes.
I nunc oppida compara vetustas

Anti-

Antiqui populi, aureasque leges;
Non sic libera jura tunc fuere,
Non æquale jugum patri atque plebi.
Hic quidquid Venerum Cupidinumque
Aut urbes Latiæque Græciæque,
Aut usquam teneant beatiores,
Congestum videas benigniori
Naturæ cumulo, manuque larga.
O verè soboles superba *Magni*
Et *Iuli* & *Caroli*, vetusta quondam
Arx gentis *Batavæ*, inclytis tuorum
Autorum titulis honoribusque
Digna urbs, nomine digna conditorum!
Te Concordia, teque alat beata
Pax, & Copia defluat benigno
Cornu, sint procul hinc fames, egestas,
Hostilesque metus eant protervis
Portandi in mare Creticum procellis.

Nobiliss.

HERMANNO
à
BRONCHORST,

Consobrino suo, sponso. Anno 1631.
28. *Septembr.*

FElicem meritò quin compellemus, & ipsis
Articulis cœlum te tetigisse tuis;
Cùm quod præscribunt leges, quod sanguine juncti
Suadent, naturæ & vis docet ipsa facis.
Contigit ingenio, genio, par contigit annis
Uxor, & ambobus par genus à proavis.
Una hæc disparitas, discernit sexus utrumque,
Utque illi tu alius, sic alia illa tibi.
Scilicet in votis fuit hoc, primævaque sanxit
Lex, ut sint justi gaudia justa thori.
Sed quod cæpisti fortunet gratia Cæli,
Donet & optati pignora conjugii.
Cum sponsa assiduò concordes sponse, sed adde,
Illa senem quondam te veneretur anus.

Epicedium

Epicedium

In

Obitum patris chariſſimi,

MARTINI GORIS,

Juriſc. Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Cancellarii. An. 1632. 1. Aug.

TE Venloa dedit, rapuitque Arnhemia Gelris,
Et Noviomagum cive carere dolet:
Gallia perfecit, docuit Germania, Leida
Conſulti titulum detulit in Batavis.
Fatalem perhibent quem, ſexageſimus annus
Tertius invidit vivere dulce ſeni.
Sexta Senatorem, ſed ſeptima olympias ipſum
Conſilii ſummum viderat antè caput.
Quid tituli, quid opes, aut quid prudentia proſint,
Exclamat meritò ſorte ſua monitus,
Is qui te quondam præceſſit in ordine Præſes
Saſbout, vicinâ contumulatus humo.
Mors nulli parcit, ſtultos ſapientibus æquat,
Plebs hic cum Patribus conditione pari.
Sola viri virtus ſuperat, mundanaque ſpernit
Mens cognata Deo. SIT TIBI TERRA LEVIS.

Aliud per Ioan. Iſac. Pontanum, Med. Doct. & profeſſorem, Ordinum Gelriæ Hiſtoriographum.

QVis hoc ſepulchro tegitur? ille Gelriæ
Princeps Senatus, ſive Cancellarium
Libet vocare; qui tacere, qui loqui
Noratque rite quæque cancellis ſuis
Aptare, nec non collocare ſingula,
Ille ille Goris patre Jacobo ſatus.

Qui

Qui Nestor esset melleæ vocis sono,
Alterque Pericles vocis elatæ tono,
Vtramque faciens paginam, si res daret.
En lingua tacet hæc, patriæ hoc jacet bonum!
Quid magna? minima? cuncta debentur neci;
Quid nullus? aliquis? est homo umbræ somnium.
Sed terra terram, spiritus cœlum tenet.

Aliud per JOAN. SMITH, *Ecclesiæ Noviomagensis pastorem.*

CVr Mosa, cur Vahalis, cur Rhenus & Isala latè
Sub Cane diffusis intumuere vadis?
Cur in messe omnes Zephyrus, Notus, Eurus & Auster
Versis naturæ legibus imbre pluunt?
Gorisius Gelri columenque decusque Senatus
Occidit, ablato Curia Patre dolet.
Nunc omnes cælique plagæ, patriique tetrarchæ
Nunc fluvii, lachrymis immaduere suis.
Quid mirum in tanto lachrymas nos fundere luctu,
Cum lachrymas socient ipsa elementa suas?

In TERRÆ MOTVM, *qui fuit circa quartam matutinam 25. die mensis Martii an. 1640. Julian.*

VEre novo, gelidas noctis superaverat umbras,
Et creperum lucis mane ciebat avis;
Cum me continuo reparantem membra sopore
Attonitum motus concitat insolitus.

Vibrabat tellus concusso pondere, quale
Ætas quæ nostræ proxima non meminit.
Causa latet, physicis vix indaganda magistris,
Tam malè conveniunt, scissaque sunt studia.
Ille secundarum solus fabricator, & autor
Causarum indubiè suspiciendus ovat.
At tibi perpetuo spondes qui fœdere cuncta,
Quo stamus stabile hoc quàm sit ubique nihil,
Quique inhias mundo, quanta hæc insania, disce,
In re spem tremulâ constituisse tuam.
Fixa Deo spes sit, sacro mens pura volatu
Hos inter motus cælica templa petat.
Non hîc mutatur Dominus, vestigia firmans
Devotæ mentis, lapsus ut orbis eat:
Te solum, quodcunque omen sit, ritè rogamus,
A patriâ avertas quæ mala commeruit.

In

BISTERVELDIAM,

Prædium suum rusticum. 24. *Februar.* 1644.

RES non parta labore, sed relicta
(Ut cum Bilbilico loquar poëta)
Matris delitium, patrisque quondam,
Bisterveldia, nostra nunc voluptas,
Quid primo celebrem loco, secundo
Quid, dotesne tuas, situmne? Utroque
Clares nomine. Pagus imminet, non
VVerefride, tui beàte honore
Insignis tumuli minus, frequenti
Quàm cætu populi vetusta latè
Priscorum *Batavûm* loca occupantis.
Olim *Elista* fuit, vocatur *Elsta*
Nunc: Sed tempus edaxque longioris
Ævi usus quoque *Marithaime* spissis
Involvit tenebris: Ducemque nescit
Pipini sobolem suis tabellis
Martellum tibi *VVillebrorde*, gratis
Concessisse locum, orbe cum redemto
Septem secula, ter decemque junctos
Sex annos numeramus. Adde utrimque

Arnhemum

Arnhemum Noviomagumque, primas
Inter Gelria quas recenset urbes,
Æquali spacio ferè propinquas.
Prudens prætereo suis notare
Agrum limitibus, mihique nulla est
Latifundia cura glorioso
Partitim numerare, ne qua possit
Transvorsim mala fascinare lingua.
Isthoc sufficit, ut tuos cachinnos
Evitare queam poëta salse,
Si plus quàm cochleam peracta messis
Tandem compleat, aut locum fenestræ
Si rus hoc superet, Lupi facetus
Dixti prædiolumve villulamve
Qualem. Sed procul hinc facesse gens quæ
Sueta es delitiis. Neque otiosis
Myrtetis locus occupatur iste,
Nec molli tilia ordinatur, ulmo,
Buxis tonsilibusve. Rure vero
Lætamur mage, barbaroque campo.
Hic per pascua lusitant aperta
Læta armenta boum, gregique equino
Permixti vituli, angulusque porco
Divisus suus est: Vagatur illic
Cortis turba domestica inquinatæ;
Gallinaceus, altilesque circum
Gallinæ, innocuæ gemunt columbæ,
Argutus strepit anser. Et vicissim
Arvum parte aliâ suum colonum
Raro destituit, sinu benigno
Præbens credita: Seu siliginem, seu
Pisum, sive fabam, hordeumque avenam,
Seu far triticeum petis. Sed adde
Quæ pomaria condidit paterna
Quondam cura nepotibus, salictum
Agri viminibusque sepibusque
Tutamen. Neque enim asper aut arenis
Damnatus locus est, malum nec omen
Fert in nomine. Rhetorum docebunt
Pigmenta antiphrasin remota quâ sit
Bisterveldia fronte tetrica. O quid
Condignum precer intimo favore
Aut me, dotibus aut tuis? Iovemne,
An Chlorim, Veneremne, Runciamne,

 Robi-

Robigum facilem, Palem, Segestam,
Ipsam vel Cererem, deos, deasve,
Quas plures sibi fabricata gens est
Perversâ pietate numinis tunc
Veri ignara ? Procul sed ista nobis
Sit vecordia. Sola nam supremi
Cælorum Domini benigna largè
Ditat gratia, prosperatque messes.
Ergo hunc suppliciter rogamus unum,
Sit clemens, faveatque hero & colono.
Non te, Villula nostra, vel pruina,
Vel grando, pluviæve, siccitasve
Affligant nimiæ, ustulet nec aura
Seri frigoris: Aureo fruaris
Pacis munere perpetim, nec inde
Te miles populetur, aut quietem
Turbent tympana cum tubis sonoris.
Voti summa mei: Tuam Catulle
Vim venti horribilem atque pestilentem,
Vitet, millia quindecim & ducentos;
Utcunque opposita ad Favoni & Austri,
Aut sævi Boreæ aut Apeliotæ
Flatus terribiles, minus nocentes.
Sic te discupiam videre, & illos
Perlustrare tuos agros, & istos
Rivos visere, juncta & arboreta.

Ad Reverendum & doctissimum dominum,

JOANNEM SMITH,

Ecclesiæ Noviomagensis pastorem. 13. *Jul.* 1644. *cum illi dono mitterem numum argenteum.*

SMeti, moribus, eruditione
Inter præcipuos, mihi colende,
Quæso, fronte numisma sume eâdem,
Præsens, quâ tibi dat tuus Gorisus.
Utcunque haud memoret stupenda Romæ
Facta, aut Cæsaris exprimat nepotum

Vultus, quos benè promus atque condus
Servas, eximium ſoli paterni
Mixtum laude decus: Tuo paratu
Indignum tamen haud reor, vel imo
Subſediſſe loco diem notandum
Belgis unanimis; Arauſiûm quo
Princeps, ad ſolium Iovis levatus,
Captam civibus exhibet Veſalam
Cum Sylva Ducis, atque liberatos
Agros Velaviæ. Hinc equeſtri honore
Conceſsâ hac ſtatua. O Deus citato
Quàm tunc triſtia gaudio rependis,
Motus machina qualiter tragædûm
Mœſtos diſſipat! At mei tenebis
Quodcunque hoc monumentum, & æſtimabis
Affectu mage, quàm ſuo metallo,
Vel dextræ pretio, nimis puſillo,
Atque infra meritum nimis maligno.

Reſponſum
D. JOAN. SMITH
ad præcedentes Hendecaſyllabos.

ADeſte Hendecaſyllabi, quot eſtis
Omnes, undique quotquot eſtis omnes.
Virûm floſculus eruditiorum,
Non horum modò, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut Numagis erunt in oris;
Idemque omnibus & meis amicis
Antiſtat mihi millibus trecentis:
Me vult Goriſides habere nummum,
Argenti grave pondo puſtulati,
Sed dextra artifici probâque factum.
Verè Phidiaci toreuma cæli,
Quo Veſalia capta, Sylva victa,

Et Velavia liberata, picta est;
Quo se qui patriæ patrique vovit,
Grande Henricus eques refert trophæum.
Hæc gemmâ patriis notanda fastis
Scæna est: qua Batavum premebat hostis,
Et pulsum Batavus subegit hostem.
Æstas perculit & levavit una.
Quid nunc, quid monumenta pervetusta,
Et nostræ veterum domi Quiritum
Nummi, quos Neomaga terra nuper
Hic, ter secula post quater reclusit?
Quid vultus juvat ære consulares,
Magni Cæsaris ora quid tueri?
Augustos numerare quid dynastas?
Dono Gorisidis juvat notare
Secli incommoda gaudiumque secli,
Summa imis varient ut ima summis,
Rerum ut conditor arbiterque jussit.
Nec tanti mihi pondo vel character,
Nec tam me movet æstimatione,
Quam quod μνημόσυνον *mei sodalis,*
Quem dignè nequeo remunerare.
Certent muneribus beatiores,
Si mittant sua quisque, nil poëta
Pręter versiculos suos remittet.
Ergo plus ocnlis meis amatum,
Ad cœlum lepido vocabo versu.

CON-

CONSTANTINO HVGENIO,

Equiti, Zuilechemii toparchæ, Principi Auriaco à consiliis & secretis S. D.

Nob. & amplissime domine,

BOnum equidem factum. Quæ mihi destinaras poëmata tua, eadem rectissimè & ad nutum curavit tuus Bruno. Adeò verò Momenta illa placuere, imò tanti fuerunt momenti, ut quamvis occupatissimo integras horas abstulerint. Et ecce dum avidissimâ lectione fragrantiam carminum tuorum persequor, veluti lymphatus in hos, sed plenos ruris & inficetiarum, versiculos erumpo:

Barbariem Batavis quid enim lascive poëta
　Improperas, ubi tot copia docta virûm?
Altera laus Romæ divisa est altera Graiis,
　Hugenides unus paginam utramque facit.
Ingemit, exultat, pungit, docet ac meditatur,
　Proteus non Proteus, fertilitate pari.
Heröes, elegos, arguta epigrammata testor,
　Ingenio hic genius jure perennis erit.

At hic desino, ne te Roscium nostrum provocare videar, & meritò à quoquam occinatur, *Impar congressus Achilli*. Pro singulari autem in me affectu, quem perpetuum esse cupio, gratias, ut par est, non minùs habeo, quàm tua illa non desultoria, si verum audire vis, sed sibi constans doctrina laudem meretur cumulatissimam. De antidoro porrò chartaceo jam nunc cogito, quod tuam prævenisset liberalitatem, nisi more suo typothetarum tarditas editionem Commentationum mearum ad consuetudines patrias sufflaminaret. Brevi tamen enixuros bona spes est, quod dudum parturiunt. Bene vale. Noviomagi prid. Eid. Aug. 1644.

In picturam

PASSIONIS DOMINICÆ.

EXpositus Soli, cœloque expansus aperto,
　Rex cœli & Solis factus homo patitur.
Cogit amor fratrum infamem sine crimine mortem
　Ferre, ferenda foret quæ scelerum merito.

Non

Non aliter Patris potuit placarier ira,
  Quàm si pro nobis filius oppeteret.
O scelus infandum, nulli reparabile, si non
  Ferret opem, quo non major in orbe fuit!
O amor, o bonitas parilis, clementia quanta
  Hæc Nati & Patris commiserantis erat!
Quis Domino grates possit persolvere dignas,
  Enthea ni vires sufficis aura Dei?
Divinæ en Triadis curat veneranda voluntas
  Conjunctim, Jesus quod cruce fecit opus.
At quisquis tabulam hanc spectas, miraris & arte
  Contracta angusto grandia facta loco;
Vera rei gestæ monumenta habeas, neque cultus
  Instrumenta putes relligiosa sui.

In nemus urbanum
NOVIOMAGENSE,
Quod
VITELLINUM
Vulgò dicitur.

I.

Hic ubi connexis complectitur aëra ramis
  Ulmus, & umbrosum visitur arte nemus;
Infelix arbos, seu crux metuenda malignis,
  Et diro stabant pegmata supplicio.
Hic ubi inoffenso teritur pede semita plana,
  Calcanti quondam pulverulenta fuit.
Hic ubi miramur nitidas sine rure platéas,
  Turpis odor naso prætereuntis erat.
Civibus acceptas ubi porticus explicat umbras,
  Urbanæ fœcis fœda cloaca fuit.
Ipsa sibi plaudit Neomagum munere tanto,
  Atque suas credit delicias populi.

II.

Corcyra Phæacum sileat miracula sylvas,
  Nec lucos jactet vana superstitio.

Desine

Desine mirari, mens sana in corpore sano
Ut sit, sylva tibi ter repetita dabit.
O cives, cives, præ nummis cura salutis
Admonet, autoris quod meminisse velis.

III.

Ut te Nimagum seclorum cana vetustas,
Et cœli candor nomen in astra ferunt:
Sic te frondosæ decorat nova gloria sylvæ,
Tempe dum claudunt mœnia grata tua.
Cædua nulla quidem, sed civibus apta juvandis,
Quo recreent animum fœmina virque suum.

IV.

Ulmus opaca viret, Nymphæ comitantur in umbra,
Ecquid non animis illatebret penitis?

V.

Delia cum sociis ut nulla hîc: tu tamen inde,
Actæon clamat, lubrica turba cave.

De
SUMMO HOMINIS BONO
ac
septemplici circa illud opinione.

PRoclive ad proprium est bonum, appetitque
Unumquodque animal, quiescat in quo:
Et, quæ nil temerè laborat, ipsâ
Naturâ duce, quilibet beatus
Enixim cupit esse: Finis actus
Humani est aliquis supremus, ultra
Quem nusquam datur ire: sic secundæ
Est sortis pariter capax ut arctæ,
Si non degenerem, miserrimumque
Mortalem esse putas. Sed adde eidem
Mentem participem beatitatis,
Ac virtutis amore velle, utrumque
Instrumentum animi. Quis abnuat nunc

Summum jure bonum impudenter, illis
Aut quis testibus obrutus repugnet?
Quamvis nubila, cæcitasque mentis,
Pugnandi studium, erigendi amatas
Sectas ambitio impotens, QUID ESSET,
Diversos rapuit: Tamen neque ullus,
AN SIT, in dubium vocavit unquam.

Vulgus.

CÆtera quid curem, collectis undique gazis,
Nemo magis nostrâ sorte beatus erit.

Homo politicus & militaris.

GLoria me pascit, votum superabile non est,
Si quis honos nostris contigerit meritis.

Epicureus.

DÆdala nec tellus, nec cœlum, blanda voluptas,
Te præter melius donat habere nihil.

Stoicus.

SOlum habitum virtutis amo, cui nulla repugnet
Vis, quo vel felix quilibet esse potest.

Peripateticus.

AT mihi conjungas actum. namque inclyta agendo
Lætatur virtus, desidiamque fugit.

Platonicus.

DIxeris Ideam. uniri cum Numine summo
Summa boni spes est, atque videre Deum.

Homo Christianus.

CEdant divitiæ, procul hinc insana voluptas,
Nec saturet mentem gloria vana meam.
Virtutem amplector, juxtà actum habitumque requiro,
Utraque perpetuo consocianda loco.

Sola

Sola ſed ad verum penetrat mens dia Platonis;
Quæ niſi conjuncto nil putat eſſe Deo.
Lucida præcedat mens, & purgata voluntas
Virtutum ſtudio, purior aura placet.
Felix ſi veram potuiſſet diſcere cauſam,
Quæ modo terrigenis februa dicta ferat.
Una ſalutiferi diſpenſat gratia Chriſti,
Cœleſtisque Fide Spiritus uſque fovet.

De quatuor DVCATVS GELRIÆ TETRARCHIIS *AC* URBIBUS PRIMARIIS, earumque ordine.

PRima *Neomagum*, ſequitur *Ruremunda* ſecunda,
Tertia *Zutphania* eſt, quarta ſed *Arnhemia*.
Quattuor hæ *Capitum* celebrantur nomine, paſſim
Oppida præcedunt cætera quod patriæ.
Gelrica concordes jungit ſic terra tetrarchas,
Quadripartitum tempus ut annus habet.
Primarum prima ut *Novimagum* ſit: *Comitatus*
Zutphania antiquo gaudet honore ſui.
Gelrenſi claret *Ruremunda* tractus ab urbe,
Unde ſuum nomen *Gelria* tota petit.
Curia *Velaviam* præfert, ubi mœnia ſurgunt
Arnhemia, ſedes nota *Ducum* veterum.


PARAPHRASIS *vers. 7. 8. Pſalmi 75.* ad ſeculi noſtri nimiùm ambitioſos Officipetas.

QUiſquis munera, publicos honores
Ambis non ſaturabili appetitu;
Fruſtrà niteris irrito labore,

 Donis

Donis, pollicitis, & arte quâ non?
Incassum vigilansque dormiensque
Temet discrucias. Ab Occidente
Non fastigia, Solis aut ab Ortu,
Nec tractu Boreæ manent favores.
Etsi quæque plagæ orbis excitatæ
Conjurent coëantque, quò feraris
In sublime magis, nihil movebunt.
Iudex est Dominus Deus, suoque
Nutu temperat omnium futuram
Sortem. Præcipitem trahit superbo
Illum de solio, elevat vicissim
Hunc è sordibus & situ maligno.
Quare parce operæ nihil juvanti,
Curis parce, precor, malè elocatis:
Te permitte Deo, ambiasque solo
Virtutis studio. Satis superque
Fautorum tenet, inclytâ cluet qui
Virtute. Illa sibi suisque abundè est.

FINIS.



INDEX
Carminum hujus Farraginis.



I N D E X

Rerum & verborum præcipuè memorabilium, quæ in Commentatione ad consuetudines Velavicas continentur: In quo prior numerus paginam, secundus, cui præmittitur littera N. numerum marginalem demonstrat.

A.

Amende

INDEX.

D.

E.

F.

G.

H.

In-

L.

L. 4. C.

Ordi-

R.

S.

INDEX.

FINIS.



NOVIOMAGI,

Ex Typographia NICOLAI ab HERVELT ANNO 1645.